This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Stanford University Libraries
3 6105 117 388 434



942
R722

ROGERI DE WENDOVER

FLORES HISTORIARUM.

ROGERI DE WENDOVER

CHRONICA,

SIVE

FLORES HISTORIARUM,

NUNC PRIMUM EDIDIT

HENRICUS O. COXE, M.A.

VOL. II.

LONDINI:
SUMPTIBUS SOCIETATIS.
M.DCCC.XLI.

STANFORD LIBRARY

LONDON:
PRINTED BY SAMUEL BENTLEY,
Bangor House, Shoe Lane.

148303

ROGERI DE WENDOVER

LIBER, QUI DICITUR,

FLORES HISTORIARUM.

De coronatione regis Willelmi primi.

NNO Domini MLXVII. dux Normanniæ Willelmus, urbem Londinarum adiens, in magna exultatione a clero et populo susceptus et ab omnibus [2]rex acclamatus, Dominicæ nativitatis die ab Aldredo, Eboracensi archiepiscopo, regni diadema suscepit; timuit enim hoc munus consecrationis a Stigando, Cantuariensi archiepiscopo, suscipere, eo quod [3]non legitime occupaverat illius excellentiam dignitatis. Deinde homagiis a magnatibus, cum fidelitatis juramento, obsidibusque acceptis, in regno confirmatus, omnibus qui ad regnum aspiraverant factus est terrori. Civitatibus quoque dis-

A.D. 1067. Coronation of William I.

NOTES AND VARIOUS READINGS[1].

[1] The reader will remember that these, in the following notes marked *C.*, are taken from the readings of the Wendover MS., destroyed in the fire of Ashburnham House, printed at the end of Wats' edition of Matthew Paris.

[2] *Rex acclamatus.*] A full account of William's coronation is given by William of Poitou; Hist. Normann. Scriptt. p. 205.

[3] *Non legitime.*] His election was deemed uncanonical, archbishop Robert being yet alive.

A.D. 1067. positis et castellis, propriisque ministris impositis, ad Normanniam cum obsidibus Angliæ et thesauris innumeris navigavit; quibus incarceratis et sub salva custodia deputatis, ad Angliam denuo properavit, ubi commilitonibus Normannis, qui in bello Hastingensi patriam secum subjugaverant, terras Anglorum et possessiones, ipsis expulsis, manu distribuit affluenti; et modicum illud, quod eis remanserat, sub jugo posuit perpetuæ servitutis. Unde nobiliores de regno indignati, quidam ad regem Scotorum Malcolmum confugerunt, aliique loca deserta et nemorosa petentes, ibique diu feralem ducentes vitam, Normannis sæpe infesti fuerunt. Recesserunt ab Anglia comites Edwinus et Morcardus fratres, Mercherus et [1]Weltheofus nobiles, cum episcopis, clericis et aliis multis, quos longum est exprimere nominatim, qui omnes ad regem Scotorum Malcolmum fugientes ab ipso honorifice sunt recepti. Tunc etenim Eadgarus Etheling, de regno Anglorum hæres legitimus, cernens res patriæ undique perturbari, ascensa navi, cum Agatha matre sua et sororibus Margareta et Christina, in Hungariam, ubi natus fuerat, conabatur reverti; sed, tempestate suborta, compulsus est in Scotiam applicare. Hac quoque occasione actum est, ut Margareta regi Malcolmo nupta traderetur, cujus vitam laudabilem et mortem pretiosam liber inde editus insinuat evidenter; soror autem ejus Christina sanctimonialis benedicitur, et cælesti Sponso copulatur. Nati sunt denique reginæ Margaretæ sex filii et duæ filiæ, quorum tres, Eadgarus scilicet, Alexander et David, juxta generis sui nobilitatem reges fuerunt, ex quibus regum An-

The nobles leave the country.

[1] *Weltheofus,*] or, as he is called in the Domesday Book, 'Wallef.'

gliæ nobilitas, a propriis per Normannos expulsa finibus, ad reges est devoluta Scotorum. Sed hæc infra. A.D. 1067.

Quod Anglia peccatis exigentibus fuerit subjugata.

Occasion of the Conquest to be sought in the sins of the nation.

Ecce regni Angliæ dulcis patriæ excidium dolendum, cujus olim reges, primo sui adventus tempore, vultu et gestu barbarico, usu bellico, ritu profano incitati, omnes ad omnia provocabant, omnia armis et astutia edomabant; sed postmodum, Christi fide suscepta, paulatim religioni operam dantes armorum exercitium neglexerunt, siquidem reges tunc habitu mutato, quidam Romæ, quidam in patria, cæleste regnum luctati, pro temporali commutabant æternum; multi tota vita sua mundum amplectentes ecclesias et cœnobia fundabant, thesauros pauperibus erogabant, et, ut breviter dicatur, omnia misericordiæ opera adimplebant. De martyribus, confessoribus et sacris virginibus, insula adeo plena refulget, ut vix aliquem vicum famosum prætereas, ubi alicujus novi sancti nomen insigne non audias; sed postmodum, refrigescente caritate et aureo sæculo in luteum mutato, religionis studia absolverunt. Sicut prius in adventu Danorum, et nunc in expulsione Anglorum a Normannis, peccatis exigentibus, exterminium accessit incolarum; nam optimates gulæ et veneri servientes more Christiano ecclesiam mane non petebant, sed in cubiculis et inter uxorios amplexus matutinarum solemnia ac missarum a presbytero festinante auribus tantummodo prælibabant. Clerici quoque et ordinati adeo literatura carebant, ut cæteris esset stupori qui grammaticam didicisset; potabatur ab omnibus in commune, qui tam dies quam noctes in hoc studio produxerunt; in cibis urgebant crapulam, in potibus

A.D. 1067. vomicam irritantes. Veruntamen hæc mala non de omnibus dicta intelligas, cum multos omnis conditionis homines et dignitatis in eadem gente constet Domino placuisse.

Qualiter rex Willelmus Exoniam obsedit et cepit.

Siege of Exeter. Eodem tempore rex Willelmus [1]urbem Exoniam sibi rebellem obsidione vallavit, ubi quidam stans nudato inguine sonitu partis inferioris auras turbavit, in contemptum videlicet Normannorum; unde Willelmus in iram conversus civitatem levi negotio subjugavit; deinde [2]Eboracum petens, eam penitus delevit, civibus flămma ferroque necatis. Qui autem ab hac clade evadere potuerunt, ad regem Malcolmum in Scotiam confugerunt, qui omnes Anglorum profugas libenter recipiebat, et singulis tutamentum, in quantum poterat, impendebat, propter sororem Eadgari Margaretam, quam sibi fecerat conjugalem; cujus causa conterminas Angliæ provincias rapinis et incendiis infestabat. Quapropter rex Willelmus, coacta militum et peditum multitudine copiosa, aquilonales Angliæ partes petens, totius regionis urbes, vicos, agros et oppida conteri et fruges [3]jubet igne consumi; maritima maxime, cum propter recentem iram, tum quia Cnutonem Danorum regem adventare rumor asserebat, ut nihil circa maris crepidinem vitalis subsidii prædo piraticus inveniret. Malcolmus quoque rex ad manus veniens deditionem cessit.

---

[1] *Urbem Exoniam.*] Many MSS. have 'Oxoniam,' a reading which agrees with a statement in Domesday Book, that at this time Oxford was much spoiled. Introd. to Domesday, p. 194.

[2] *Eboracum petens;*] in the following year, according to the Saxon Chronicle and Florence.

[3] *Jubet igne consumi.*] The land which had belonged to Edwin and Morcar in the Domesday Survey is almost everywhere described as 'wasta.' See Malmsb. p. 423, *note* [2].

Deinde rex Willelmus,[1] compositis in Anglia civitatibus et castellis, propriisque ministris impositis, ad Normanniam transfretavit, obsides Angliæ cum immensa pecunia secum ducens; sed non multo post ad Angliam rediens, commilitonibus suis, qui in bello Hastingensi patriam secum subjugaverant, terras Anglorum et possessiones affluentiori manu contulit, illudque parum, quod illis remanserat, sub jugo posuit perpetuæ servitutis. Unde recesserunt a regno Eadgarus Etheling, filius Edwardi, legitimus hæres regni, Morcardus et Eadwinus fratres, Mercherus et Wealthefus, Northanhumbrorum comites; exceptis episcopis et clericis, aliisque nobilibus multis, quos longum esset exprimere sigillatim. A.D. 1067.

De contentione inter duos de papatu.

Hoc igitur tempore, duobus Romæ, [2]Alexandro et [3]Cadelo, de papatu contendentibus, Mantuæ synodus colligitur, et mediante Annone, Coloniensi archiepiscopo, Alexandro de simonia se purgante, in sede apostolica statuitur, et Cadelus expellitur, simoniacus comprobatus. Eodem tempore ad septem millia hominum orandi gratia Hierosolymam petentium ab Arabibus in Parasceue obsessa sunt in quodam castello, et tot ex eis vulnerati vel occisi, ut de omnibus vix duo millia sint elapsa. Struggle for the papacy.

Natus est regi Willelmo filius et vocatus est Henricus.

Anno Domini MLXVIII. natus est regi Willelmo filius in Anglia, et vocatus est Henricus; nam A.D. 1068. Birth of Henry I.

[1] *Compositis in Anglia civitatibus.*] The following passage to the end of the chapter is a repetition of what he had before said, p. 1, l. 16.

[2] *Alexandro,*] the second, bishop of Lucca; he died in April 1073.

[3] *Cadelo,*] bishop of Parma.

A.D. 1068. primogenitus [1]Willelmus Rufus et Robertus in Normannia nati fuerunt antequam pater eorum Angliam subjugaret. Eodem anno rex Willelmus Roberto comiti dedit Northanhumbriæ comitatum, cui statim homines illius regionis adversantes ipsum cum nongentis viris suorum peremerunt; sed rex Willelmus superveniens omnes hujus rei actores usque ad unum delevit.

Egelricus, Dunelmensis episcopus, in carcerem truditur.

A.D. 1069. Bishop of Durham imprisoned. Anno Domini MLXIX. venerunt quidam ad regem Willelmum, Dunelmensem episcopum [2]Egelricum de ejus proditione accusantes; qui in villa, quæ Burgum dicitur, a regis ministris captus, ad Westmonasterium adductus est, sub carcerali custodia detrudendus; et postea Augusto mense frater ejus Egelwinus, ejusdem loci factus episcopus, fuit in exterminium relegatus. Eodem vero tempore, inter duo festa beatæ Mariæ in autumno, venerunt filii Swani et frater ejus Osbernus de regno Danorum cum cogonibus trecentis in Angliam, ut regem Willelmum ab Anglia exturbarent; quorum adventus cum divulgatus fuisset, exierunt illis obviam Eadgarus Etheling, filius Edwardi, et Waltheofus comes, cum multis millibus armatorum, cupientes eorum auxilio regem Willelmum capere et carceri illum perpetuo mancipare. Tunc fœdere confirmato, junctis viribus ad Eboracum venientes, urbem cum castello quantocius occuparunt, et multa ibidem hominum millia peremerunt; deinde majores urbis et provinciæ vinculis constringentes, tamdiu eos crudeliter torquebant, quousque omnes facul-

[1] *Willelmus Rufus et Robertus.*] These names should be transposed.

[2] *Egelricum.*] Compare above, vol. i. p. 496.

tates eorum ab eis extorsissent. Tunc ibi inter duo flumina Usam et Trente hiemantes, omnes regionis incolas immisericorditer affligebant; sed Willelmus, hieme transcursa, cum maxima armatorum copia superveniens, fortiores hostium fugavit, et minores usque ad unum in ore gladii trucidavit. Veruntamen Waltheofus, amplæ prosapiæ comes, in eadem pugna plures Normannorum solus detruncaverat, singulos per castelli portas decapitans gradientes; sed Willelmus tandem victoriam adeptus est, adversariis penitus profugatis. Tunc Eadgarus Etheling, ad regem Willelmum veniens, pacem ab eo et misericordiam postulans impetravit, et ei fidelitatem fecit. A.D. 1069.

De servitute ecclesiæ Anglicanæ.

Anno Domini MLXX. rex Willelmus, pessimo usus consilio, omnia Anglorum monasteria auro spolians et argento, ad majorem [*sic*] sanctæ ecclesiæ opprobrium calicibus et feretris non pepercit. Episcopatus quoque et abbatias omnes, quæ baronias tenebant et eatenus ab omni servitio seculari libertatem habuerant, sub servitute statuit militari, irrotulans singulos episcopatus et abbatias pro voluntate sua, quot milites sibi et successoribus suis, hostilitatis tempore, voluit a singulis exhiberi; et rotulos hujus ecclesiasticæ servitutis ponens in thesauris, multos viros ecclesiasticos huic constitutioni pessimæ reluctantes a regno fugavit. Sub hac tempestate Stigandus, Cantuariensis archiepiscopus, et [1]Alexander Lincolniensis, facto ad Scotos diffugio, moram ad tempus fecerunt ibidem; solus inter omnes Angliæ prælatos Egelwinus, Dunelmensis A.D. 1070. State of the church.

[1] *Alexander.*] He is not mentioned by Malmsbury, nor is the see of Dorchester supposed to have been transferred to Lincoln until after this date.

A.D. 1070. episcopus, exsul et proscriptus, zelum Dei habens, excommunicavit universos ecclesiæ invasores et rerum ecclesiasticarum raptores.

Lanfranc archbishop of Canterbury. Eodem anno, deposito apostata archiepiscopo Stigando, qui prius data pecunia fuerat episcopus Helmhamensis, ac deinceps Wintoniensis, et novissime Cantuariensis, ut superius dictum est, quos honores non intuitu religionis sed cupiditatis simul tenebat, successit ei [1] Lanfrancus, prius monachus Beccensis et postmodum abbas Cadomensis, in archipræsulatum Cantuariensem, qui, in episcopatu annis octodecim laudabiliter conversatus, successoribus suis præbuit bonæ conversationis exemplum. Eodem tempore Eadgarus Etheling, regis Willelmi dedititius, facto ad Scotos transfugio, jusjurandum maculavit; sed, ibi cum aliquot annos degisset, regis Willelmi liberalitatem experiri volens, ad eum in Normanniam navigavit, a quo satis honorifice receptus et donativo non modico honoratus, libram argenti pro quotidiano stipendio a rege suscepit.

Quod multi nobiles Angliæ loca deserta petierunt.

A.D. 1071. The English fortify Ely. Anno Domini MLXXI. Eadwinus, Mercherus et Siwardus, comites, cum Egelwino, Dunelmensi episcopo, et multis millibus clericorum et laicorum, deserta regionis loca et nemorosa petierunt, regis Willelmi indignationem ferre non valentes. Cumque multa mala ad injuriam regis in locis diversis perpetrassent, ad Eliensem insulam tandem venientes, locum mansionis illuc et refugii elegerunt; qui sæpius inde hostiliter exeuntes, duce [2] Herewardo, de gente Anglorum, viro nobi-

[1] *Lanfrancus.*] In the Sax. Chron. under this year is recorded an account of his consecration.

[2] *Herewardo.*] The son of Leofric, lord of Born, Lincolnshire; Ingulph.

lissimo ac strenuo, regionem illam in regis dis- A.D. 1071.
pendium non mediocriter affligebant; castrum quoque ligneum in ipsis paludibus construxerunt, quod usque in hodiernum diem 'castellum Herewardi' a comprovincialibus nuncupatur; quo divulgato, rex Willelmus, cum universa suæ ditionis fortitudine ad insulam veniens, navali eam pedestri et equestri prælio circumcinxit. Deinde vias immensæ longitudinis in ipsis paludibus et pontes valde sumptuosos construens, voragines profundas et aquosas bestiis et hominibus reddidit permeabiles, et castellum, in loco qui Wisebecum dicitur, a fundamentis erexit; quod cum adversarii ejus cognovissent, omnes, præter solum Herewardum, qui socios suos ab insula potenter eduxit, ad manum venientes, Willelmo sese præsentarunt, quodlibet supplicium subituri. Tunc rex, Egelwinum episcopum sub custodia tradens, aliorum quosdam interfecit, quosdam redemit, et nonnullos perpetuo carceri mancipavit. Herewardus vero, quamdiu superfuit, regi Willelmo paravit insidias exquisitas.

Rex Willelmus regis Scotorum homagium cepit.

Anno Domini MLXXII. rex Willelmus Scotiam A.D. 1072. Submission of Scotland.
hostiliter adiens speravit aliquos ibi ex suis hostibus invenire, sed cum regionem illam perlustrasset et nullum penitus invenisset, accepto tandem regis Scotorum cum obsidibus homagio, ad Angliam remeavit. Hoc etiam anno [1]Egelwinus episcopus Dunelmensis, apud Westmonasterium sub custodia regis detentus, obiit et ibidem in porticu sancti Nicolai sepultus est.

---

[1] *Egelwinus;*] rather 'Egelricus,' as corrected on the margin.

De duobus clericis confœderatis narratio importuna.

A.D. 1072. Legend. Circa eosdem quoque dies [1]in civitate Britanniæ Nannetis nomine duo clerici degebant, qui ab ipsis pueritiæ rudimentis adeo erant amicitiæ fœderibus constricti, ut, si necessitas ingrueret, etiam mortis periculum pro invicem sustinerent. Unde die quadam in hoc pariter consenserunt, ut quisquis illorum prius obiret vivo, dormienti vel vigilanti, infra dies triginta appareret, socium certificaturus, qualis sit futuri seculi status, quæ animarum de corpore egressarum foret conditio, ut inde sufficienter instructus agnosceret, quæ ex diversis de anima philosophorum opinionibus esset imitanda. Tradunt enim Platonici, quod mors corporis animam non exstinguat, sed eam ad Deum principium suum, tanquam e carcere, remittat; astruunt e contra Epicuræi, animam de corpore solutam in aerem evanescere et in auras effluere et dissolvi; theologi quoque de anima aliter sentientes asserunt tres esse animarum post mortem corporis mansiones, unam in cælo, alteram in purgatorio, tertiam in inferno; sed sicut animæ quæ in inferno sunt non salvabuntur, ita illæ quæ in purgatorio existunt misericordiam consequentur. Itaque data fide inter socios et accepta cum juramento, non multum tempus præteriit, et ecce unus eorum subito absque confessione et viatico exspiravit; remansit alter in seculo, et de fide data sedulo cogitans, terminum præfixum per dies triginta inaniter exspectabat, quibus evolutis, dum desperatus aliis animum negotiis applicasset, ecce mortuus sodali apparens viventi et ip-

[1] *In civitate Britanniæ.*] The legend following is from Malmsbury, § 237.

sum prius in hunc modum affatur; 'Agnoscis me?' inquit; et socius, 'Agnosco,' respondit; et alius, 'Adventus meus, amice,' inquit, 'valde tibi erit (si volueris) necessarius, mihi quoque infructuosus; nam, prolata contra me a Deo sententia, deputatus sum miser suppliciis sempiternis.' Cumque vivus ad ereptionem mortui, omnia sua monasteriis se daturum et egenis, promisisset, seque diès et noctes jejuniis et orationibus continuaturum spopondisset, 'Fixum est,' inquit mortuus, 'quod dixi; nam, quia sine pœnitentia decessi, justa sunt judicia Dei, quibus in sulphuream voraginem inferni sum demersus, ubi 'Dum rotat astra polus, et pulsat littora pontus,' pro criminibus meis torquebor; et, ut aliquam ex pœnis meis innumerabilibus experiaris, protende manum tuam, ut guttam saltem unam stillantem de sudore meo sanioso recipias;' quam cum vivus recepisset, cutem et carnem sicut ignito cauterio perforavit, foramen nucis avellanæ capax efficiens. Socio doloris magnitudinem clamore testante, 'Hoc,' inquit mortuus, 'erit tibi, quamdiu vixeris, et pœnarum mearum grave documentum, et nihil neglexeris salutis tuæ singulare remedium; quapropter, dum potes, muta habitum, muta et animum, quo possis iram tui effugere Conditoris.' Ad hæc verba vivo respondere nolente, mortuus eum oculo severiore perstrinxit, dicens, 'Si dubitas miser converti, lege literas istas;' et simul cum verbo manum expandit tetris literis inscriptam, in quibus Sathanas et omne contubernium infernorum omni ecclesiastico cœtui gratias emittit, quod cum in nullo suis voluptatibus deessent, tantum numerum subditarum sibi animarum suæ prædicationis incuria paterentur ad inferna descendere, quantum nunquam secula retro acta vide-

A.D. 1072. Legend.

A.D. 1072. Legend.

runt; et, his dictis, imago defuncti disparuit. Tunc vivens, bonis suis omnibus per ecclesias et egenos distributis, sanctum Melanum adiit et habitum mutavit; omnes audientes admonens et videntes de subita conversione sua ut dicerent, 'Hæc est mutatio dexteræ Excelsi.'

De ventilatione causæ inter ecclesias Cantuariensem et Eboracensem.

Question of precedency between the sees of Canterbury and York.

Eodem anno [1] apud Windleshoram ex præcepto Alexandri papæ, rege etiam Willelmo annuente, in præsentia Huberti Romanæ ecclesiæ legati, ventilata est causa de primatu ecclesiæ Cantuariensis super ecclesiam Eboracensem. Ubi tandem antiquarum auctoritatibus scripturarum probatum est et ostensum, quod Eboracensis ecclesia debeat subjacere ecclesiæ Cantuariensi, et ipsius archiepiscopi, ut primatis totius Britanniæ, dispositionibus in omnibus quæ ad Christianam pertinent religionem fideliter obedire; ita quod, si archiepiscopus Cantuariensis concilium cogere voluerit ubicunque sibi utile visum fuerit, Eboracensis archiepiscopus, cum omnibus suis suffraganeis et subjectis clericis, sui præsentiam exhibeat ejusque canonicis dispositionibus obediens existat. Benedictionem etiam episcopalem ab ipso debet accipere, et ei canonicam professionem, addito juramento, præstare. Huic igitur constitutioni consenserunt rex præfatus et Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis et Thomas archiepiscopus Eboracensis, cum prædicto cardinali et omnibus episcopis et abbatibus regni.

Quod rex Willelmus Cenomanniam subjugavit.

A.D. 1073.

Anno Domini MLXXIII. rex Willelmus in Nor-

[1] *Apud Windleshoram.*] The proceedings of this council are printed in Wilkins, Concil. i. p. 324.

manniam transiens in manu potenti sibi Cenomanniam subjugavit; sed Angli in hac expeditione, urbes, vicos et [1] vineas cum frugibus populantes, omnem provinciam debiliorem multo post tempore reddiderunt; deinde, bene omnibus ibi dispositis, ad Angliam transfretavit. In hoc siquidem anno, [2] duobus annis magnis revolutis a quinto decimo anno Tiberii Cæsaris, omnia secundum cursum solis et lunæ concordant illi anno, quo baptizatus est Christus Jesus, id est, octavo idus Januarii die Epiphaniæ et die Dominica, initium jejunii ejus in secunda feria, tentatio ejus decimo quinto kalendas Martii, feria sexta; habet autem magnus annus cycli paschalis decies novies annos viginti octo, qui simul juncti faciunt annos quingentos triginta duos.

A.D. 1073. William conquers Maine.

De scandalo in ecclesia exorto.

Anno Domini MLXXIV. Gregorius sedit in cathedra Romana annis duodecim, mense uno et tribus diebus. Iste papa in [3] synodo generali simoniacos excommunicavit, uxoratos sacerdotes a divino removit officio et laicis missas eorum audire interdixit, novo exemplo et, ut multis visum est, inconsiderato judicio, contra sanctorum patrum sententiam, qui scripserunt, quod sacramenta, quæ in ecclesia fiunt, baptisma, chrisma, corpus Christi et sanguis, Spiritu invisibiliter cooperante, eorundem sacramentorum effectum [habeant], seu per bonos, seu per malos intra Dei ecclesiam dispensentur; tamen quia Spiritus Sanc-

A.D. 1074. General council.

[1] *Vineas;*] 'laid waste their vineyards, and burned their cities.' Sax. Chron.

[2] *Duobus annis magnis.*] Upon this passage, and the error of the Dionysian cycle noticed below in 1076, see *note* [1], at the end of the 'Grande Chronique de Matthieu Paris; par Huillard-Bréholles;' Paris, 1840.

[3] *Synodo generali;*] held at Rome. The proceedings of this council are printed by Harduin, vi. col. 1521.

A.D. 1074. tus mystice illa vivificat, nec bonorum meritis amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur. Ex qua re tam grave oritur scandalum, ut nullius hæresis tempore sancta ecclesia graviori sit schismate discissa, his pro justitia, illis contra justitiam agentibus; porro paucis continentiam observantibus, aliquibus eam causa lucri ac jactantiæ simulantibus, multis incontinentiam perjurio multipliciori adulterio cumulantibus: ad hæc, hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines, et se ab omni ecclesiastica subjectione excutientibus, laici sacra mysteria temerant et de his disputant, infantes baptizant, sordido aurium humore pro sacro chrismate utentes et oleo, in extremo vitæ viaticum Dominicum et usitatum ecclesiæ obsequium sepulturæ a presbyteris uxoratis accipere parvipendunt; decimas etiam presbyteris debitas igne cremant, corpus Domini a presbyteris uxoratis consecratum pedibus sæpe conculcant, sanguinem Domini voluntarie frequenter in terram effundunt.

De conspiratione magnatum contra regem Willelmum.

Conspiracy against William. Eodem anno comes [1]Radulfus, cui rex Willelmus dederat Est-angliæ consulatum, consilio Welteofi et Rogeri comitum, regem Willelmum a regno expellere moliuntur. Duxit enim Radulfus sororem præfati Rogeri comitis, in cujus nuptiis hanc proditionem facere conspirabant.

---

[1] *Radulfus.*] Ralph de Waher, or Guader, earl of Norfolk. He married Emma, sister of Roger de Breteuil, earl of Hereford, and daughter of William Fitz Osberne, earl of Hereford. According to the Saxon Chronicle, this marriage was solemnized with the king's consent at Norwich. Florence expressly states that it was against the king's orders, and that it took place at Ixning, in Cambridgeshire.

Erat autem Radulfus ex matre Wallensi et patre Anglico generatus, et, sicut diximus, instante die nuptiarum, utriusque partis amici in villa Norwicensi cum congregati fuissent, et post refectionem lautissimam vino inebriati essent, cœperunt unanimiter in regem proditionem voce clamosa conspirare; asserentes hominem in adulterio natum, ut tanto regno talibusque viris præesset, minime convenire. Erant hujus factionis complices Rogerus, Weltheofus et Radulfus, comites, plures episcopi et abbates, cum baronibus et bellatoribus multis, qui communiter ad regem Danorum nuntios dirigentes auxilium ejus instantius flagitabant; deinde, Wallensibus sibi confœderatis, unusquisque in sua potestate, igne accumulato in villis regiis, rapinis indulgebat; sed castellani, qui castra regis custodiebant, cum populis provincialibus eis obviam venientes, ipsorum irritare propositum laborabant. Tunc rex Willelmus subito de Normannia rediens, Rogerum comitem, cognatum suum, et Weltheofum cepit, et vinculis constrictos sub carcerali custodia deputavit; quod comes Radulfus cum cognovisset, ab Anglia tremebundus recessit. Deinde rex Willelmus ad Norwicum exercitum mittens, tamdiu uxorem Radulfi comitis obsedit in castello cum familia sua, quousque, deficientibus sibi alimentis, præstita cautione juratoria, quod ab Anglia recederet, non denuo reversuri. Wallenses vero, qui præfatis interfuerant nuptiis, rex Willelmus quosdam luminibus jussit privari, quosdam in exsilium cogi, nonnullos vero fecit patibulo suspendi. Et his ita gestis, venerunt ex Dacia Cnuto filius Swani et Hacon comes, cum navibus ducentis armata manu repletis; sed, audientes de fautoribus suis quod factum fuerat, retortis velis ad Flandriam navigarunt, cum Wil- A.D. 1074.

A.D. 1074. lelmo congredi non audentes. Eodem anno [1] Editha regina, decimo quinto kalendas Januarii, apud Wintoniam migravit ad Dominum, et, jubente rege, apud Westmonasterium sepulta est juxta virum suum regem Edwardum.

Quod comes Weltheofus capite privatur.

A.D. 1075. Anno Domini MLXXV. rex Willelmus præcepit Weltheofum comitem in Wintonia pœna capitis privari, et extra civitatem in bivio sepeliri; sed, processu temporis, corpus ejus effossum ad sepeliendum cum magno honore Croilandiam deportatur.

William in Britanny. Ac deinde rex ad Armoricanam Britanniam transiens Dolense castrum obsedit, sed rex Francorum hostiliter superveniens omne eis subsidium vitale subtegat; unde rex, obsidione dimissa, in recessu suo milites multos et equos cum opibus ibidem amisit. Nec multo post reges præfati, licet brevi tempore, in concordiam convenerunt. Eodem anno idem Willelmus, die sancto Paschæ, in ecclesia Fischanni filiam suam Ceciliam obtulit Deo consecrandam. Per idem tempus Robertus, Willelmi regis filius, cui idem rex, antequam Angliam subjugaret, Normanniam dederat coram Philippo Francorum rege, [2] nunc, quia pater filio eam possidere non permittebat, Robertus Franciam adiit, et auxilio ejusdem regis magnam frequenter in Normannia prædam agebat, villas comburebat, homines perimebat, et patri suo non modicam anxietatem et molestiam inferebat. Unde rex Willelmus, contra Robertum filium suum bellum agens, [3] apud Gerberai castrum Gal-

---

[1] *Editha.*] 'Eadgithfeo,' Sax. Chron.

[2] *Nunc.*] 'Nempe,' *C.*

[3] *Apud Gerberai.*] The Saxon Chron. and Florence, in the year 1079, relate that William was unhorsed by his son Robert, who upon the discovery immediately gave up his own horse to him.

liæ equo pulsus est, et Willelmus filius ejus vul- A.D. 1075.
neratus, et multi de sua familia interfecti; quapropter rex maledixit Roberto filio suo, quam maledictionem, antequam obiret, expertus est evidenter.

Quod Norenses interfecerunt episcopum Dunelmensem.

Eodem[1] quoque tempore Walcherus, Dunelmen- Murder of the bishop of Durham.
sis antistes, contra dignitatem pontificalem curis se immiscens secularibus, a Willelmo emit Northanhumbriæ comitatum; et, vicecomitis agens vices, ad laica se recedit judicia atque ab omnibus provincialibus, tam nobilibus quam servis, insolenter retorsit pecuniam infinitam. Populus tandem, assiduis episcopi ac ministrorum ejus exactionibus ad extremam perductus inopiam, indignabatur valde sese ad tam gravem redemptionem sine intermissione compelli; unde provinciales communiter omnes ad secretum convenientes colloquium decreverunt unanimiter, singuli et universi, ut occulte armati venirent ad placita comitatus, ad propellendas injurias, si necessitas immineret. Cumque paulo post ad placita consueta omnes comprovinciales, ut prælocutum fuerat, satis animose advenissent, et de diversis injuriis sibi justitiam fieri exegissent, episcopus nimis crudeliter respondit, quod de nulla injuria vel calumnia ipsis justitiam exhiberet antequam sibi libras quadringentas monetæ optimæ numerassent. Tunc unus eorum pro omnibus loquens licentiam postulavit ab episcopo, super exactione præmissa, ut possent inde habere colloquium, quatenus habita deliberatione sibi quivissent consul-

[1] *Eodem quoque tempore.*] The Sax. Chron., Florence and Simeon, all refer the death of Walchere to 1080. He was murdered at Gateshead on the 14th May; Angl. Sacr. i. 703.

A.D. 1075. tius respondere. Igitur, accepta licentia conferendi, cum paulisper sese subtraxissent, unus ex illis, cujus arbitrium omnes exspectabant, præcipitanter patria lingua dixit, [1] 'Schort red, god red, slea ye the bischop;' qui unanimiter cuncti, verbo prolato, ad arma convolantes, episcopum crudeliter peremerunt, et centum homines cum eo, juxta flumen Tyne, ubi placita letifera ab episcopo tenebantur.

In hoc anno revoluti sunt duo anni magni.

A.D. 1076. The cycle of Dionysius. Anno Domini MLXXVI., qui est annus decimus tertius primi decennovenalis cycli, in repetito anno magno Dionysii, duobus magnis annis a passione Domini revolutis, in quo omnia, quæ ad cursum solis et lunæ spectant, anno Dominicæ incarnationis concordant; unde manifestum est, quod Dionysius non recte annos Domini cyclo suo annexuit. Quia enim ab anno Domini quingentesimo trigesimo secundo cyclum suum ordinavit, intendit nimirum Christum fuisse natum anno secundo prioris magni anni; et per hoc, hic annus, anno Dominicæ passionis concordans, debuit esse magni cycli annus, non decimus tertius, sed trigesimus tertius, quia is fuit annus passionis Domini; et per hanc consequentiam, [cum] solaris cursus et lunaris [concordent] evangelicæ veritati, Dionysius posuit nativitatem Christi viginti et uno anno tardius quam debebat.

Paulus ecclesiæ sancti Albani abbas efficitur.

A.D. 1077. Paul abbot of S. Alban's. Anno Domini MLXXVII. [2] Paulus monachus Cadomensis, quarto kalendas Julii, ecclesiam beati Anglorum protomartyris regendam suscepit, qui

[1] *Schort red.*] 'Sort red, god red, slea wse the bissop,' *C.*

[2] *Paulus monachus.*] See his life by Matthew Paris, ed. Wats, p. 49.

eam in brevi, consilio [1]Lateravenci Cantuariensis archiepiscopi et auxilio, multipliciter ampliavit; novam ecclesiam cum claustro et omnibus regularibus officinis eleganter construxit, ordinem in ea monachorum jam pæne collapsum reformavit, cœnobiumque in honorem beati martyris Albani constructum libris divinis et ornamentis multipliciter adornavit. Eodem anno Herlewinus, abbas Becci primus, vita decedens, felicem animam suo reddidit Creatori; quo etiam anno, in die Palmarum, circa horam sextam, sereno cælo, stella ingens apparuit prope solem. A.D. 1077.

De schismate inter papam et imperatorem.

Eodem anno Henricus imperator, [2]collecto Wormaciæ viginti quatuor episcoporum et multorum concilio principum, decerni jubet, omnia decreta et facta Gregorii papæ, qui prius Hildebrandus dicebatur, debere irritari; ibique omne concilium, præter paucos, Hildebrandum abjuravit. Hildebrandus e contra excommunicavit imperatorem, sub hoc obtentu, ut primates regni, quasi [3]justa ex causa, imperatori excommunicato contradicant. Postea Hildebrandus, a sententia excommunicationis principibus relaxatis, ipsum etiam imperatorem in Longobardia sub falsa pace absolvit; quo facto, omnes, qui prius Hildebrandum abjuraverant, imperatorem abjurant, et Radulfum Burgundiæ ducem super se regem statuerunt, missa ei corona a papa, cui erat inscriptum, Dispute between the pope and the emperor.

'Petra dedit Petro, Petrus diadema Radulpho.'

Hunc Sigifredus, Maguntiæ archiepiscopus, in

[1] *Lateravenci;*] for 'Lanfranci.'

[2] *Collecto Wormaciæ.*] Harduin places this council in the preceding year.

[3] *Justa.*] In the text, 'juxta.'

A.D. 1077. regem benedixit; et facta a Maguntinis contra eos seditione, Radulfus cum archiepiscopo noctu aufugit. Hildebrandus omnes imperatori adversantes absolvit. Imperator tamen Alpium aditibus contra se munitis, ubique omnibus eorum frustratis insidiis, per Aquileiam venit Ratisponam, et ibi Radulfum hostiliter adorsus compulit in fugam; et, iterata expeditione, Sueviam devastavit.

De dedicatione ecclesiæ Becci.

A.D. 1078. Dedication of a church at Bec. Anno Domini MLXXVIII. ecclesia Becci, decimo kalendas Decembris, in honorem beatæ Mariæ dedicata est ab archiepiscopo Cantuariensi Lanfranco; cujus operis ipse, post abbatem Herlewinum, primum in fundamento lapidem projecit.

Quod rex Willelmus Wallenses subjugavit et Odonem episcopum incarceravit.

A.D. 1079. Subjection of Wales. Anno Domini MLXXIX. rex Anglorum Willelmus in Walliam duxit exercitum copiosum, et eam sibi subjugavit et a regulis illis homagia et fidelitates accepit; Odonem fratrem suum, de sua proditione accusatum, cepit, et incarcerari præcepit. Eodem anno [1]Turstinus, abbas Glastoniensis, turpe scelus commisit; tres enim monachos sub altari positos occidi fecit, et octodecim ita vulnerati sunt, quod sanguis eorum ab altari super gradus, et a gradibus in pavimentum, profusus cucurrit. Eodem anno imperator Henricus, in Pentecosten, in concilio Maguntiæ habito Wibertum, Ravennæ urbis episcopum, papam fore designat. Eodem anno Antiochia, caput Syriæ, capitur a paganis, cum tota provincia adjacenti et aliis regionibus multis.

---

[1] *Turstinus,*] or 'Thurstane;' Sax. Chron. 1083, and Florence, where a full account of the cruelty of the abbot is recorded.

Imperator Henricus multos hostium stravit.

Anno Domini MLXXX. Hildebrandus papa, qui et Gregorius, quasi sibi divinitus revelatum, prædixit, falsum regem hoc anno esse moriturum; et verum quidem prædixit, sed fefellit eum de falso rege conjectura, secundum velle suum interpretata super imperatore Henrico. Imperator enim Henricus contra Saxones gravi prælio congreditur, ubi regem falsum, scilicet Radulfum, cum multis Saxoniæ principibus interfecit. A.D. 1080. Prophecy of Hildebrand.

Anno Domini MLXXXI. Willelmus, Rothomagensis archiepiscopus, tenuit [1]concilium apud Lissebonam, præsente rege Willelmo cum principibus et episcopis multis. Eodem anno factus est terræ motus magnus cum gravi mugitu, prima noctis hora, sexto kalendas Aprilis. A.D. 1081.

Marianus Scotus cronica sua huc usque digessit.

Anno Domini MLXXXII. Marianus Scotus, a nativitate Christi cronica sua incipiens, usque ad hunc annum perduxit, multum laborans ut errorem de annis Domini corrigeret, qui in cyclo Dionysii invenitur, sicut visu clarum est; hinc positis annis Domini ab eo secundum cyclum Dionysii, altrinsecus juxta veritatem evangelii. A.D. 1082. Marianus Scotus.

Matildis regina defungitur.

Anno Domini MLXXXIII. Matildis regina, Baldwini comitis Flandrensis filia et uxor Willelmi regis Anglorum, diem clausit supremum, et apud Cadomum in monasterio sanctimonialium, quod ipsa construxerat, honorifice traditur sepulturæ; A.D. 1083. Death of Matilda.

[1] *Concilium apud Lissebonam.*] This should be 'Lillebonam,' or 'Islebonam.' The council of Lillebone was held on the feast of Pentecost, 1080; see Harduin, vi. col. 1597.

A.D. 1083. matrona admodum nobilis et religiosa, de cujus largiflua liberalitate sancta lætatur ecclesia. Domesday Book. Eodem tempore rex Willelmus misit justiciarios per omnes Angliæ comitatus, et [1]inquirere fecit, quot acræ vel jugera terræ uni aratro sufficerent per annum in singulis villis, et quot animalia possent sufficere ad unius hidæ culturam. Fecit etiam inquiri de urbibus, castellis, villis, vicis, fluminibus, paludibus, silvis, quem censum redderent per annum, et quot milites essent in unoquoque comitatu regni; quæ omnia in scriptum redacta, et ad Westmonasterium delata, in thesauris regum usque hodie reservantur. Deinde de unoquoque aratro, id est hida terræ, totius regni sex solidos cepit argenti.

De schismate inter ecclesiam Romanam et imperatorem.

A.D. 1084. Dissension between Rome and the emperor. Anno Domini MLXXXIV. Romani imperatorem Henricum receperunt, et a papatu abjudicatur eorum judicio Hildebrandus; cujus Wibertus, Ravennensis urbis archiepiscopus, in sedem apostolicam inthronizatur et Clemens nominatur, ac juste omnes Hildebrandum fuisse depositum conclamant, tanquam læsæ majestatis reum, qui contra imperatorem alium ordinavit. Illis autem, qui contra sentiebant, [2]reclamantibus, asserunt paucorum et laicorum judicio papam amoveri non posse; et, quod gravius est, in loco viventis episcopi non debere alium ordinari. Henricus tamen in imperio restitutus est, et a papa Clemente benedicitur patricius Romanorum. Eodem quoque anno Cassinensium abbas, Desiderius,

[1] *Inquirere fecit.*] This was the origin of the invaluable record of Domesday Book, upon which the reader may consult the Introduction to that record by Sir H. Ellis, i. p. 4.

[2] *Reclamantibus,*] wanting in *C.*

contra Clementem papa efficitur, sed cito post moritur morbo dysenterico dissolutus. A.D. 1084.

Eodem anno rex Anglorum Willelmus, in Pentecosten, apud Westmonasterium, Henricum filium suum juniorem cingulo militari donavit. Deinde cepit homagia hominum totius Angliæ et juramentum fidelitatis, cujuscunque essent feudi vel tenementi, et, extortis magnæ pecuniæ copiis de quibuscunque aliquam poterat invenire causam juste sive injuste, in Normanniam transfretavit.

De afflictione misera gentis Anglorum.

Anno Domini MLXXXV. cum jam Domini voluntatem super Anglorum gentem Normanni complèvissent, nec vix aliquis princeps de genere Anglorum superesset in regno, omnesque in mœrorem et servitutem redacti fuissent, ita ut Anglicum vocari foret opprobrio, pullulaverunt in Anglia telonia iniqua et consuetudines pessimæ, et quanto magis principes loquebantur de recto et justitia, tanto major fiebat injuria; qui justiciarii vocabantur, omnis injustitiæ fuerunt auctores; qui cervum caperet vel capreolum, oculi eruebantur ei, nec fuit qui murmuraret; amabat enim ferus rex feras, ac si esset pater ferarum. Nefando prorsus usus consilio, hoc egit, ut ubi ante vel humana erat in villis conversatio, vel ecclesiis divina fervebat veneratio, nunc ibi cervi et omne genus ferarum petulanter discurrunt; unde proverbio asseritur, quod per triginta et eo amplius milliaria terra frugifera in saltus sit redacta et lustra ferarum. Ad castra quoque construenda rex antecessores suos omnes superabat. Normannia sibi hæreditario jure provenerat, Cenomanniam armis adquisierat, Britanniam Armoricanam acclivem sibi fecerat, in Anglia solus regnabat, Scotiam et Walliam sub- A.D. 1085. State of England.

A.D. 1085. jugabat; pacis autem tantus amator erat, [1]quod puella [auro] onusta impune posset totam [pertransire] Angliam.

Episcopatus Dorkecestrensis [2]ad Lincolniam transfertur.

The see of Dorchester transferred to Lincoln.

Rex Willelmus, paulo ante, Remigio Fiscamni monacho dederat Dorkecestriæ præsulatum; sed episcopo valde displicuit quod urbs illa modicâ erat, cum in eodem episcopatu civitas Lincolniæ sedi episcopali dignior videretur. Mercatis igitur in ipso montis vertice prædiis, ecclesiam ibidem construxit; et licet Eboracensis archiepiscopus locum et civitatem ad suam diocesim assereret pertinere, assertiones ejus Remigius parvipendens opus inchoatum non segniter peregit, paratumque clericis doctrina et moribus probatissimis decoravit. Erat quidem statura parvus sed corde magnus, colore fuscus sed operibus nitidus; de regia quoque proditione fuit aliquando accusatus, sed quidam famulus ejus igniti[3] judicio ferri dominum purgans, regio amori restitnit, et maculam dedecori pontificali detersit. Hoc auctore, hoc tempore, his de causis incepta est ecclesia moderna Lincolniensis.

Rex Willelmus duo cœnobia fundavit.

A.D. 1086. Anno Domini MLXXXVI. nimia aquarum inun-

[1] *Quod puella auro onusta.*] The same is also said before of the times of Eadwini, king of Northumbria; 'pacem talem in Britannia temporibus suis statuit, ut mulier onusta auro cum puero parvulo, ubicumque vellet, ire posset indemnis;' vol. i. p. 128.

[2] *Ad Lincolniam transfertur.*] It is uncertain at what precise period the removal of the see from Dorchester took place. In the Domesday survey, completed in 1087, Lincoln is spoken of as a city, 'in qua nunc est episcopatus.' Bromton has placed the translation in 1088, and the Scotichronicon in 1092, the year of the death of Remigius.

[3] *Igniti judicio ferri.*] From Henry Huntingdon. For an account of this kind of ordeal, see Spelman, Gloss. ad *voc.* Ordalius.

datio multis in locis periculo fuit et damno, ita quod rupes multæ liquefactæ plures obruerent suâ ruina villas. Circa eosdem dies rex Willelmus duo cœnobia fundavit, unum in Anglia in honorem sancti Martini apud Hastingum, [1]quod 'de Bello' nuncupatur, ubi consertum legitur prælium inter ipsum et Haroldum; quo in loco monachis institutis, ut pro anima regis Haroldi et aliorum ibidem occisorum divina celebrarent constituit, cœnobiumque illud congruis possessionibus ampliavit. Aliud monasterium in Normannia [2]apud Cadomum construxit, quod in honorem sancti Stephani prothomartyris consecratum prædiis opportunis et donariis magnificis insignivit. Ex regina Matilda liberos multos generavit, Robertum scilicet, Ricardum, Willelmum, et Henricum: quorum primogenitus, adhuc patre vivente Normanniam negari moleste ferens, in Italiam abiit ira succensus, ut [3]filia Bonefacii marchionis sumpta adversaretur patri, partibus illis adjutus; sed, hac petitione frustratus, Philippum Francorum regem contra patrem suum excitavit, quare ipsius benedictione et hæreditate cassatus, amissis primogenitis, Anglia post mortem patris sui caruit, ducatu Normanniæ vix retento. Ricardus magnificus et bonæ indolis adolescens, primævæ florem juventutis acerba mors prævenit; tradunt enim ipsum, in Nova foresta cervos insequentem, morbum lethalem incurrisse, in loco videlicet quem rex pater ejus, destructis villis, ut supra dictum est, et ecclesiis subversis, in silvam redegerat densissimam et habitaculum

A.D. 1066. Foundation of Battle abbey.

William's family.

[1] *Quod de Bello nuncupatur.*] Battle abbey was not consecrated until after William's death, in 1094, when William Rufus was present at the ceremony.

[2] *Apud Cadomum.*] St. Stephen's abbey was consecrated on the 17th of June 1066; see Gallia Christiana, tom. xi. p. 431.

[3] *Filia.*] Both MSS. read 'filiam.'

A.D. 1086. bestiarum. Filiæ ipsius quinque erant, quarum Cecilia[1] Cadomi abbatissa fuit; Constantia comiti Britanniæ Alano erat in conjugium data; tertia, nomine Adala, Stephani Blesensis comitis uxor, quæ peperit Stephanum postea regem Anglorum, viro tandem defuncto, apud[2] Mercenniacum sanctimonialis habitum suscepit; quartæ, quæ Haroldo postea Anglorum regi promissa fuerat, ut prædiximus, et quintæ, quæ Aldefonso Galiciæ regi jurata, nomina penitus non audivi. Rex præterea Willelmus in adolescentia prima castitatem adeo respexit, ut publice diceretur, ipsum in fœminam nihil posse; veruntamen, ex procerum sententia matrimonio addictus, ita se habuit, ut pluribus annis nullius probri suspicione notaretur. Subjectis humilis apparebat et facilis, inexorabilis erat rebellibus; diebus singulis missæ adsistebat, matutinos hymnos et vespertinos diligenter cum horis regularibus audiebat; et hæc de moribus ejus dicta sufficiant. Eodem anno Gregorius[3] papa, qui et Hildebrandus, apud Salernum moritur, et moriens, cardinalibus advocatis, confessus est se valde peccasse in cura pastorali, et, suadente diabolo, contra humanum genus iram Dei et odium concitasse; successit ei in cathedra Romana [4]Clemens paucis diebus,

---

[1] *Cecilia.*] She had been educated in the abbey dedicated to the Trinity, which her mother Matilda had founded in Caen; Orderic. Vital. p. 648.

[2] *Mercenniacum.*] Marcigny, on the river Loire, or, according to others, Marchiennes, in Flanders.

[3] *Gregorius papa.*] Gregory the seventh died in May 1085. He was succeeded, after the see had remained vacant for a whole year, by Victor the third, in May 1086, but who was not consecrated until the same month in 1087. He died in the September following, and was succeeded by Urban the second, who was elected in March 1088, and died in July 1099. For an account of the death of Gregory, see Baron. Annal. xvii. p. 565.

[4] *Clemens.*] There seems to be no foundation for this assertion.

et, eo defuncto, Cassinensium abbas Desiderius successit, et Victor nuncupatur. A.D. 1086.

Rex Willelmus tres dedit episcopatus.

Anno Domini MLXXXVII. rex Anglorum Willelmus, in natali Domini curiam suam apud Gloverniam tenens, [1] tribus capellanis suis, Mauritio scilicet Londoniensem, Willelmo Norwicensem, Roberto Cestrensem, dedit præsulatus. Eodem anno obiit [2] Wiscardus, dux Apuliæ, et successerunt ei duo filii ejus, Rogerus et Boamundus. Hoc etiam anno Venetianis meditantibus auferre corpus sancti [3] Nicolai a Myrrea, Lyciæ civitate, a Turcis desolata, præoccupaverunt eos cives Barenses numero quadraginta septem, ab Antiochia Myrream venientes; qui a quatuor monachis tantum ibidem inventis ostendi sibi sancti tumbam extorserunt, qua confracta, ossa sancti Nicolai in olei liquore natantia numero integro extraxerunt, et Barum cum gloria detulerunt. Facta est autem hæc translatio anno septingentesimo quadragesimo quinto a depositione ejusdem sancti pontificis Nicolai. A.D. 1087. Appointment of bishops.

De Berengario hæresiarcha.

Eodem tempore [4] Berengarius, Turonensis archiepiscopus, prolabitur in hæreticam pravitatem. Hic panem et vinum in altari posita, post consecrationem sacerdotis, verum et substantiale corpus Domini esse, sicut sancta et universalis ecclesia Heresy of Berengarius.

---

[1] *Tribus capellanis suis.*] According to the Saxon Chron. these bishops received their appointments in 1085; Wilkins, i. p. 368.

[2] *Wiscardus.*] Robert Guiscard, duke of Apulia, died on the 17th July 1085. His epitaph is given by Malmsbury, p. 441; see Hist. pp. 439, 441, *notes* [1 2], [2 3].

[3] *Nicolai.*] The life of S. Nicholas, bishop of Myra, is printed by Surius, 6th December.

[4] *Berengarius.*] He was not archbishop of Tours, but archdeacon of Angers; he died at Tours in 1088; Pagi, ad an. § x. See Malmsb. § 284.

A.D. 1087. prædicat, denegabat; itaque scatebat omnis Gallia ejus doctrina per egenos scholares, quos quotidianis stipendiis sustentaverat, divulgata. Unde papa Leo, qui Victori successerat, soliditati ecclesiæ catholicæ providens, Vercellis concilium statuit contra ipsum, ubi tenebrosas nebulosi erroris ejus evangeliorum testimoniorum fulgore detersit; sed licet primum juventutis calorem aliquarum hæresium defensione infamaverit, ævo maturiore tamen ita resipuit, ut sine retractatione a quibusdam sanctus habeatur, in multis operibus bonis et maxime humilitate et eleemosynarum largitione approbatus.

De inventione sepulchri Walwenii.

Tomb of Gawaine discovered. Hoc quoque tempore in provincia Walliarum, quæ Ros vocatur, inventum est [1]Walwenii sepulchrum, qui fuit Arturi magni regis Britonum ex sorore nepos, super ripam maris, longitudinem habens quatuordecim pedum. Regnavit enim in ea parte Britanniæ, quæ hucusque Walweitha vocatur; vir in militia et in omni civilitate famosissimus, sicut superius, ubi de gestis Britonum tractatum est, constat luculenter expressum.

De morte Willelmi regis Angliæ primi, et de coronatione Willelmi Rufi.

Death of William I. Eodem anno rex 'Anglorum Willelmus in Normannia moram faciens, aliquantulum se continuit ab inimicitiis cum rege Francorum [2]contractis; cujus rex Francorum Philippus abutens patientia, opprobriose fertur dixisse, 'Rex,' inquiens, 'Anglorum jacet Rothomagi, cubile fovens more parturientium fœminarum; [3]sed, cum post partum

[1] *Walwenii.*] He was killed at Sandwich in 541; see vol. i. p. 74.

[2] *Contractis,*] wanting in *C.*

[3] *Sed, cum post partum.*] This is recorded by Malmsbury as the

sese purificaturus ad ecclesiam exierit, centum millia candelas cum eo veniam oblaturus.' His igitur et his similibus rex conviciatus, adveniente mense Augusto, quando segetes in agris, botri in vineis, et poma in viridariis copiam sui ostendunt, coacto exercitu copioso, Franciam infestus aggrediens omnia conterit, omnia populatur; nihil erat quod animum commoti regis placaret, ut injuriam contumeliose acceptam multorum dispendio mitigaret. Postremo [1]Mœantum civitatem injectis ignibus concremavit, succensa illic sanctæ Mariæ ecclesia cum duabus reclusis, quæ nec in tali necessitate putarunt suas fore ædiculas deserendas; quo actu exhilaratus rex, dum suos incitat ut ignibus adjiciant pabula, prope flammas accedens ignium calore et autumnalis æstus inæqualitate morbum incurrit. Auxit præterea ægritudinis ejus molestiam, quod præruptam fossam equus regis transiliens interanea dirupit insidentis; quo nimirum dolore acriter afflictus Rothomagum remeavit. Cum languor per dies ingravesceret, excipitur lecto, morbi necessitate compulsus; consulti medici, urinæ inspectione, mortem certissimam prædixerunt. Resumpto tamen paulisper spiritu, quæ Christiani sunt in confessione et viatico exsecutus est; Normanniam filio suo Roberto, Angliam Willelmo Rufo, possessiones maternas cum thesauris Henrico legavit; vinctos suos omnes liberari a carceribus et solvi, thesauros efferri et ecclesiis dispertiri, præcepit; numerum pecuniæ sufficientem ad reparationem basilicæ sanctæ Mariæ nuper

A.D. 1087.

answer of William to the French king, that after his lying-in he would offer a thousand lights in France, in allusion to the custom of women offering lighted tapers at their churching; see Durand, vii. c. 7.

[1] *Mœantum.*] Mantes, upon the Seine.

A.D. 1087. crematæ assignavit. Ordinatis igitur rite rebus omnibus, octavo idus Septembris [1]decessit, anno regni sui vigesimo secundo, ducatus vero quinquagesimo secundo, vitæ suæ quinquagesimo nono, Dominicæ incarnationis millesimo octuagesimo septimo. Corpus defunctum Cadomum per Sequanam delatum magna ibi prælatorum frequentia [2]traditur sepulturæ. Robertus filius ejus primogenitus, tempore quo pater defunctus

William Rufus. est, contra patrem in Francia rebellavit. Willelmus Rufus, antequam pater exspirasset, ad Angliam transfretavit, utilius sibi ducens in posterum quam paterni corporis exsequiis interesse; solus Henricus ex liberis omnibus intererat, qui militi cuidam, ad cujus patrimonium locus ille, in quo corpus regis sepultum fuerat, avito jure spectabat, minacem militis calumniam compescens centum contulit libras argenti. Porro [3]in Anglia Willelmus, in pecunia dispertienda nec segnis neque parcus, omnem thesaurum patris Wintoniæ accumulatum in lucem proferens, monasteriis aurum, ecclesiis parochianis argenti solidos quinque, unicuique provinciæ libras centum egenis dividendas misericorditer assignavit; patris etiam sepulturam, processu temporis, ingenti congerie auri et argenti cum splendore gemmarum perspicue adornavit; et his ita gestis, mox Willelmus, volentibus omnium provincialium animis acceptus, totam Angliam pro suo libitu subjugavit et claves thesaurorum ubicunque susceperit. [4]Accessit etiam favori ejus archiepiscopus Lanfrancus, eo quod illum nutriverat et militem

---

[1] *Decessit.*] The account of the Conqueror's last moments, and his address to his sons, may be found in Ordericus Vitalis, p. 656.

[2] *Traditur sepulturæ.*] He was buried in S. Stephen's abbey, which he had himself founded.

[3] *In Anglia.*] 'In Angliam,' *C.*

[4] *Accessit.*] 'Accessitque,' *C.*

fecerat, patre adhuc vivente; quo auctore, in die sanctorum martyrum Cosmæ et Damiani, Angliæ diadema adeptus, reliquum hyemis tempus favorabiliter transegit. Veruntamen nobiles regni fere omnes, non sine perjurio in Willelmum regem jam coronatum bella moventes, et Robertum fratrem ejus primogenitum in regnum adoptantes, in suis quisque provinciis debacchatur. Eodem anno Saraceni Hispani in Christianos efferati, mox ab Aldefonso rege Galiciæ ad sua redire compulsi, quasdam urbes, quas olim tenuerant, amiserunt. Hoc denique tempore rex Danorum Cnuto[1] a suis interemptus est. A.D. 1087.

De conspiratione magnatum contra regem Willelmum.

Anno Domini MLXXXVIII. cum rex Willelmus ad natalem Domini curiam suam Londini tenuisset, postea in initio veris bellum contra Odonem patruum suum movit episcopum Baiocensem. Nam cum ille solutus a vinculis Robertum nepotem suum in ducatu Normanniæ confirmasset, Angliam venit et accepit ex dono regis Cantiæ comitatum; sed cum omnia non pro suo arbitratu, ut olim, in regno disponi videret, livore percussus a rege descivit, et multos eodem susurru in Anglia maculavit. Roberto fratri regnum competere dixit, qui juveniles stultitias multis jam laboribus mitigaret; Willelmum delicate nutritum affirmat, tam animo quam vultu esse ferocem, pectore timidum, omnia contra jus et fas temere fore moliturum, ut honores jam dudum multis sudoribus adquisitos amittant. [2]Hæc A.D 1088. Conspiracy against him.

[1] *Cnuto.*] He was murdered in the church of Odensee, on the 10th July 1086; Antiq. Celto-Scand. p. 228.

[2] *Hæc idem Odo.*] Ordericus Vitalis puts into the mouth of these men a speech, in which the reasons for their rebellion are

A.D. 1088. idem Odo, hæc Rogerus de Monte-Gomerico, hæc dixerunt [1]Gaufridus, Constantiniensis præsul, cum comite Northumbrensium Roberto, et alii plures, qui [2]omnes primo clam, et post palam, missis epistolis frequentabant. Willelmus etiam Dunelmensis episcopus, quem rex Willelmus justiciarium fecerat, in eorum perfidiam conspirarat. Itaque Odo prædam ingentem ad Rofense castrum comportabat, regios in Cantia fiscos devastans et maxime terras archiepiscopi Lanfranci, eo quod a primo rege Willelmo consilio ejus se conjectum in vinculis asserebat; nam cum olim Willelmus rex senior coram Lanfranco conquereretur se ab Odone fratre suo et episcopo deseri, 'Tu,' inquit Lanfrancus, 'apprehende illum et vinci;' et rege respondente, quod clericus esset et episcopus, respondit archiepiscopus, 'Non episcopum,' ait, 'Baiocensem capies, sed Cantiæ comitem custodies;' quod et factum est. Igitur Gaufridus, Constantiniensis antistes, cum nepote Roberto, [3]Bathoniam et Berkeleiam depopulans, in pago Wiltensi manubia apud Bristollum comportabat. Rogerus de Monte-Gomerico, armatos cum Wallensibus a Scrobesberia dirigens, Wi-

---

stated, namely, that having great possessions in both Normandy and England, if the empire of the two countries was to be divided, it would be impossible for them to keep on such terms with both parties as to enable them to protect their property. It was therefore their intention to place Robert, who was already possessed of Normandy, upon the throne of England, and so keep both kingdoms united.

[1] *Gaufridus.*] Geoffrey de Montbray, bishop of Coutance, was chief justiciar of England, and died on the 4th February 1093. Malmsb. p. 487, *note* [1].

[2] *Omnes primo clam.*] 'Execrabile hoc factum clam tractaverunt in Quadragesima, quod cito in palam prorumpi posset post Pascha;' Flor. Wigorn.

[3] *Bathoniam et Berkeleiam.*] 'Goffridus, episcopus Cantuariensis, et Rodbertus de Mulbrei iverunt Brycstone, ubi habebant castrum fortissimum, et omnia devastabant, usque locum, qui vocatur Bathan;' Sim. Dunelm.

gorniensem pagum prædabatur; sed cum Wigor- A.D. 1088.
niam infestus venisset, regii milites, benedictione [1]beati Wlstani episcopi, cui castri custodia commissa fuerat, freti, multis hostium captis et interfectis, pauci multos turpiter effugarunt. Hugo Bigod apud Norwicum, et Hugo de Grantemenil apud [2]Leircestram, suis quisque partibus, rapinis indulgebant.

Quomodo rex Willelmus in desertores suos vexilla direxit et arma.

Videns[3] igitur rex Willelmus omnes pæne regni proceres in una rabie conspiratos, Anglos fortes et probos invitavit, quibus bonas leges et tributorum levamen liberasque pollicens venationes sibi ad fidele servitium obligavit. Nec minori astutia Rogerum de Monte-Gomerico secum equitantem circumvenit, dicens se libenter regno cessurum, si sibi et aliis, quos pater tutores sui reliquerat, utile videretur; si velint, pecunias vel possessiones pro suo arbitrio accipiant, et prorsus quæcunque voluerint in regno pro beneplacito suo disponant; tantummodo videant ne periclitetur judicium genitoris, quod si de se judicaverit contemnendum, exemplum caveant de seipsis, præcipue cum idem se regem qui comites constituit illos. His verbis comes Rogerus convictus, qui primus post Odonem hujus factionis signifer fuit, primus omnium pœnitentia ductus defecit. Continuo igitur rex in desertores suos profectus castella patrui sui Odonis episcopi, Tunebregge scilicet et Pevenesel, confregit; et ipso episcopo in posteriori intercepto vinculis manci- Proceedings of William.

[1] *Beati Wlstani.*] In Malmsbury's life of Wulstan, it is asserted that he died on the 19th of January 1087. Upon this error see Angl. Sacr. ii. p. 267, *note*.

[2] *Leircestram.*] 'Lencestram,' C.

[3] *Videns igitur.*] Compare the account following with Malmsb., and Ordericus Vitalis, p. 667.

A.D. 1088. pavit, et ad castrum Rofense illum ducentes regii milites ab inclusis ingressum requirunt; addunt etiam, hoc dominum suum velle, hoc regem absentem jubere ; erat autem tunc in castro illo tota fere juventutis Angliæ et Normanniæ nobilitas, tres scilicet filii comitis Rogeri, et Eustachius comes Bononiæ junior, cum aliis multis quos nominatim prætermitto. Inclusi vero, extra de muro prospicientes, vultum episcopi cum militum verbis non convenire conjectant, unde ocius apertis valvis exeuntes omnes cum episcopo milites regios in castellum vinctos reducunt; sed rumor facti ad regem cito prolabitur, qui iram intra conscientiam revolvens stipendiarios suos Anglos congregat, jubet ut compatriotæ ad obsidionem veniant, nisi velint sub nomine [1]Nithing, quod Latine 'nequam' sonat, remanere. Angli quidem, qui nihil miserius æstimant quam hujusmodi dedecore vocabuli notari, catervatim ad regem confluunt invincibilem exercitum congerentes ; nec inclusi diutinam obsidionem ferre prævalentes castellum regi reddiderunt. Odo igitur episcopus secundo captus Angliam perpetuo abjuravit; episcopum Dunelmensem rex, prætentæ[2] amicitiæ verecundia ductus, liberum abire permisit, qui mox ad Normanniam transfretavit; cæteris omnibus in fide receptis. Denique, inter has obsidionis moras, ministri regis mare custodientes quosdam, quos dux Robertus in auxilium prædictorum miserat schismaticorum, partim cæde et partim naufragio oppresserunt; quorum quidam fugam meditantes vento destituuntur, et sic ludibrio Anglis sibique exitio exsti-

---

[1] *Nithing*,] or 'Nidering,' is supposed by Somner to denote such as would rifle a dead body; Malmsb. p. 489, *note* [3]. See also Spelman, ad *voc.*

[2] *Prætentæ*.] 'Præteritæ,' *C.*

terunt, nam, ne vivi caperentur, ultro sese fluctibus submerserunt. A.D. 1088.

De quodam divite a muribus devorato.

Anno Domini MLXXXIX. Odo, ex monacho Cluniacensi episcopus Ostiensis effectus, contra [1]Clementem papam et Henricum imperatorem papa et Urbanus vocatur. [2]Hujus papæ temporibus Alemannicus comes quidam, Henrici imperatoris persecutor gravissimus, cum quodam die tristis ad mensam resideret, ministrantium stipatus catervis, ita repente a muribus est circumvallatus ut nusquam sibi diffugium appareret; tantus enim erat illarum numerus bestiolarum ut in regione nulla tot crederes abundare. Itaque famuli cum fustibus et baculis, qui ad manus veniebant, cum muribus occurrissent, diu in illos sævientes nihil penitus profecerunt, quin dominum solum dentibus terribili quodam corrosu laniarent; et quamvis a ministris magno conatu baculis percuterentur, nulli tamen damnum inferebant, quia nec ipsas tangere bestiolas aut lædere potuerunt. [3]Tandem a servientibus longius ad pelagum delatus et in eum navi devectus murium sic violentiam non evasit; nam illico tanta bestiolarum multitudo inundavit in pelago, ut navis tabulata corrodens perforaverit, ut certum naufragium aqua per rimas ingrediens minaretur; sed famuli hæc videntes, puppem ad littus celeriter retorquebant, sed mures antequam navis ad terram venientes miserum illum in aridam A.D. 1089. Legend.

[1] *Clementem.*] For 'Clementem' we should probably read 'Guibertum;' see Baron. Annal. ad an. 1085, § 8.

[2] *Hujus papæ temporibus.*] 'Hujus temporibus,' C. — The legend following, an admirable companion to Mr. Southey's bishop Hatto, is from Malmsbury, § 290.

[3] *Tandem.*] 'Quapropter a famulis ultra jactum sagittæ in pelagus provectus, nec sic violentiam evasit.' Malmsb.

A.D. 1089. devectum invaserunt, qui mox totus a bestiolis illis dilaceratus horrendam earum famem in momento refecit.

De morte Lanfranci, Cantuariensis archiepiscopi.

Death of Lanfranc. Eodem anno [1]obiit Lanfrancus, Cantuariensis archiepiscopus, qui, inter cætera quæ fecit pietatis opera, majorem ecclesiam Christi Cantuariensem renovavit, officinas monachorum fabricavit, dignitates ecclesiæ, quæ antecessorum suorum incuriâ deciderant, reformavit, terras multas quæ ablatæ fuerant revocavit, viginti quinque maneria monasterio restituit sæpe dicto, xenodochia vel [2]protrophia duo extra civitatem construxit, quibus de suo sufficienter annuos reddidus assignavit; ecclesiam Roffensem restauravit, et in ea monachum Becci, Hernostum, episcopum ordinavit, in cujus consecratione versus iste inventus est super altare; 'Cito proferte stolam primam,' etc. Quem cum vidisset archiepiscopus, prædixit eum cito moriturum; nam ei in episcopatu anno nondum completo decedenti successit Gundulfus, Beccensis monachus, qui perseveravit usque in tempora Henrici regis. Abbatiam[3] beati Albani, Anglorum protomartyris, ad statum reduxit; Angliam, rege absente, custodivit, lectioni assidue vacavit, libros veteris ac novi Testamenti, scriptorum vitio corruptos, corrigere studuit, cujus emendationis luce tam Anglorum ecclesia quam Gallorum se gaudet illustrari. Defuncto itaque venerabili patre

[1] *Obiit Lanfrancus.*] For the life of Lanfranc consult Malmsb. de Pontif. p. 205, *seqq.* He died the 24th or 28th of May 1089.

[2] *Protrophia.*]'Procotrophia,'*C.*

[3] *Abbatiam beati Albani.*] Malmsbury says that he rebuilt the abbey for the sake of his kinsman Paul, who had been made abbot at his own intercession. Mat. Paris, in his life of abbot Paul, states him to have been, according as some supposed, the son of the archbishop.

Lanfranco, rex Willelmus ecclesias et monas- A.D. 1089.
teria fere totius Angliæ in manu sua, pastoribus defunctis, retinens, gravi omnia depopulatione vastabat et ad firmam laicis commendabat.

Quod rex Willelmus et dux Robertus in concordiam convenerunt.

Anno Domini MXC. rex [1]Willelmus contra Ro- A.D. 1090. Alliance between William and Robert of Normandy.
bertum fratrem suum Normannorum ducem arma movens, castella sancti Walerici et Albemarliæ cepit, qui, milites suos immittens, comburere terram fraternam et prædari cœpit; sed, anno fere elapso, solertia amicorum in concordiam convenerunt, eo scilicet pacto, ut castra illa, quæ frater ab illo adquisierat, regi remanerent, et rex adjuvaret eum ad omnia quæ pater ejus habuerat præter Angliam conquirenda; statuerunt etiam ut, si quis eorum prius obiret absque hærede, superstes fieret hæres illius; quod pactum juraverunt duodecim principes vice regis, et duodecim barones vice ducis. Rex interea Scotorum Malcolmus in Anglia prædas agens validissime eam vexavit; venientes igitur rex et frater ejus Robertus in Angliam acies duxerunt in Scotiam, unde Malcolmus nimio terrore percussus homagium regi fecit Anglorum et fidelitatem juravit. Robertus autem dux, cum rege fratre diutinas nectens moras, tandem in Normanniam transfretavit.

De prudentia Malcolmi, regis Scotorum.

Quoniam [2] de rege Malcolmo fecimus mentio- Malcolm king of Scotland.
nem, cujus esset animi et modestiæ, paucis ex-

[1] *Willelmus contra Robertum.*] Compare the following accounts with Florence and the Saxon Chronicle, and Ordericus Vitalis, p. 692.

[2] *Quoniam de rege Malcolmo.*] The following anecdote is to be found also in Ailred of Rievaulx, Scriptt. Dec. col. 367.

A.D. 1090. pedire curabo. Delatum est ei aliquando, quendam de summis proceribus suis de eo occidendo cum suis hostibus convenisse; rex autem accusatori silentium imperavit, siluit et rex ipse proditoris, qui tunc forte aberat, adventum exspectans. Qui cum ad curiam cum magno apparatu regi insidiaturus venisset, jubet rex summo mane cum canibus omnes venatores adesse; et cum jam aurora illuxisset, rex, cunctis proceribus et militibus advocatis, venatum ire festinat, veniensque ad quandam latam planitiem, quam in modum coronæ silva densissima cingebat, rex secum in ea suum retinuit proditorem, seorsumque, aliis canes et feras insequentibus, a cæteris solus cum solo recessit. Ab omni denique remotus aspectu substitit rex, et respiciens in proditorem dixit; 'Ecce,' inquit, 'ego et tu mecum, solus cum solo, similibus protecti armis, equis similibus vecti, non est qui videat, non est qui audiat, nec qui alteri nostrum suffragium ferat; si igitur habes cor, si vales, si audes, imple quod proposuisti, redde hostibus meis et complicibus tuis quod promisisti. Si enim me occidendum putās, quando rectius, quando secretius, quando virilius; si venenum parasti, hoc mulierclarum esse quis nesciat? Si lectulo insidiaris, hoc adulteræ possunt; si ferrum ut occulte ferias abscondisti, hoc sicarii et non militis esse officium, nemo est qui dubitet. Age ergo quod viri est et militis, et solus cum solo congredere, ut saltem proditio tua turpitudine careat, quæ infidelitate carere non potest.' Miles autem hæc audiens, mox verbis regis quasi gravi percussus fulmine, ex equo in terram corruit, armisque projectis ad pedes regios cum lachrymis et tremore cucurrit. Cui rex, 'Noli timere,' inquit, 'quia nihil mali a me patieris.' Qui cum ei de

cætero se fidelem et amicum, præstito juramento obsidibusque datis, futurum promisisset, tempore opportuno revertuntur ad socios, quæ fecerant vel quæ dixerant, nulli penitus referentes. A.D. 1090.

De monachis apud Tynemutham primo introductis.

Endowment of Tynemouth priory by Robert de Mowbray.

Circa hos denique dies Robertus de Molbraio, Northumbrensis comes, volens, divina inspiratione tactus, [1]ecclesiam beati Oswini de Tynemutha jamdudum desolatam restaurare, atque ibi Deo et sancto martyri Oswino monachos servituros ponere, consilio amicorum suorum, Paulum ecclesiæ sancti Albani abbatem convenit, petens obnixius et devote, ut de monachis suis aliquos illuc transmittere dignaretur, promittens omnia victui et vestitui necessaria se eis abundanter daturum. Cujus petitioni abbas prædictus adquiescens, quosdam illuc a sancti Albani monachis destinavit, quibus comes præfatus, cum in maneriis, ecclesiis, redditibus et piscariis, cum molendinis et rebus omnibus sufficienter providisset, et cartis suis prædicta omnia ab omni seculari servitio soluta et penitus libera confirmasset, dedit prædicto abbati Paulo ejusque successoribus, et ecclesiæ beati Albani Anglorum protomartyris, ecclesiam de Tynemutha, cum omnibus pertinentiis suis, pro salute propria et omnium antecessorum suorum sive successorum, eternaliter possidendam; ita quidem ut abbates sancti Albani, qui pro tempore fuerint, cum consilio ejusdem loci conventus, liberam habeant dispositionem priorum et monachorum, tam in illis ponendis quam removendis, sicut viderint expedire.

[1] *Ecclesiam beati Oswini.*] Compare the life of abbot Paul by Matthew Paris, p. 51.

De morte Remigii, Lincolniensis episcopi.

A.D. 1091. Death of Remigius, bishop of Lincoln.

Anno Domini MXCI. [1] Remigius, Lincolniensis antistes, cum ecclesiam suam jam perfectam dedicare disponeret, rege præsente et episcopis multis, Thomas Eboracensis archiepiscopus resistendo contradicebat, affirmans eam in sua parochia esse constructam; unde pro appellatione ab archiepiscopo interposita, et pro morte Remigii, quæ illico est secuta, dedicatio remansit imperfecta. Eodem anno Methis corpus sancti Clementis, primi episcopi ab apostolis illic ordinati, inventum est et in feretro collocatum.

De abbate mortuo, qui cellararium flagellavit.

Legend.

Sub [2] eisdem diebus in Fuldensi cœnobio lues exitialis adeo grassata est, [3] quod primum abbatem, et post multos monachorum exstinxit. Fratres autem, qui superstites remanserant, luem metuentes præfatam, cœperunt largas eleemosynas facere et orationes, tam pro animabus fratrum defunctorum quam pro ereptione vivorum; sed processu temporis, ut fieri solet, cœpit devotio fratrum paulatim deficere, cellarario constanter affirmante, facultates ecclesiæ non sufficere ad expensas adeo profusas; addidit etiam, stultum videri, ut mortui illud consumant, unde vivos necesse est sustentari. Itaque, cum nocte quadam idem cellararius pro rebus necessariis noctis soporem aliquantulum distulisset, completis tandem negotiis, dormitum ire festinabat; et ecce, cum ante ostium capituli transitum faceret, vidit abbatem et fratres, qui illo anno obierant omnes,

---

[1] *Remigius.*] According to Simeon and Florence he died in the previous year.

[2] *Sub eisdem diebus.*] The legend following is from Malmsbury, § 293.

[3] *Quod primum.*] 'Quæ primo,' C.

juxta consuetudinem in capitulo considere. At cellararius tali visione perterritus fugere cœpit; sed, abbate jubente, a fratribus captus est et in capitulum adductus. Increpatus ergo et graviter flagellis afflictus audivit abbatem dicere comminando, nimis esse præsumptuosum de morte alterius quempiam lucrum quærere, præcipue cum mori omnibus sit commune; addidit etiam, impium esse, cum monachus omnem vitam in ecclesiastico consumpserit officio, illum saltem post mortem unius anni vitali defraudari subsidio; 'Vade,' inquit abbas, 'quia cito morieris, et fratres alios tuo corrige exemplo, quos avaritiæ corrupisti documento.' Abiit ergo frater ille ad socios suos, et nihil vanitatis se vidisse tam recentibus plagis quam vicino suo obitu demonstravit. A.D. 1091.

Rex Willelmus infirmatus emendationem legum promisit.

Anno Domini MXCII. [1]Willelmus junior apud Gloverniam jacebat ægrotus, quadragesimali tempore infirmatus. Promisit rex, præ timore mortis et ægritudinis punctionibus, sese pravas leges emendaturum et in domo Domini pacem positurum; [2]qua de causa dedit archiepiscopatum Cantuariensem Anselmo abbati Beccensi, viro venerabili, atque [3]Roberto, cognomento Bloet, cancellario suo, dedit episcopatum Lincolniensem; sed rex, ex quo sanus effectus est, ostendit se solito deteriorem. Doluit enim supra modum quod episcopatum Lincolniensem non vendiderat, præcipue eo quod Thomas, Eboracensis archiepi- A.D. 1092. Conduct of the king.

[1] *Willelmus.*] 'Rex Willelmus,' *C.*

[2] *Qua de causa.*] Eadmer says that Anselm had been before named as a fit person to fill the see, but that the king whilst in health had refused to listen to the proposal. Hist. Nov. p. 15.

[3] *Roberto . . . Bloet.*] He died on the 10th of January 1123.

A.D. 1092. scopus, conquestus est contra Robertum episcopum, quod urbs Lincolniensis et provincia Lindissæ tota spectare ad suam diocesim debuissent; nec potuit causa inter eos terminari, donec Robertus episcopus regi quingentas libras pepigerat pro suæ ecclesiæ libertate, sed hoc regi pro simonia, post vero pro justitia, reputatum. Eodem anno rex Scotorum Malcolmus in Angliam prædatum veniens interceptus est et [1]subito interfectus, et pariter cum eo filius ejus, et hæres si supervixisset; quod ut audivit regina ejus Margarita, duplici contritione, corporis scilicet et animæ, contrita est usque mortem; pergens enim ad ecclesiam confessionem et communionem suscepit, et precibus sese Domino commendans spiritum exhalavit. Tunc Scoti elegerunt [2]Duvenal, fratrem Malcolmi, in regem; sed [3]Dunecannus, filius Malcolmi, qui obses erat in curia regis Willelmi, auxilio ejus superveniens avunculum fugavit, et post patrem regnavit. Eodem anno Johannes,[4] Wellensis præsul, natione Turonicus, consensu Willelmi regis, albo unguento manibus ejus delibatis, transtulit in Bathoniam sui cathedram præsulatus.

Death of Malcolm.

De restauratione Cardoliensis civitatis.

A.D. 1093. Carlisle rebuilt. Anno Domini MXCIII. rex Anglorum Willelmus reædificavit civitatem Cardolii, jam per annos ducentos persecutione Danica desolatam, et ex australibus Angliæ finibus illuc habitatores

[1] *Subito interfectus.*] Florence says that Malcolm and his son were killed by the soldiers of Robert de Mowbray, earl of Northumberland, on St. Brice's day (13th Nov.); according to the Sax. Chron. by one Morael, the earl's steward.

[2] *Duvenal,*] or Donald; so Simeon and Florence.

[3] *Dunecannus.*] 'Dunecanus,' C.

[4] *Johannes, Wellensis præsul.*] John de Villula was authorized to remove the see to Bath, by a charter from William, dated the 25th of January 1090; printed in Dugdale, ii. 266.

transmisit. Eodem anno tanta erat inundatio pluviarum, quantam nemo meminerat antea accidisse; deinde, superveniente tempore hyemali, flumina ita sunt congelata ut equitantibus permeabilia viderentur, sed, tandem gelu resoluto, confracti sunt pontes glacialium impetu crustarum. Hoc quoque anno [1]Ivo, Belvacensis præpositus, a papa Urbano consecratus episcopus Carnotensis. Eodem anno baculus ignitus a meridie ad aquilonem per cælum ferri visus est kalendis Augusti, et secuta est fames valida, famemque tanta mortalitas hominum, ut vix vivi sufficerent mortuos sepelire. [2]Per idem tempus rex Willelmus a fratre Roberto provocatus, quod jusjurandum non observasset quod illi fecerat, in Normanniam transfretavit; et, cum fratres convenirent ad colloquium, juratores utrorumque culpam totam in regem refuderunt. Rex quoque eos negligens et iracunde discedens castellum Burense invasit et cepit; e contra, Dux castrum Argentonum cepit, et in eo consulem regis Rogerum Pictavensem, et cum eo milites septingentos, et Hulmense castellum consequenter. Rex interim summoneri fecit viginti millia peditum de regno Anglorum, ut in Normannia convenirent; qui cum ad mare venissent transituri, rex a singulis eorum pecuniam victualem decem scilicet solidos accipiens, omnes domum remisit. Dux vero Robertus adduxit in Normanniam Philippum regem Francorum, et exercitum copiosum, ut obsideret apud castrum de Auco regem Willelmum; sed rex Francorum, pecuniæ tenebris excæcatus, rediit in Franciam et exercitus ejus A.D. 1098.

[1] *Ivo.*] Upon the date of Ivo's appointment to the see of Chartres, see Pagi, ad an. 1092, § 3.

[2] *Per idem tempus.*] According to the Sax. Chron. in the following year.

A.D. 1093. totus ; quo viso, dux Robertus expeditionem dimisit, et rex Willelmus in Angliam rediens ecclesias et monasteria totius regni gravi redemptione afflixit. Eodem anno [1]abbas Paulus, ecclesiæ sancti Albani, facta apud Tynemutham visitatione pastorali, dum rediret ad ecclesiam suam, in villa quæ [Colewich] dicitur, gravi ægritudine infirmatur; qui ibidem lecto decumbens, invalescente ægritudine, tertio idus Novembris diem clausit extremum ; unde corpus ejus apud sanctum Albanum delatum, ibidem est honorifice tumulatum. Remansit autem ecclesia sancti Albani in manu regis Willelmi secundi annis quatuor pastorali solatio viduata.

De consecratione Anselmi, Cantuariensis archiepiscopi.

Anselm consecrated. Eodem anno, [2]convenientibus totius Angliæ episcopis, quibus intererat Thomas, Eboracensis archiepiscopus, Anselmum, Cantuariensem electum, consecravit antistitem pridie nonas Decembris. Verum cum ante ordinandi pontificis examinationem, [3]Walkelinus, Wintoniensis episcopus, ecclesiastico more electionem scriptam legeret, mox Thomas, archiepiscopus Eboracensis, conquestus est scriptum [4]rite non esse factum. Nam cum diceretur, 'Fratres coepiscopi mei, nostræ fraternitati est cognitum, quantum temporis est, ex quo sancta Dorobernensis ecclesia, totius Britanniæ metropolitana, sit pastore viduata;' respondit Thomas et dixit, 'Si totius Britanniæ ecclesia Dorobernensis metropolitana est, eccle-

[1] *Abbas Paulus.*] See his life by Mat. Paris, p. 53.

[2] *Convenientibus.*] Compare Wilkins, Concil. i. p. 370, *seqq.*

[3] *Walkelinus,*] or Walkelmus ; he died the 3rd January 1097. See his epitaph in Angl. Sacr. i. p. 256.

[4] *Rite non esse factum.*] Compare the following account with Eadmer, Hist. Nov. p. 21.

sia Eboracensis, quæ metropolitana esse scitur, A.D. 1093.
metropolitana non est; et quidem ecclesiam Cantuariensem primatem esse scimus, non metropolitanam.' Quod verbum cum fuisset auditum, ratione esse subnixum est intellectum; tunc, mutato scripto, pro 'totius Britanniæ ecclesia metropolitana,' 'totius Britanniæ primas' scriptum est, et controversia tota quievit; itaque consecravit illum ut primatem totius Britanniæ. Ubi inter sacrandum, pro ritu ecclesiæ, textus evangelii cum ab episcopis super eum apertus teneretur, et consecratione peracta inspiceretur, in paginæ summitate hæc sententia est reperta; 'Vocavit multos, et misit servum suum, et cœperunt omnes excusare.'

De episcopatu pecunia adquisito.

Anno Domini MXCIV.[1] Herebertus, cognomento A.D. 1094.
Losinga, ex abbate Ramesiensi, empto præsulatu, factus est episcopus ecclesiæ Theodfordensis; sed postmodum pœnitentia ductus Romam profectus est, simoniacum baculum papæ resignans et annulum; veruntamen clementissimæ sedis indulgentia iterum recipere meruit resignata; qui domum reversus sedem episcopalem transtulit ad Norwicum, atque ibi congregationem instituit monachorum. Eodem anno rex Willelmus misit Henricum fratrem suum in [2]Normanniam cum pecunia multa, ut eam loco suo diutinis vexationibus impugnaret. Nam Robertus, comes Northanhumbrorum, in superbia elatus curiam regis repudiabat adire; promovit ergo exerci-

Case of simony.

[1] *Herebertus.*] From Simeon of Durham, ad an. 1094. He was allowed to transfer the see of Thetford to Norwich in this year, where he built a palace.

[2] *Normanniam.*] All the MSS. cited by Wats here read 'Northanhumbriam; the text agrees with the statement as it is recorded in the Saxon Chronicle.

A.D. 1094. tum in Northanhumbriam contra Robertum, ubi in Novo-castello omnes potentiores de familia comitis cepit et vinculis mancipavit; et inde ad castellum de Tynemutha profectus, fratrem consulis Roberti cepit in eo, et usque castellum de Baanburgo illum adducens, comitem Robertum ibidem obsedit; sed cum castellum inexpugnabile advertit, ante castellum illud castellum aliud ligneum construxit, quod [1] Malveisin appellavit, in quo partem exercitus sui relinquens inde recessit. Cumque quadam nocte comes ab eo clam recessisset, secutus est eum exercitus regis usque ad Tynemutham; ubi, cum defendere se conaretur, sine vulnere captus est et apud Windleshoram incarceratus. Redditum est ergo regi castellum de Baanburgo, et omnes comitis fautores male tractati sunt; nam Willelmus de Auco oculis privatus est, et Odo, consul Campaniensis, et cæteri plures exhæredati. Eodem anno impiger rex Willelmus in Walliam exercitum duxit, eo quod anno præterito iidem Wallenses multos Normannorum occiderant et procerum confregerant firmitates, castellum de Monte-Gomerii prostraverant et habitantes in eo necaverant, igne et ferro finitimos conterentes; rex igitur Willelmus omnes fines Walliæ hostiliter perlustrans, cum in montium diverticulis et silvarum densitatibus ipsos persequi non valeret, parum proficiens ad propria remeavit. Eodem tempore stellæ de cælo cadere visæ sunt, adeo spissæ quod non poterant numerari; inter quas cum unam magnam quidam labi in Gallia stuperet, cum notato loco aquam ibi fudisset, fumum cum stridoris sono de terra exire, obstupuit vehementer.

[1] *Malveisin*;] called also 'Malvoisin,' or 'Malvicine,' a bad neighbour. Spelm. Gloss.

Rex Willelmus ab Anselmo mille libras exegit.

Hoc denique tempore rex Anglorum Willelmus [1] Anselmum, Cantuariensem archiepiscopum, circumvenire affectans, mille libras argenti sibi dari instantius ab eo postulabat; allegabat enim ut sibi videbatur causam justissimam ex hoc, quod gratis in promotione sua promptum præbuisset assensum. Archiepiscopus vero pro indifferenti habens, ante promotionem vel post, talem ob causam numerare pecuniam, pari pœna feriendum arbitrabatur utrumque; sed quia saccos regis, ni læsa conscientia, implere non poterat, elegit potius regis indignationem incurrere quam dispendium famæ et periculum in præsens animæ inire, et in posterum confusionem et scandalum in Dei ecclesia seminare; sed, ad suum officium juxta morem ecclesiæ plenius exsequendum, a rege licentiam petiit adeundi pro pallio papam Urbanum. Rex itaque, papa nominato, ira statim vehementi incanduit, quia tunc temporis ecclesia Romana in schismate laborabat, Wiberto, Ravennensi archiepiscopo, per violentiam imperatoris Henrici in papatum nimis impudenter intruso; dixit enim imperator suum esse quem vellet papam eligere, nec erat alterius apostolicum etiam nominare. Ergo rex Willelmus allegavit a simili, quod nullus archiepiscopus vel episcopus de regno suo ad curiam Romanam vel ad papam haberet respectum, præcipue cum ipse omnes libertates haberet in regno suo, quas imperator vindicabat in imperio. Anselmus igitur ob hanc rem a rege tractus in causam arguitur ut

A.D. 1094.

Disputes between the pope and emperor.

[1] *Anselmum.*] Compare the following account of Anselm, and his expulsion from England, with his life by Eadmer and Joannes Sarisbiriensis. Malmsbury also speaks of the disgraceful treatment of him upon his embarkation at Dover, § 315.

A.D. 1094. læsæ majestatis reus; steterunt ex adverso episcopi quidam debitam archiepiscopo obedientiam subtrahentes, et omnes [1]præter Gundulfum, Rofensem episcopum, regis vesaniæ consentientes facti sunt ut canes latrare non audentes. Inimicitiis igitur a rege archiepiscopo denuntiatis, per internuntios ei denuntiatum est, non alia ratione ad pacem regis illum posse redire, nisi protestaretur cum juramento quod Urbani papæ non amplecteretur mandatum; sed, paucis postmodum elapsis diebus, venit in Angliam Walterus, Albanensis episcopus, archiepiscopo pallium ferens, qui papam Urbanum regi Willelmo reconciliavit. Anselmus igitur, accepto pallio, rursus a rege papam Urbanum visitandi licentiam exigens, tale fertur accepisse responsum; quod, si cœptis desisteret, si propositis evangeliis promitteret se nec apostolorum limina visitaturum, nec pro quovis negotio Romanæ sedis audientiam appellaturum, tunc et suis et rebus suorum cum omni tranquillitate poterat prospicere, et regni majoribus in omni dominatione præesse; sin autem, poterat transfretare sed inconsulte, et recedere sine spe revertendi.

Archiepiscopus spoliatus ab Anglia recessit.

Banishment of Anselm. Recedens archiepiscopus a conspectu concilii venit Cantuariam, quid reportaret ex curia publice manifestans. Ascensuro ergo navem apud Doveram [2]Willelmus de Warenast regis familiaris irreverenter accurrit, et pecuniam, non solum

[1] *Præter Gundulfum.*] See the life of Gundulph by a contemporary monk of Rochester, Angl. Sacr. tom. ii. p. 287, in which the reader may also find several of Anselm's letters to that bishop.

[2] *Willelmus de Warenast,*] or 'Warewast,' as he is called in the life of Anselm, by Joannes Sarisbiriensis, or 'Warlewast;' afterwards, in 1107, or, according to others, in 1112, consecrated bishop of Exeter.

in ore saccorum, sed in ipsius archiepiscopi manicis et clitellis, improbus perscrutator quæsivit, sed quæsitam non invenit; sed nec sic archiepiscopus vel verbum retulit amaritudinis, vel notam confusionis aut offensionis signum ostendit. Sed illico cum archiepiscopus transfretasset, publicæ potestatis apparitores omnia ejus et ecclesiæ bona fiscalibus commodis addixerunt, in irritum revocantes quicquid utilitatis vel honestatis in ecclesia statuerat archipræsul Anselmus. Visitans ergo limina apostolorum, a papa Urbano maximo cum honore receptus est Laterani, cum quo postmodum in Barensi concilio Græcorum a fide catholica dissidentium confutavit errorem. Habito deinde concilio Romæ, cui idem papa præsedit Urbanus, interfuit; in quo, Anselmi consilio, laicos investituras ecclesiarum more pristino conferentes, et eas a laicis accipientes, et taliter post adeptum honorem munus consecrationis impendere præsumentes, a communione fidelium synodalis auctoritas decrevit exsortes: a concilio igitur rediens archiepiscopus, apud Lugdunum æquanimiter subiit exsilium usque ad finem vitæ regis Willelmi. A.D. 1094.

De vita et morte sancti Wlstani episcopi.

Anno Domini MXCV. vir vitæ venerabilis [1]Wlstanus, Wigorniensis episcopus, migravit ad Dominum, cujus nimirum religiositas et religiosa exigit sanctitas, ut de ejus in seculo conversatione laudabili vel pauca ad legentium ædificationem huic historiæ inseramus. Wlstanus igitur Deo satis amabilis, in provincia Warwicensi religiosis parentibus oriundus, patre Estano et A.D. 1095. S. Wulstan, bishop of Worcester.

[1] *Wlstanus, Wigorniensis episcopus.*] The history of the life of Wulstan has been compiled from the accounts by Ailred of Rievaulx, Malmsbury, and Simeon of Durham.

A.D. 1095. Life of Wulstan.

Wlgena matre, in nobili monasterio, quod Burgum nuncupatur, literis et ecclesiasticis disciplinis ad plenum exstitit eruditus. Ejus autem parentes adeo religioni studebant, ut multo ante vitæ finem castitatem professi, se ab invicem separantes, sub sanctæ conversationis habitu vitam consummare gauderent; quorum exemplo et ipse adolescens incitatus, matre id maxime persuadente, seculum reliquit, atque in Wigorniensi monasterio, in quo et ante pater Deo servierat, monachilem habitum suscepit a venerabili episcopo ejusdem ecclesiæ Brithego, a quo etiam ad gradum diaconatus et presbyteratus promotus, statim in ipso initio arduam vitam et omni religiositate plenam amplectens, in vigiliis, jejuniis et orationibus indefessus, et in omni genere virtutum apparuit subito admirandus: hinc ob morum disciplinam custos novitiorum, et post ob solertiam ecclesiastici officii thesaurarius, assignatur. Qui protinus nactus occasionem Deo serviendi, ex custodia ecclesiæ sibi commissa, totum se contemplativæ impulit vitæ, die noctuque orationi et divinæ lectioni insistens, bidui triduive jejunio membra imbecillia macerabat; sacris quoque vigiliis in tantum deditus erat, ut non modo noctem, sed etiam persæpe diem cum nocte, et, [1]sicut ab ipsius ore audivimus, quatuor dies cum noctibus sine somno transegerit; unde exsiccato cerebro, periculum incurreret, nisi vicissim sopore quasi prælibato naturæ satisfacere maturaret; denique cum vi naturæ dormire compelleretur, non lecto aut lectisternio ad soporem membra dabat, sed lectione divina fatigatus caputque sustentans paulisper sese recli-

[1] *Sicut . . . audivimus.*] 'Quod a nobis vix crederetur, si non ab ipsius ore hoc audissemus;' Sim. Dunelm. col. 190.

nabat. Tandem, aliquanto tempore elapso, priore Egelwino defuncto, Wlstanus prior et pater congregationis efficitur ab episcopo ejusdem loci Aldredo; quod officium pie et laudabiliter implens, prioris conversationis austeritatem non reliquit, sed, ut cæteris exemplum religionis præberet, eam multipliciter ampliavit. Processu quoque temporis, electo ad archiepiscopatum Eboracensem Aldredo ejusdem ecclesiæ episcopo, fit unanimis consensus tam cleri quam totius plebis in ejus electione, rege insuper annuente, ut quem vellent sibi eligerent præsulem et animarum pastorem. Contigit autem hujus electionis tempore, legatos sedis apostolicæ electioni interesse, qui cum summopere ejus electionem confirmare præoptantes, Wlstanum electum non mediocriter offenderunt; nam obstinatissime electioni factæ renitens, cum juramento affirmavit, se multo libentius decollationi succumbere velle, quam tam altæ ordinationi et dignitati consentire; cumque sæpe vir Dei Wlstanus a pluribus viris religiosis et venerabilibus personis, frequenter super his conventus ad consensum persuaderi non potuisset, tandem a viro Dei Wlsio incluso, qui tunc plusquam quadraginta annis solitariam egerat vitam, acriter pro inobedientia increpatus et oraculo divino terribiliter admonitus, cum maximo cordis dolore compulsus est consentire, atque in die decollationis beati Johannis Baptistæ electione confirmata, in die nativitatis beatæ matris Dei episcopus consecratur Wigorniensis, vita præclarus et meritis, ab Aldredo Eboracensi archiepiscopo venerando; erat autem eo tempore Stigandus, Cantuariensis archiepiscopus, suspensus a domino papa propter multas quas fecerat transgressiones, sicut alibi dictum est; sed tamen professionem fecit ecclesiæ Cantuariensi et ejus

A.D. 1095. Life of Wulstan.

A.D. 1095. Life of Wulstan.

archiepiscopis catholice institutis. Facta est autem hæc consecratio anno regis sancti Eadwardi vigesimo, indictione decima quinta, die Dominica.

De virtutibus sancti Wlstani in episcopatu.

Claruit igitur beatus Wlstanus in episcopatu Wigorniensi annis tredecim, simpliciter ac pie vivendo, unicuique quod suum erat tribuens, usque in tempora regis Willelmi, qui, Anglia subjugata, ut prædictum est, rebelles sibi quosque vel a regno proscripsisset, vel vinculis mancipasset, vel in servitutem et extremam miseriam induxisset. Rex tandem Willelmus, de negotiis tractare disponens ecclesiasticis, anno Domini millesimo septuagesimo quinto fecit apud Westmonasterium synodum congregari; cui præsidens Lanfrancus, Cantuariensis archiepiscopus, cum suis suffraganeis cœpit corrigenda corrigere, clericis etiam et monachis honestiorem vivendi formam præbere. Apud hunc archiepiscopum beatus Wlstanus simplicitatis et illiteraturæ accusatus, et quasi homo idiota, qui linguam Gallicanam non noverat nec regiis consiliis interesse poterat, ipso rege consentiente et hoc dictante, decernitur deponendus. Igitur Lanfrancus, inter cætera concilii statuta, virum Dei Wlstanum jubet, ut baculum cum annulo resignaret; at vir Domini Wlstanus, nec vultu mutatus nec animo, erexit se et virgam pastoralem manu tenens respondit, 'Vere,' inquit, 'domine mi archiepiscope, vere scio, quia nec hoc honore dignus sum, nec oneri, nec huic sufficiens labori, [1]sed tu,

[1] *Sed ... auctoritate suscepi.*] 'Et nunc pastoralem tu virgam exigis, quam non tradidisti, officium adimis quod non contulisti: et ego quidem insufficientiam non ignorans et tuæ sanctæque synodi sententiæ cedens resignabo baculum, sed non tibi, sed ei potius cujus eum auctoritate susccpi.' Dec. Scriptt. col. 406.

ui virgam pastoralem exigis, quam non tradi- A.D. 1095. Life of Wulstan.
isti; tuæ sententiæ tamen [1]cedens baculum re-
signabo, licet non tibi, quia justius illum sancto
reddam Eadwardo, cujus baculum auctoritate
suscepi.' Et his dictis cum suis accessit ad tum-
bam marmoream, qua gloriosi regis reliquiæ
claudebantur, et stans ante sepulchrum ait, 'Tu
scis,' inquit, 'sanctissime rex Eadwarde, quam
invitus hoc onus susceperim, quoties me cum
quærerer absentaverim, sic fateor quia insipiens
factus sum, sed tu me coegisti; nam licet fra-
trum non deesset electio, plebis petitio, voluntas
episcoporum et gratia procerum, his tamen omni-
bus tua præponderabat auctoritas, tua magis vo-
luntas, sed ecce nunc novus rex, nova lex, novus
pontifex novas sententias promulgant; te erro-
ris arguunt, qui me pontificem fecisti; me præ-
sumptionis, qui consensi: non tamen illis, qui
exigunt quod non dederunt, sed tibi baculum
resigno qui dedisti, tibi curam eorum dimitto
quos mihi commendasti;' et cum hæc dixisset,
elevata paululum manu in lapidem, quo corpus
sanctum tegebatur, impressit baculum, 'Accipe,'
inquiens, 'domine mi rex, et cui placuerit trade
illum;' et sic descendens ab altari, pontificalibus
exutus, inter monachos ipse jam monachus sim-
plex resedit. Quid ergo? admirabantur omnes,
intuentes virgam pastoralem silici immersam,
quæ, quasi in marmore radicata, nec declinabat
ad dexteram neque ad sinistram; tentabant
illam quidam evellere, sed illa immobilis perma-
nebat. Res defertur in synodum, sed Lanfran-
cus dictis fidem non adhibens, accersito Roffensi
episcopo Gundulfo, jubet ut accedens ad tum-
bam baculum, quem deposuerat Wlstanus, in

[1] *Cedens.*] 'Sedens,' MS.

A D. 1095. Life of Wulstan.

synodum reportet; paret Gundulfus, baculum tentat evellere, sed virtus Wlstani baculum silici facit immobiliter adhærere. Tunc Lanfrancus novitatem rei admirans, rege comite, ad tumulum properabat; facta oratione manus apponit, baculum trahit, sed optato caret effectu. Exclamat rex, luget pontifex, et beatum Eadwardum in promotione Wlstani non errasse advertunt; at Lanfrancus ad sanctum accedens Wlstanum, 'Vere,' inquit, 'cum simplicibus graditur Deus, et in humilibus requiescit; derisa est a nobis, frater, tua sancta simplicitas, sed væ tenebris nostris, quibus cæcati dicimus malum bonum, et bonum malum. Auctoritate igitur qua fungimur, immo Dei judicio quo convincimur, curam, qua te inconsultius eruimus, iterum tibi committimus, [1]scientes prævalere simplicitatem, quæ cum fide et dilectione operatur, quam sapientiæ sæculares, quibus multi per avaritiam abutuntur; accede nunc, frater mi, accede ad baculum, credimus enim quod sancta regis dextera, quæ illum nobis negavit, tibi facile resignabit.' His auditis, sanctus pontifex Wlstanus, sua simplicitate usus, paruit humiliter imperanti, et accedens ad tumbam sancti dixit; 'Ecce ego,' inquit, 'domine mi rex, qui me tuo commisi judicio, cui baculum quem commiseras resignavi, quid nunc tibi placet, ostende; servasti dignitatem tuam, purgasti innocentiam meam, et, si adhuc de me stat tua antiqua sententia, redde baculum, vel, si mu-

[1] *Scientes prævalere.*] This sentence is abridged from the following passage in Ailred of Rievaulx, with whose account the former part of the narrative agrees verbatim; 'Scientes experti quoniam melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Melius plane modicum litteraturæ cum fide quæ in simplicitate cum dilectione operatur, super divitias sapientiæ et scientiæ secularis quibus multi vel ad vanitatem humanæ laudis vel in avaritiam turpis quæstus abutuntur.' Dec. Scriptt. col. 407.

est, cui tradatur ostende.' His quoque dic- A.D. 1098. Life of Wulstan.
levi tactu tentat sanctus virgam accipere,
mox manum ejus secuta exsiliit, ac si in
li luto fuisset impressa: accurrunt rex et pon-
x, prostrati a Wlstano [veniam] quærunt, at-
sancti precibus se commendant; at ille, qui
icerat a Domino mitis esse et humilis corde,
is æque prostratus a tanto archipræsule se be-
dici precatur. Tunc rex Willelmus, in amore
gnati sui sancti Eadwardi succensus, sanctissi-
um ejus sepulchrum, auro et argento fabrefac-
m, miro studio decoravit.

De transitu sancti Wlstani.

Alia autem vice vir Domini Wlstanus in con-
ilio Wintoniæ habito, rege Willelmo jubente et
Alexandro papa consentiente, possessiones pluri-
mas sui episcopatus instanter repetiit, ab Al-
dredo, Eboracensi archiepiscopo, violenter reten-
tas dum ab ecclesia Wigorniensi ad Eboracen-
sem transfertur, quæ tunc, Aldredo archiepiscopo
defuncto, in regiam devenerant potestatem; et
cum inde justitiam sibi fieri flagitaret, adjudi-
catum est tandem, ut ipsa querela sic remaneret
quousque in Eboracensi ecclesia constitueretur,
qui loqueretur pro ea. Et, non multo post, Thoma
regis capellano ad Eboracensem ecclesiam archi-
episcopo consecrato, mota est iterum querela re-
verendi Wlstani, Wigorniensis episcopi, in con-
cilio apud Pedredam celebrato, coram rege et
archiepiscopo Dorobernensi, atque primatibus to-
tius regni adjudicantibus terminata est; cunctis
tamen argumentationibus falsitate stipatis, qui-
bus Thomas ejusque fautores Wigorniensem ec-
clesiam deprimere et eam ecclesiam Eboracensi
subjicere satagebant, justo Dei judicio adnihillatis
et contritis et scriptis evidentissimis cassatis, vir

A.D. 1095. Life of Wulstan.

Dei Wlstanus non solum possessiones revocavit petitas, sed et ecclesiam suam, rege concedente, ea libertate liberam suscepit, qua fundatores illius rex Alfredus et filius ejus Eadwardus ipsam liberam fecerant et successores eorum. Tunc Thomas archiepiscopus, beato Wlstano omnibus possessionibus et libertatibus restitutis, virum Dei sanctissimum multis precibus sollicitabat, ut non solum suam ecclesiam pacifice possideret, sed et parochiam Eboracensem visitare et suos subjectos religiosis informare moribus dignaretur. Vixit autem postea beatissimus antistes Wlstanus, omni genere virtutum plenus, usque ad annum præsentem, id est, divinæ incarnationis millesimum nonagesimum quintum, quo utique, ut prædictum est, anno, decimo quarto kalendas Februarii, ex hac vita transiens pro rebus transitoriis commutavit æternas; cujus transitus hora Roberto Herefordensi episcopo, in oppido quod Crickela dicitur, in visione apparuit, et illi, ut ad se tumulandum Wigorniam properaret, mandavit. Annulum quoque, cum quo pontificalem susceperat consecrationem, neminem a digito extrahere permisit, ne post mortem suam suos fallere videretur, quibus prædixerat sæpissime, illum nec vita comite se perdere velle, nec etiam die suæ sepulturæ.

Incipit concilium Urbani papæ de expeditione Antiochena.

Council of Clermont.

Eodem anno, id est, Dominicæ incarnationis MXCV., dominus papa Urbanus [1]apud Clarummontem civitatem Arverniæ concilium tenens, hæc

[1] *Apud Clarum-montem.*] The council of Clermont, in Auvergne, was held in November 1095. The following account of it is taken from Malmsbury, § 345. The acts of the council are printed in Harduin and other collections, ad an. 1095.

quæ sequuntur capitula constituit, et universali ecclesiæ tradidit observanda. Quod ecclesia catholica sit in fide casta, et ab omni seculari servitute libera; Ut episcopi vel abbates, vel aliquis de clero, aliquam ecclesiasticam dignitatem de manu principum non recipiat vel quorumlibet laicorum; Quod clerici in duabus ecclesiis vel civitatibus præbendas non habeant; Quod aliquis simul abbas et episcopus esse non possit; Quod ecclesiasticæ dignitates a nullo emantur vel vendantur; Quod nullus cujuslibet sacri ordinis carnali commercio utatur; Quod eis, qui ignorantes canonum prohibitionem beneficia emerint, ignoscatur; Quod eis, qui scienter emptas a se, vel a parentibus suis, præbendas possiderunt, auferantur; Quod nemo laicorum a capite jejunii, nemo clericorum a Quinquagesima usque in Pascha, carnes comedant; Quod omni tempore, primum jejunium quatuor temporum prima hebdomada Quadragesimæ fiat; Quod ordines omni tempore, vel in vespere Sabbati, vel perseverante jejunio in Dominica, celebrentur; Ut in Sabbato Paschæ, nisi post horam nonam, officium celebretur; Ut jejunium secundum in hebdomada Pentecostes celebretur; Quod ab adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, et a Quadragesima usque ad octavas Paschæ, et a prima die Rogationum usque ad octavas Pentecostes, et a quarta feria, occidente sole, omni tempore, usque ad secundam feriam, oriente sole, treugæ[1] custodiantur; Quod qui ceperit episcopum omnino exlex fiat; Quod qui sacri ordinis viros vel eorum famulos ceperit anathema sit; Quod qui episcoporum vel clericorum mori-

A.D. 1095. Council of Clermont.

[1] *Treugæ.*] Malmsbury reads 'Trevia Dei;' on which see Mr. Hardy's note, ii. p. 525.

A.D. 1095. entium bona rapuerit anathema sit; Quod qui usque ad septimam generationem consanguinitati se copulaverit anathema sit; Quod nemo in episcopum eligatur, nisi presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus, et cui natalium dignitas suffragatur, nisi maxima necessitate et licentia papæ; Quod filii presbyterorum vel concubinarum ad presbyteratum non promoveantur, nisi prius ad vitam religiosam transierint; Quod qui ad ecclesiam vel ad crucem confugerint, data membrorum impunitate, justitiæ tradantur, vel innocentes liberentur; Quod unaquæque ecclesia decimas suas habeat, nec ad aliam transferantur; Quod laicus decimas non emat nec vendat; Quod pro sepultura mortuorum pretium non recipiatur. In hoc concilio papa Urbanus Hildebrandi decreta renovat; [1]Philippum regem Francorum, qui, vivente regina sua, superduxerat alterius viventis, Fulconis scilicet Andegavensium comitis, uxorem, excommunicavit.

[2] *Sermo papæ ad concilium de negotio Terræ Sanctæ.*

Pope Urban's sermon upon the Crusades. In fine autem concilii, quod mense Novembri actum est, papa memoratus de negotio crucis sermonem ad populum faciens, qualem tantum decebat sacerdotem, exorsus est in hunc modum, 'Fratres mei,' inquit, 'et filii carissimi, reges dico, principes, duces, marchiones, comites, barones et milites, cum ordinatis et populis universis, qui redempti estis corporali passione et sanguinis effusione Domini nostri Jesu Christi, audite querelas ipsius Dei, vobis omnibus lachry-

[1] *Philippum regem.*] 'Philippum regem cum pellice Bertrada ab Urbano in concilio Claromontano percussum anathemate fuisse,' etc. See Bouquet, xiii. p. 6, *note.*

[2] *Sermo.*] The present sermon has been abridged principally from that given by Malmsbury. In Harduin's collection of the councils are two other copies of the same, from William of Tyre and a MS. in the Vatican.

mabiliter fusas, super ejus injuriis et [in]effabilibus detrimentis. Post lapsum angelorum, cum idem Deus mundum creasset, in tribus jam partibus, id est, Asiam, Africam et Europam distinctum, et homines ad reparationem damnorum supercælestium in eis constituisset, ut sibi famulantes dictas mundi partes cum creaturis universis, dum viverent, possiderent, et post mortem cælestia sine fine regnaturi conscenderent, in brevi temporis decursu omne genus humanum a præceptis divinis per inobedientiam et delictorum abundantiam a Deo descivit, ut inter homines vix esset inventus qui faceret bonum, nec saltem usque ad unum. Ecce enim mundi latitudo paganis infidelibus Dominum blasphemantibus et ligna lapidesque colentibus plena scatet, ita quidem ut jam in pudorem paucorum, qui adhuc supersunt, Christianorum, Syriam Armeniamque, ac postremo Asiam Minorem, cujus provinciæ sunt Bithinia, Phrygia, Galatia, Lydia, Caria, Pamphilia, Ysauria, Lycia et Cilicia, occuparunt. Illi insuper alteram Asiam, id est, tertiam mundi partem, quasi nidum inhabitant hæreditarium, quæ, a majoribus nostris, duabus residuis æqua partibus, et tractuum longitudine et provinciarum magnitudine, exstat non immerito æstimata, ubi olim apostoli omnes, præter duos, mortes suas Domino consecrarunt; ibi modo Christiani, si qui supersunt, nefandis illis vectigal solvunt. Illi, proh dolor! Africam, alteram orbis partem, [1]trecentis jam annis et eo amplius armis possessam detinent, quæ dudum terra præclarorum nutrix ingeniorum, quæ in literis divinis omnem a se infidelitatis errorem detersit, ut constat cunctis qui literas norunt Latinas. Tertium mundi clima

A.D. 1095. Pope Urban's sermon.

[1] *Trecentis.*] 'Ducentis,' Malmsb.

A.D. 1095. Pope Urban's sermon.

exstat Europa, cujus quantulamcunque partem nos Christiani inhabitamus, quam et Turci et Saraceni bellis premunt continuis, et jam ab annis trecentis Hispania et insulis Balearibus subjugatis, quod reliquum est spe devorant, Illyricumque et terras omnes inferiores inequitant insolentes usque ad mare, quod brachium sancti Georgii nuncupatur. Quid est quod Dominicum monumentum suæ vindicant ditioni, et sanctæ urbis introitum peregrinis nostris vendunt, qui solis Christianis patere deberet, si aliquid [1]divinæ virtutis vestigium eis inesset? Accingimini ergo viri potentes, et aggredimini memorabilem in crucis inimicos expeditionem, et Christianitatem propagaturi signaculum crucis humeris vestris insuite, in testimonium fidei ardorem foris prætendentes; arma, quæ cæde mutua in bellis illicite et torneamentis cruentastis, in hostes convertite fidei et nominis Christiani; rapinas, furta, homicidia, fornicationes, adulteria, incendia, quibus Dominum ad iracundiam provocastis, in hac expeditione redimite; et fratribus vestris, qui in Hierosolymis et finibus ejus habitant, compatientes, barbarorum insolentias compescatis, quibus propositum est nomen deprimere Christianorum. [2]Nos autem de omnipotentis Dei misericordia et beatorum apostolorum ejus Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione justorum salutis æternæ polli-

[1] *Divinæ virtutis.*] 'Solitæ virtutis,' Malmsb.

[2] *Nos autem . . . . impenderint opportunum.*] Omitted by Malmsbury; it is taken from William of Tyre.

cemur augmentum; hujus quoque remissionis A.D. 1095. concedimus esse participes, qui ad subventionem istius itineris de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa prædicta consilium et auxilium impenderint opportunum. Ite ergo prædicabiles per orbem Christi milites, timorem mortis penitus omittentes; non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Hæc præsentibus præcipimus, absentibus mandamus, terminumque proximi veris figimus; aderit enim Deus euntibus, ut bonus eis arrideat annus, tum in copia frugum, tum in serenitate elementorum; morituri cælorum intrabunt triclinium, victuri Dominicum videbunt sepulchrum. Felices sunt, qui ad hanc expeditionem vocantur, ut videant loca sancta, in quibus cælorum Dominus cum hominibus conversatus est, et pro hominibus natus, crucifixus, mortuus, sepultus et resuscitatus;' et his dictis, præcepit his qui aderant ecclesiarum prælatis, ut, ad propria reversi, cum omni instantia et sollicitudine plebes sibi subjectas ad expeditionem præmissam exhortentur.

De nominibus magnatum cruce signatorum et eorum consensu.

Cumque clerus et populus hujus orationis tenorem auribus percepissent, consensu mutuo clamore protestantur faventes sermocinanti et peregrinationi. Et protinus in concilio proceres nonnulli, papæ genibus advoluti, se et sua Christi militiæ consecrarunt; quorum primus fuit [1]Aime- Names of the leaders of the expedition.

[1] *Aimerus.*] Aimar, bishop of Puy. The following history of the Crusades is compiled principally from William of Tyre, with whom the text frequently agrees verbatim; Fulcher of Chartres, Malmsbury, and others, whom the reader will find in the Gesta Dei per Francos, seem also to have been consulted.

A.D. 1095. rus, Podiensis episcopus, qui, crucis signaculo de manibus papæ accepto, Willelmum Aurasiensem præsulem habuit illico sectatorem, [1]cum aliis fidelibus innumeris diversæ conditionis et ætatis. Igitur, finito concilio, a singulis est in sua discessum; cujus facti fama totum perlustrans orbem, non solum mediterraneas provincias ad hanc peregrinationem commovit, sed et omnes, qui vel in penultimis[2] insulis vel in barbaris nationibus audierant nomen Christi. Susceperunt itaque crucis signaculum Hugo magnus, Philippi Francorum regis frater, dux Lotharingorum Godefridus, [3]comes Tholosanus Reimundus, dux Normannorum Robertus, [4]Boamundus loco Apulus et gente Normannus, comes Flandrensis Robertus, Carnotensis comes Stephanus, fratres ducis Godefridi Baldewinus et Eustachius, item de Burgo alius Baldewinus, item Degres comes Garnerius, comes [5]Hamaucorum Baldewinus, comes Diensis Hysoardus, comes de Foreis Willelmus, comes de Albamarlia Stephanus, comes Perticensis Rotrodus, comes Hugo de Sancto Paulo, Henricus de Asca, Radulfus de Baugentiaco, Hebrandus de Pausaco, Willelmus Amauen, Gentonius de Bar, Gastus de Bederi, Willelmus de Monte Pessulano, Girardus de Rosseillon, Geraldus de Ceresiaco, Rogerus de Barnevilla, Guido de Possessa,

[1] *Cum aliis fidelibus innumeris.*] Fulcher estimates the number at six hundred thousand pilgrims able to bear arms, besides priests, monks, women, and children; that those who assumed the cross amounted to six millions, but that multitudes returned home ere they passed the sea. By Urban the second the number is only rated at three hundred thousand pilgrims. Malmsb. p. 533, *note* [5].

[2] *Penultimis.*] 'Penitissimis,' Malmsb.

[3] *Comes Tholosanus Reimundus.*] Raymond count of S. Giles and Thoulouse; see an account of him by Malmsbury, § 388.

[4] *Boamundus loco Apulus.*] For an account of Bohemond, prince of Antioch, see Malmsb. § 387.

[5] *Hamaucorum.*] 'Amancorum,' *C.*

Guido de Garlandia, Thomas de Sprea, Galo de Calvo-monte, Stephanus comes Blesensis; hi omnes quasi capitanei et principes militum cæterorumque fidelium, exspectantes tempus opportunum, cum ingentibus armatorum copiis ad militiam Christianam præparati erant, et se tantæ peregrinationis laboribus devote pro Christi nomine mancipare. A.D. 1095.

De revelatione Petro Heremitæ facto de negotio supradicto.

Animabat præterea non mediocriter hanc Christi militiam ad obsequium crucifixi prædicatio Petri Heremitæ; de quo, ut arbitror, non erit inutile si divinam revelationem ei factam super hoc negotio ignorantibus intimavero ad historiæ claritatem. Sacerdos quidam, [1]Petrus nomine et heremita professione, de regno Francorum paululum ante hos dies, peregrinationis voto tractus, Hierosolymam pervenit. Hic juxta legem, Christianis civitatem sanctam ingredi volentibus a Saracenis propositam, dato tributo, urbem ingressus in hospitio cujusdam Christiani susceptus est; a quo de misera conditione credentium sub potestate paganorum conversantium ad plenum edoctus, quicquid calamitatis audivit, fide postmodum oculata conspexit. Audiens vero quod Simeon, patriarcha civitatis, vir esset religiosus et timens Deum, accessit ad ipsum, et mutuis sunt confabulationibus recreati; at patriarcha ex verbis Petri colligens, quod vir esset circumspectus, familiarius cœpit exponere universa, quæ populum Dei in civitate commoran- Peter the Hermit.

[1] *Petrus nomine et heremita.*] 'Pusillus, persona contemptibilis, vivacis ingenii et oculum habens perspicacem gratumque, et sponte fluens ei non deerat eloquium;' Willelm. Tyr. apud Gest. Dei, p. 637.

A.D. 1095. Peter the Hermit.

tem acrius affligebant. Petrus autem fraternis compatiens miseriis, cum lachrymas cohibere non posset, patriarchæ respondit, 'Noveris, pater sancte, quod ecclesia Romana et principes occidentis, si hujus calamitatis diligentem et fide dignum haberent instructorem, tentarent procul dubio his malis vestris remedia procurare; scribe igitur diligentius, tam domino papæ et ecclesiæ Romanæ, quam regibus et principibus occidentis, et ego pro remedio animæ meæ, auctore Deo, paratus ero ærumnarum vestrarum immensitati protestari, et ad remedium procurandum universos et singulos invitare.' Placuit sermo in oculis tam patriarchæ quam adstantium populorum, et, impensis gratiarum actionibus, viro Dei scriptum porrigunt postulatum. Accidit autem die quadam, cum prædictus Dei famulus de reditu ad propria, pro implenda legatione assumpta, amplius solito esset sollicitus, ecclesiam Dominicæ resurrectionis ingressus est, ad fontem misericordiæ tota devotione recurrens, ubi cum pernoctans vigiliis et orationibus fatigatus in pavimento decubuit, ut somno satisfaceret irruenti, illico sopore interceptus vidit sibi adstare Dominum Jesum Christum, qui injungens ei legationem præmissam dixit, 'Surge, Petre, propera, et intrepidus perage, quæ tibi sunt injuncta, Ego enim tecum ero; tempus est enim ut purgentur sancta, et meis subveniatur servis.' Expergefactus Petrus et de visione confortatus, atque admonitionem divinam amplectens, intrepidus, impiger, moras rumpit, et, facta oratione, ad mare festinus viator descendit; ubi navem ascendens prospera navigatione ad Barum pervenit, et inde Romam profectus papam Urbanum reperit, et patriarchæ literas fideliumque, qui Hierosolymis erant, porrigens, eorum miserias et terræ sanctæ

calamitates tam fideliter quam prudenter exposuit: quem papa memoratus benigne suscipiens, se fidelem cooperatorem futurum congruo tempore repromisit. At Petrus, omnem perlustrans Italiam, Alpes tandem transcendit, et omnes principes occidentales cum maxima sollicitabat instantia, ne loca sancta, quæ Dominus propria dignatus est illustrare præsentia, infidelium permitterent spurcitiis diutius profanari; nec visum est sibi hoc sufficere, nisi etiam plebes, et inferioris manus homines, ad ipsum piis exhortationibus animaret. Sic denique Heremita Petrus, cum ingenti armatorum multitudine, quam tum de regno Francorum, tum ex imperio multo labore contraxerat, prædictæ se jungens militiæ, opus crucis instantissime studuit promovere. A.D. 1095.

De Gualterio, qui primus iter peregrinationis arripuit.

Anno Domini MXCVI., mense Martio, octavo die mensis, [1]Gualterius, cognomento Sensavior, vir nobilis et strenuus, cum ingenti multitudine pedestrium armatorum, ut qui paucos habebat equites, primus omnium cruce signatorum iter peregrinationis arripiens, regna pertransiens Theutonicorum et Hungarorum, usque ad fluvium Maroc pervenit; quo transito et Bulgarorum fines ingrediens ad locum venit, qui Bellegravia nuncupatur, ubi quidam de comitatu ejus apud [2]Malam villam, ipso ignorante, ut cibos emerent, remanentes, a Bulgaris comprehensi, nudati et verberibus afflicti, ablatis omnibus, ad socios sunt remissi. Gualterius igitur a duce Bulgarorum A.D. 1096 The first crusader.

[1] *Gualterius ... Sensavior;*] called also 'Sans-avoir,' or 'Walter the Penniless;' according to Fuller, one 'who had more of the sail of valour than the balast of judgement;' Holy Warre, 1651, p. 51.

[2] *Malam villam,*] or Semlin upon the Danube; see Michaud, Hist. des Croisades, 1825, i. p, 141.

A.D. 1096. emendi necessaria licentiam postulans, et impetrare non valens, ante urbem Bellegraviam castrametatus est; ibi exercitum suum, ciborum inopia laborantem, cohibere non valens, grave nimis populi sui ibidem sustinuit detrimentum. Nam cum nihil a gente nefanda venale obtinere potuissent, in greges Bulgarorum et armenta irruentes cœperunt ex eis in castra sua deferre; quod Bulgari audientes, arreptis armis, prædam excutere decreverunt, et bellum raptoribus inferentes et victores existentes centum et quadraginta ex eis, a præcedentium comitatu separatos, in oratorio quodam, quo se gratia consequendæ pacis intulerant, igne apposito combusserunt, cæteris in fugam coactis. At vero Gualterius cum reliquis agminibus suis Straliciam, Daciæ mediterraneæ metropolim, perveniens, præsidi civitatis de injuria plebi Dei a Bulgaris illata conquestus, plenam est justitiam consecutus; inde igitur ad urbem regiam profectus, et ad præsentiam Alexii imperatoris inductus, postulavit, ut usque ad adventum Petri Heremitæ, de cujus mandato iter arripuerat, exercitum suum in locis urbi vicinis, indulta sibi emendi vendendique licentia, permitteretur habere; quod ei imperator benigne concessit.

De peregrinatione Petri Heremitæ.

Expedition of Peter the Hermit. Post Gualterium, Petrus Heremita primus viam peregrinationis expediens, transcursa Lotharingia, Franconia, Bavaria et Austria, cum quadraginta millibus bellatorum fines attigit Hungarorum; qui tandem ad Malam villam pervenientes audierunt Christianos, qui Gualterium secuti præcesserant, stragem ibi non modicam pertulisse, et videntes spolia et arma eorum in muro civitatis quasi pro trophæo pendentia, justa suc-

censi ira ad arma prosiliunt, et urbem violenter confringentes incolas pæne omnes aut gladio interimunt aut in flumine vicino demergunt; sic, urbe subacta, quinque diebus manserunt in ea. Petrus vero audiens, quod rex Hungariæ ad vindictam suorum militares copias convocaret, legiones suas omni celeritate ultra flumen, quod vicinum erat, transferri præcepit, cum armentis et manubiis civitatis; et inde octo dierum itinere transcurso, ante urbem Niz turribus et muro fortissimam pervenit, et, ponte fluminis transito, castra fixit ibidem; indeque iter expediens, cum pars major exercitus præterisset, quidam turbati capitis de regione Teutonicorum, aliquantulum ab agminibus præcedentibus remoti, septem molendina juxta pontem memoratum igne concremarunt. Erant autem viri quasi centum, qui, ut suo furori satisfacerent, adjecerunt ad propriam miseriam, et quorundam domicilia in suburbio posita igne similiter succendentes, commisso scelere, exercitui præcedenti sese jungere properabant; at vero regionis illius dominus, quod factum fuerat indigne ferens, cives evocat, arma arripere monet, et ipse primus cum ingenti tumultu hostes insecutus, antequam ad præcedentem exercitum attigissent, atrociter illos invadens omnes morte dignissima peremit. At Petrus hæc omnia penitus ignorans, ut qui præeuntem ducebat exercitum, dum a referentibus casum cognovisset, de consilio suorum illico reversus, fratrum interemptorum funera non sine lachrymis conspexit, scire sollicite cupiens, quæ causa exstiterit tantæ transgressionis; missis itaque legatis ad majores civitatis, cognoverunt, qui missi fuerant, justa indignatione seditionem fuisse factam; sed quorundam peregrinorum ausu temerario legio tota concitata est, ut injuriam quam pertulerant A.D. 1096.

A.D. 1096. vindicarent. Erant autem viri quasi mille, qui ad hanc proruperant temeritatem, contra quos quidam ex urbanis egressi bellum ingens cum nostratibus commiserunt; deinde cives, reseratis valvis egressi, quingentos ex nostris super pontem peremerunt, reliquis pæne omnibus, dum fluminis vada nescirent, submersis. Exercitus autem Petri, tantam suorum non ferens injuriam, ad arma convolant, et, confligentibus inter se agminibus, ceciderunt ex peregrinis quasi decem millia virorum, et Petri Heremitæ pecunia tota a Bulgaris capta est, retento ejus curru cum omnibus quæ habebat; die autem quarto, recollectis viris, qui dispersi erant per fugam, quasi ad triginta millia, rursus se ad iter accingentes, viam, licet cum magna difficultate, continuant, et maturato itinere Constantinopolim pervenerunt; ubi Petrus imperatoris colloquio fretus, cum per dies aliquot exercitum ibidem recreasset, ex imperatoris mandato, transito Hellesponto, in Bithyniam, quæ prima est Asiæ provincia, descenderunt; deinde ad locum supra idem mare situm, cui nomine Cinitoth, venientes, castrametati sunt ibidem.

De interitu triginta millium cruce signatorum.

History of the Crusades. Erat autem locus ille in confinio Turcorum positus, rerum omnium et præcipue victualium opulentus; cumque ibidem quasi duobus mensibus consedisset exercitus, cœperunt Latini ad decem millia virorum regionem perlustrare et greges pariter contrahere et armenta, atque versus Nicæam urbem ordinatis agminibus profecti, cum præda maxima, sine suorum dispendio sunt reversi. Porro Teutonici, videntes quod in illo negotio Latinis prospere accidisset, decreverunt et ipsi simile aliquid attentare; unde ad [decem]

millia peditum cum equitibus ducentis versus Nicæam tendentes, ad oppidum quoddam, quatuor milliariis a Nicæa distans, venerunt, et facto impetu vehementissimo, repugnantibus acriter oppidanis sed nihil proficientibus, Teutonici oppidum occupant violenter. Tandem, habitatoribus omnibus interemptis et manubiis cunctis occupatis, castrum muniunt, et loci opulentia simul et amœnitate delectati usque ad principum adventum ibi commanere proponunt; sed Solimannus, regionis illius dominus, audiens quod Teutonicorum gens oppidum suum expugnatum præsumeret detinere, cum omni festinatione illuc contendit, et castrum obsidens violenter expugnat, omnibus quos intus reperit gladio interemptis. Venit interea rumor in castris, Teutonicorum cohortes in manibus Solimanni incidisse; unde veritate comperta, reluctantibus majoribus, de exercitu ad arma prosiliunt universi, et peditum triginta quinque millia cum equitibus quingentis, ordinatis agminibus, ad partes Nicæas contendunt, et in quodam campo Solimannum cum innumera Turcorum multitudine invenientes irruunt potenter in hostes; sed Turci, scientes quod res pro capitibus ageretur, gravissimum peregrinis reddidere conflictum, et, tandem oppressis, dum pondus prælii ferre diutius non valerent, fugam ineunt, agminibus dissolutis, quos Turci gladiis insequentes stragem non modicam nostratibus intulerunt. Ceciderunt ibi de exercitu Petri nobiles, Gualterius Sensavior, cum [1] Reginaldo de Breis et Fulchero Aurelianensi, et de triginta millibus peditum, qui de castris egressi fuerant, simul et equitibus quingentis vix vel unus superfuit, qui carcerem evaderet vel mortem; ecce prælium inobedientiæ quem finem habuit, dum

A.D. 1096. History of the Crusades.

[1] *Reginaldo de Breis.*] 'Rainaldo de Breis;' Will. Tyr. p. 647.

A.D. 1096. History of the Crusades.

contra præceptum imperatoris populus cervicosus arma moverat temeraria, qui consuluit indoctum vulgus, ut pacifice apud Constantinopolim exspectaret usque ad adventum principum illos subsequentium, qui prudentiores ipsis erant et ad plenum in militia eruditi. Solimannus vero, non sufficiente quod factum fuerat, in castra irruit violenter, et senes, valetudinarios, monachos [1]et ordinatos, matronas, puellas et pueros, in ore gladii interemit multos; quosdam tamen, quorum ætas pro eis intercedebat et facies, ad hoc reservabat illæsos, ut perpetuæ subjicerent servituti. Erat autem prope castra fidelium, secus littus maris, vetus quoddam præsidium habitatoribus vacuum, in quo necessitate compulsi ad tria millia peregrinorum se contulerunt, salutem se ibi posse consequi arbitrantes; cumque in eo a Solimanno fuissent obsides, sese viriliter defendentes, Petrus ad imperatorem veniens, fusis humiliter precibus, obtinuit, ut missa illuc militia reliquias populi faciat liberari; quod cum factum fuisset, remansit Petrus apud Constantinopolim cum reliquiis exercitus, principum exspectans adventum.

De peregrinis quibusdam dolo interfectis.

March of Godeschal.

Secutus est autem hos cruce signatos in peregrinationis voto sacerdos quidam, nomine Godescallus et natione Teutonicus, qui, gratiam habens exhortationis, ad quindecim millia de regno Teutonicorum ad opus crucis in Hungariæ fines conduxit; ubi cum exercitu suo venalia, de mandato regis, bonis conditionibus ab Hungaris accepissent, alimentorum opulentia abutentes et ebrietati vacantes, ad enormes proruperunt injurias, prædas agentes et stragem in po-

[1] *Et ordinatos.*] 'Et clerum universum;' Will. Tyr.

pulum committentes, necnon cum uxoribus Hungarorum et filiabus rem illicitam violenter perpetrantes; unde rex terræ, ira succensus dignissima, populum ad arma concitat in ultionem tantæ transgressionis. Tandem apud Bellegraviam prædictorum multitudinem furiosorum reperientes, cum se præpararent ad resistendum, erant quippe viri fortes et usum armorum habentes, tentant dolo vincere quos viribus nequiverunt. Missa igitur legatione ad Godescallum et primates exercitus, convenerunt eos verbis pacificis in dolo dicentes;[1] 'Pervenit ad dominum nostrum regem gravis querimonia, quod populo suo enormes nimis intuleritis injurias, mala pro bonis nequiter rependentes; novit præterea rex, quod sunt inter vos viri prudentes et timentes Deum, quibus invitis et renitentibus commissa enormia, quæ regem merito ad iracundiam provocarunt; unde crimen quorundam in omnes refundere verens, decrevit peregrinis parcere in præsenti, unum vobis denuntiat, ut ejus omnino quiescat indignatio, ut et personas vestras et substantiam cum armis omnibus in manibus ejus sine conditione tradatis, alioquin nec unus ex vobis mortem evadet, cum potestatem non habeat populus fugiendi.' Godescallus igitur et principes legionum, de regia benignitate nimis præsumentes, populum totis viribus renitentem induxerunt, ut cum armis et substantia eorum tota in regis potentia se traderent, et sic satisfacerent conquerenti; quod cum factum fuisset, dum misericordiam exspectant, mortem incurrunt; irruerunt enim in populum proditores illi armorum solatio destitutum, non distinguentes justum ab impio, et stragem immanissimam inferentes, locum polluerunt univer-

A.D. 1096. History of the Crusades.

[1] *Pervenit ad dominum.*] The whole letter is given by William of Tyre, p. 648.

A.D. 1096. History of the Crusades.

sum ex cruore interemptorum et funeribus occisorum. Evaserunt tamen aliqui hoc commune periculum, et ad propria reversi suorum stragem aliis, qui peregrinationis voto adstricti fuerant, referentes; sollicite admonendo, ut prædicti populi nequam præ oculis semper habentes malitiam, prudentius incedant et cautius iter expediant.

De quibusdam peregrinis Judæos persequentibus et post interfectis.

Persecution of the German Jews.

Per idem tempus convenerunt ex finibus occidentis ad ducenta peditum millia et equitum quasi tria millia, inter quos erant viri nobiles Thomas de Feria, Clarenbaldus [1]de Vendolio, comes Hermannus et [2]Carpentarius Willelmus. Hi omnes se ad insanias convertentes, et populum Judæorum in oppidis et civitatibus, per quas eis erat transitus, impetentes, multa ex eis millia obtruncabant; et hoc præcipue factum est in Maguntia et Colonia civitatibus, ubi etiam comes, Emico nomine, vir potens et in eadem regione præclarus, eorum cœtibus conjunctus, maleficiorum erat particeps et flagitiorum incentor; qui omnes, transcursa Franconia et Bavaria, cum fines Hungariæ attigerunt, arbitrati sunt quod liceret eis regnum libere introire, sed apud Meezeburc[3] clausum reperientes aditum circa pontem substiterunt. Porro rex terræ ingressum transire volentibus prohibere mandaverat, verens ne, injuriarum quas Godescalci legionibus intulerat memores, in ultionem arma movere inciperent introducti. Unde petita a rege licentia

[1] *De Vendolio.*] 'De Vendoliolo,' Will. Tyr.

[2] *Carpentarius Willelmus.*] 'William, viscount of Melun, surnamed 'the Carpenter,' from the weighty strokes of his axe;' Gibbon, ed. Milman, xi. p. 69.

[3] *Meezeburc;*] called also by some historians 'Moison;' now Altenburg; see Michaud, i. p. 153, *note* [1].

transeundi pacifice, cum sibi esset penitus dene- A.D. 1096. History of the Crusades.
gata, proponunt terras, quas circa fluvios et paludes rex possidebat, depopulari, suburbana succendere, et in rebus ejus hostiliter desævire. Accidit ergo die quadam, quod septingenti ex regis militia navigio transeuntes occulto, ut a peregrinorum injuriis regionem tuerentur, casu tamen hostibus subito obviabant, a quibus pæne omnes interfecti sunt, exceptis paucis, qui in carecto et paludibus salvabantur; et hac freti victoria peregrini adjiciunt etiam, ut pontibus fabricatis præsidium expugnent, et iter gladiis præparantes regnum intrent violenter. Deinde pontes quos construxerant mœnibus applicant, et per eorum instantiam ad id perventum est, ut jam pateret introitus peregrinis; sed ecce subito cælitus incusso victoribus timore, versi sunt in fugam, causam penitus ignorantes, sicque, peccatis exigentibus, terga hostibus ostendentes contulerunt audaciam civibus desperatis, qui illos fugientes viriliter insecuti mortem eis inevitabilem intulerunt. Ex quibus comes Emico, cum legionibus fugiens dissolutis, in suam vix patriam est reversus, alii vero nobiles, quos prænominavimus, per Thariciam exitium declinantes ad Italiam pervenerunt; unde et quidam de principibus, idem iter agentibus, qui Dyrrachium navigare proposuerant, se in Græciam contulerunt.

De progressu ducis Godefridi et sociorum ejus in opus crucis.

Anno supradicto, qui est annus Domini MXCVI., March of Godfrey of Bouillon.
mense Augusto, decimo quinto die mensis, Lotharingiæ dux Godefridus, vir illustris, post Petri Heremitæ et Godescalci aliorumque progressum miserabilem, ut prædictum est, convocatis

A.D. 1096. History of the Crusades.

viæ consortibus, iter aggressus est. Erant autem qui se illi conjunxerunt viri nobiles, Baldewinus prædicti ducis frater uterinus, Baldewinus Hamaucorum comes, Hugo comes de Sancto Paulo et Engerammus filius ejus, comes de Gres Garnerius, Reginaldus comes Tullensis et frater ejus Petrus, Baldewinus de Burgo, Henricus de Ascha, Godefridus frater ejus, Dodo de Cons, Cono de Monte acuto; quos sequebantur Frisones, Saxones, Lotharingi, et quicquid gentium jacet inter fluvios Rhenum et Garumnam. Hi omnes individuo comitatu incedentes per Austriæ provinciam et Hungariam, regi datis obsidibus, ad Belligraviam, Bulgariæ oppidum, et inde ad Niz et Straliciam pervenerunt; inde ad Daciam mediterraneam, quæ alio nomine Mesia dicitur, et ad [1]claustra sancti Basilii descendentes, Philippolim urbem nobilem et copiosam attigerunt; ubi cognito quod Hugo magnus, Philippi regis Francorum frater, cum aliis quibusdam ab imperatore Alexio in vinculis teneretur, dux magnificus Godefridus, missis legatis, rogat ut viros prædictos et cruce signatos solutos abire permittat. [2]Prædictus enim Hugo, vir illustris, quasi inter primos iter aggressus, Alpibus transcensis, in Apuliam per Italiam descenderat, et cum exiguo comitatu apud Dyrrachium mare transiens substiterat, peregrinos qui sequebantur exspectans; ubi a præside regionis vinctus et imperatori traditus, tanquam prædo et homicidii reus tenebatur in carcere. Sed cum nuntiis ducis præcise negaretur, de communi consilio per octo dies

[1] *Claustra sancti Basilii.*] 'Probably some Greek convents situated in the defiles of Mount Hæmus;' Mat. Paris, 1840, p. 111, *note.*

[2] *Prædictus . . . Hugo.*] Compare with the account following Albertus Aquensis, p. 200, and Will. Tyr. p. 654.

regionem totam cum legionibus suis depopulantes affligunt; hoc audiens imperator nuntios ad ducem dirigit, rogans ut a præda se cohibens nobiles recipiat expeditos. Dux igitur, pacatis legionibus, Constantinopolim pervenit, ubi etiam prædictos nobiles incolumes suscepit; erant autem cum Hugone magno Drogo de Neella, Clarenbaldus de Vendolio, Willelmus Carpentarius, qui omnes duci de sua liberatione gratias exsolverunt. A.D. 1096. History of the Crusades.

De nequissimo imperatore Alexio.

Alexius autem imperator Græcorum, vir nequam et subdolus, cum esset in palatio [1] Nichofori prædecessoris sui summus et princeps militiæ, contra dominum suum maliciose recalcitrans, quinto vel sexto ante hanc expeditionem anno, domino depulso, imperium invaserat et invasum nequiter detinebat; semper propositum habens fallendi sæpe cum peregrinis verba pacifica loquebatur in dolo, suspectam jugiter habens multitudinem cruce signatorum et militiæ probitatem. Unde, si quandoque nocere cessavit, non hoc virtutis exstitit, sed timoris; nam dux Godefridus cum ante urbem Constantinopolitanam tentoria fixisset, adsunt nuntii imperatoris, ipsum ducem invitantes, ut ad imperatorem cum paucis introire festinet. Dux vero, habito concilio, illuc ire distulit, unde indignans imperator forum rerum venalium ducis legionibus interdixit; porro principes alimentorum metuentes defectum, per suburbana longe lateque hostiliter discurrentes, greges undique contrahunt et armenta, et tantam in castra alimentorum deferunt opulentiam, ut usque ad satietatem etiam minores abundent; The emperor Alexius.

[1] *Nichofori.*] 'Nicofori,' *C.*

A.D. 1096. History of the Crusades.

unde imperator compulsus commercium restitui iterato præcepit.

De motione Boamundi principis in opus crucis.

Bohemond and his followers.

Interea,[1] dum hæc apud Constantinopolim geruntur, dominus Boamundus, Roberti Guiscardi filius, princeps Tarentinus, qui ante hiemem cum suo exercitu Adriaticum mare transiens Dyrrachium usque pervenerat, per deserta Bulgariæ ad suos, qui eum sequebantur, pedetentim appropians accedebat. Adhæserant namque ei viri quidam nobiles potentes, quorum hic in parte nomina subponemus; [2]Tancredus Willelmi marchionis filius, Richardus de Principatu et Rainulfus frater ejus, Robertus de Anxa, Hermannus de Carvi, Robertus de Surda valle, Robertus Turstani filius, Humfridus filius Radulfi, Richardus filius comitis Ranulfi, comes de Russillun et fratres ejus, Boeleis Carnotensis, Alberedus de Cognano, Humfridus filius ejus; hos autem sequebantur populi Italici, et quicunque a Tyrreno mari in Adriaticum usque sinum conversabantur. Hi omnes usque ad urbem Castoream Boamundi vexilla secuti, cum a civibus venalia populo non exhibebantur, contrahere greges et armenta compulsi sunt violenter. Indeque progressi in regione Pelagonia castra statuerunt; ubi audientes quod in vicino erat municipium solis hæreticis habitatoribus refertum, illuc sub celeritate contendunt, et, castrum vio-

[1] *Interea.*] William of Tyre, p. 658.

[2] *Tancredus Willelmi.*] Ordericus Vitalis calls Tancred 'Odonis Boni, marchisii, filium,' whose authority Muratori follows, rather than that of William of Tyre, from whom the text is taken. If for 'filius' we read 'frater,' the difficulty would be solved. Rer. Ital. Scriptt. v. p. 282.

lenter occupantes et ædificia igne conflagrantes, prædam immensam et opima inde spolia abstulerunt. A.D. 1096. History of the Crusades.

De peregrinatione comitis Tholosani.

Subsecuti sunt peregrinos prædictos comes Tholosanus [1]Ramundus, et episcopus Podiensis Aimerus, in negotium crucifixi. Erant autem cum eis in gente sua viri generis præclari, Willelmus, Aurasiensis episcopus, et comes Bainbaldus, Gaustus de Bediers, Girardus de Rossillun, Willelmus de Monte Pessulano, Willelmus comes Forensis, Reimundus Pelez, Gantonius de Bar, Willelmus Amanen; hos secuti sunt Gothi et Wascones, et quicunque cruce signati inter Pyrenæum et Alpes diffunduntur. Hi omnes præfatos subsequentes cruce signatos, per Italiam et Lumbardiam, et per regionem quæ Forum Julii dicitur, in Histriam, et tandem in Dalmatiam descenderunt. Cumque per dies quasi quadraginta omnem Dalmatiam multo pertransissent periculo, demum Dyrrachium pervenerunt; ubi et comes literis imperatoris exhilaratus iter arripuit, transcursisque montibus et silvis et universa Epirotorum regione, demum in pagum, cui Pelagonia nomen est, copiis omnibus redundantem, tentoria statuerunt; ubi cum ibi venerabilis Podiensis episcopus longius a castris tentoria fixit, hospitandi commoditate ductus, a Bulgaris irruentibus captus est. Sed dum unus ex prædonibus aurum ab eo quæreret, ipsum contra cæteros tuebatur; inter quos excito tumultu, ad voces decertantium exercitus commotus est uni- Raymond of Tholouse.

[1] *Ramundus.*] 'It is singular enough that Raymond of S. Giles, a second character in the genuine history of the Crusades, should shine as the first of heroes in the writings of the Greeks (Anna Comnen. Alexiad. x. xi.) and the Arabians (Lonqueruana, p. 129).' Gibbon, xi. p. 33, *note.*

A.D. 1096. History of the Crusades.

throdus comes Perticensis, Rogerus de Barnevilla, de Britannia viri magni Fergandus et Conanus; hos quoque sequebantur Angli, Normanni, Flandrenses, Britones, Andegavenses, Galli occidentales, et omnes populorum cunei, qui ab oceano Britannico usque ad Alpes mediterraneo tractu degebant. Isti omnes in negotium crucis profecti in Apuliam et Calabriam circa hiemis ingruentis initia, nivium et glacierum evitantes incommoda, descenderunt ibidem, exspectantes donec aura felicior arrideret. Circa idem tempus fundata est ecclesia Norwicensis, et in ea pro clericis monachi surrogati.

De obsidione Nicææ civitatis a cruce signatis facta.

A.D. 1097. Siege of Nice.

Anno Domini MXCVII. dux Godefridus cum suis legionibus apud Constantinopolim, dux Boamundus cum suis apud urbem Castoream, comes Tholosanus [1]cum suis apud Pelagoniam, celebres Dominicæ nativitatis dies transigentes, decreverunt, unusquisque in loco suo, intuitu religionis, manus a præda et qualibet injuria cohibere. Postea omnes in vere sequenti, compositis sarcinis, vehiculis et clitellis iter aggredientes, versus Nicæam urbem pedetentim incedunt; qui tandem ad Nicomediam, quæ Bithyniæ metropolis est, venientes, habuerunt obvium venerabilem sacerdotem Petrum Heremitam, qui cum paucis, qui sibi superfuerunt, reliquis legionibus occurrens, eorum cœtibus conjunctus est. Principibus salutatis, ubi ab omnibus benigne susceptus, de suorum amissione plurimum condolebant et multa ei donaria contulerunt. Multiplicatis igitur ar-

[1] *Cum suis.*] The followers of Raymond are called by the historians Provinciales, from the old denomination of Provincia Romana, or Provincia Narbonensis, including Languedoc, Dauphiné, and Provence. See Raimund de Agiles, p. 144.

matorum copiis, et moderamine congruo iter expedientes, Nicæam per Dei gratiam attigerunt; ubi castris in gyrum dispositis, loca tamen venturis legionibus reservantes, urbem mense Maio, decimo quinto die mensis, in die videlicet Dominicæ ascensionis, obsederunt. Comes vero Tholosanus negotiis pertractatis, sumpta ab imperatore licentia, ad urbem prædictam velox pervenit, et cæteris se principibus obsidionem agentibus cum legionibus conjunxit. A.D. 1097. History of the Crusades.

Qualiter dux Robertus venit ad obsidionem Nicææ civitatis.

Audiens[1] autem dux Normannorum Robertus, Nicæam urbem a principibus, qui ipsum præcesserant, jam esse obsidione vallatam, convocatis viæ consortibus sarcinisque compositis, ad mare descendit; et moram, quam fecerat in Apulia, redimere cupiens, cum omni tranquillitate Illirico, Macedonia, et utraque Thracia transcursis, Constantinopolim pervenit. Ubi ab imperatore vocatus, more aliorum principum, fidelitatem tam ipse quam comites qui cum eo venerant fecerunt; et inde in ampliorem recepti gratiam, in auro, vestibus pretiosis, vasis tam artificio quam materia admiratione dignis, holosericis quoque inauditæ æstimationis, dona susceperunt, qualia prius non viderant, et quæ ipsis etiam receptoribus stuporem inferrent, dum rerum antea visarum excederent dignitatem. Deinde sumpta ab imperatore licentia, transitoque Hellesponto, cum suis legionibus Nicæam pervenerunt, a principibus, qui eos prævenerant, magnæ devotionis amplexu suscepti, qui locum sibi in obsidione deputatum obtinentes castra magnifice statuerunt. Siege of Nice.

[1] *Audiens autem dux.*] Will. Tyr. pp. 663, 664.

A.D. 1097. History of the Crusades. Hic igitur primum ex diversis agminibus unus Dei viventis factus est exercitus, ubi [1]legionibus numeratis inventi sunt habere peditum sexcenta millia, equitum vero loricatorum centum millia, qui omnes in gyrum prædictæ urbis considentes laborum suorum cum omni devotione fructum Domino consecrarunt.

De pugna inter Christianos et Turcos, et nostrorum victoria gloriosa.

Siege of Nice. Nicæa,[2] urbs magna et rerum omnium opulentissima, una est de civitatibus Bithyniæ, cujus dominus erat quidam Turcorum potentissimus, simul et totius regionis, nomine Solimannus, qui lingua Persarum rex interpretatur. Hujus autem antecessores ab imperatore Constantinopolitano, Romano nomine, qui ante hunc Alexium erat tertius, has bello occupaverant regiones et easdem huic tradiderant Solimanno ; possidebat autem provincias universas a Tharso Ciliciæ usque ad Hellespontum, ita ut in confinio Constantinopolitanæ civitatis procuratores suos haberet, qui tributa et vectigalia totius regionis ad commodum domini sui colligerent et collecta confiscarent. Ipse autem cum multitudine copiosa armatorum in montibus vicinis, [3]vix ab obsidione decem milliaribus distans, opportunitatem quærebat, quo ordine urbem posset a cruce signatorum inquietudine liberare. Tunc Solimannus, ut cives obsessos consolaretur, duos ad illos direxit nuntios, qui navigio per lacum ad urbem descenderent, et mandata sibi imposita ad cives obsessos occulte perferrent ; sed unus ex illis, qui

[1] *Legionibus numeratis.*] Compare Fulcher. Carnot. p. 387.

[2] *Nicæa, urbs magna.*] Will. Tyr. p. 666.

[3] *Vix ab obsidione ... distans.*] 'Vix a nostro exercitu decem distans milliaribus.' Will. Tyr. p. 666.

missi fuerant a nostris, captus est, et alter gladio confossus. Principes autem nuntium, qui vivus captus fuerat, in arcto ponentes, didicerunt ab eo, quod Soldanus in crastino venturus erat, ut obsidionem solveret et illos de instanti periculo liberaret. Solimannus igitur in crastino circa horam tertiam, ut nuntius prædixerat, cum quingentis armatorum millibus ex montibus ad plana descendens, præmisit decem millia equitum ad portam meridianam, quæ comiti Tholosano commissa fuerat, ut cum impetu multo in ejus irruant legiones; a quibus accepti, et conatibus mirabiliter confractis et aciebus dissolutis, jam erant in fugam versi, cum ecce Solimannus, cum majoribus superveniens copiis, illos, qui dissoluti erant, iterum reducens in nostros redire compellit. At vero dux Godefridus et dominus Boamundus, comesque Flandrensis, cum suis ad unguem armati, videntes comitis exercitum supra vires fatigari, irruunt constanter in hostium legiones, et, interfectis ex eis ad quatuor millia et nonnullis captivatis, in fugam eos compulerunt. Nostri quoque hac prima potiti victoria obsidionem continuant, dispositis in gyrum militaribus catervis in hunc modum; Ad portam orientalem sedit dux Godefridus cum duobus fratribus suis et eorum catervis; ad portam septentrionalem dominus Boamundus cum Tancredo et aliis principibus suis; ad portam australem comes Raimundus et episcopus Podiensis; ad portam occidentalem dux Normannorum Robertus, et comes Flandrensis, cum suis armatis: sic ergo ex omni parte urbs vallata est, ita quidem quod antea non perlustrarunt radii solares militiam tam præclaram. Deinde principes nostri, ad terrorem civium inclusorum, capitibus occisorum amputatis et machinis immissis, in urbem projecerunt; mille

A.D. 1097. History of the Crusades.

A.D. 1097. History of the Crusades.

capita, cum quibusdam captivis, ad imperatorem dirigentes.

De subfossione et ruina turris.

Siege of Nice.

His ita gestis, placuit principibus ut petrarias aliasque[1] machinas ad muros urbis applicarent; dumque in hoc attentius artifices laborarent, et urbem frequentibus impugnassent congressionibus, curriculo septem hebdomadarum, quadam die condicto de more insultu, duos nobiles, Baldewinum videlicet Calderon et Baldewinum de Gant, unum jactu lapidum, alterum jactu sagittæ, dum animosius in urbis expugnatione decertarent, nostri misero infortunio amiserunt. In alio quoque similiter conflictu, de principum concilio iterato, comes Willelmus de Foreis et Galo de Insula sagittis confixi ceciderunt; Guido præterea de Possessa, vir nobilis, ibidem carne solutus est, gravi infirmitate correptus. Quadam iterum die, dum principes universi machinas suas certatim ad murum applicarent, comes Hermannus et Henricus de Ascha, Theutonici, instrumentum quoddam satis artificiose composuerunt, in quo equites viginti componentes ad murum applicuerunt, quæ tandem [machina], instantibus ad defensionem, magnorum impulsu lapidum ita contrita est, ut eos qui infra erant comprimeret universos; fervebant autem alii nihilominus in opus inceptum, et assiduis insultibus requiem civibus subtrahebant. [2]Lacus tamen civitati adjacens nostrorum præcipue præpediebat opus, nam cives per eum liberius navigantes

[1] *Aliasque machinas.*] For an account of the engines used at sieges, etc. in the middle ages, see Muratori, Antiq. Ital. tom. ii. p. 452, *seqq.*

[2] *Lacus.*] 'I cannot forbear remarking the resemblance between the siege and lake of Nice with the operations of Hernan Cortez before Mexico.' Gibbon, xi. p. 57, *note.*

victum et alimentorum copias, in nocumentum principum, intulerunt in urbem; at principes, adhibitis ad lacum navibus et armatis impositis, victualia civibus subtraxerunt. [1]Ad turrim quoque quandam, quæ erat in parte australi civitatis cæteris omnibus eminentior et fortior, ad expugnandum, cum omnia deficerent argumenta, tandem adhibuerunt suffossores, qui eam cum multo labore suffodientes, et ligneis materiis sustentantes, supposito dein igne quo ligna consumerentur, dum materia in cineres esset redacta, turris cum tanto fragore corruit, ut, instar terræmotus, audientium corda perturbans non modicum ingereret sua ruina terrorem. Ad sonitum igitur tantæ ruinæ, excitatæ legiones ad arma convolant, animos acuunt, quasi urbem protinus ingressuri. A.D. 1097. History of the Crusades.

De captione Nicææ civitatis et de remuneratione imperatoris.

Solimanni vero uxor, ex turris ruina in desperationem versa, navibus cum suis per lacum devecta ab urbe clam egreditur, sed nostri, qui in lacu erant in navibus ad explorandum immissi, fugientem capiunt, et captam principibus præsentant; captis igitur cum illa duobus filiis suis adhuc tenellis, sub arcta cum matre custodia deputantur. Dux magnificus Godefridus Turcum quendam, qui multos ex nostris telis confoderat, et insuper principes verbis probrosis afficiebat, visa opportunitate, sagitta cerebro perforato, extra murum in fossatum præcipitem dedit. Tunc undique omnes ad insultum animati, lituis perstrepentibus et tubis, aggrediuntur urbem; repletur aer clamoribus, non prosunt inclusis sagit- Siege of Nice.

[1] *Ad turrim quoque.*] Will. Tyr. pp. 669, 670.

A.D. 1097. History of the Crusades.

tæ, non tela ignita, non lapides aut ligna, non vires, non arma, non missilia augmentata. Tunc cives ad deditionem compulsi resignaverunt urbem [1]Tacino cuidam imperatoris ministro, quod nostris principibus ad majora properantibus satis placuit, juxta quod fuerat imperatori concessum; receperunt autem peregrini sclavos suos omnes, tum illos, qui in obsidione capti erant a civibus, tum illos, qui de exercitu Petri a Solimanno capti fuerant, ut superius est relatum. Principes igitur [2]nuntios ad imperatorem dirigentes hortati sunt instantius, ut ad partes illas tot de suis principibus mittat qui sufficiant ad custodiam civitatis. At imperator lætabundus et gaudens ex familiaribus suis quosdam direxit, qui urbem cum omni captivorum substantia in auro et argento et omni genere supellectilis susciperent, per quos etiam singulis peregrinis donaria transmittens ingentia, tam literis quam viva voce benevolentiam singulorum captabat, et pro tam laborioso servitio et imperii sui tanto incremento gratias refert copiosas. Capta est autem urbs Nicæa anno Domini millesimo nonagesimo septimo, [3]mense Julio, vigesimo die mensis.

De progressione cruce signatorum et damnosa victoria eorundem.

Battle of Dorylæum.

Soluta igitur obsidione, iterum mandato principum cruce signatorum ad proficiscendum invitatur exercitus, et compositis sarcinis tertio kalendas Julii iter arripuit, et pontem quendam

---

[1] *Tacino.*] He is called Taninus by William of Tyre; p. 671.

[2] *Nuntios ad imperatorem.*] The message may be found at length, Will. Tyr. p. 672.

[3] *Mense Julio.*] This should be 'Junio,' according to Will. of Tyre and the rest. See also, below, the date of the battle of Dorylæum; p. 89, l. 1.

transeuntes in duo exercitum diviserunt: dominus Boamundus et dux Normannorum Robertus, comes Blesensis Stephanus, Hugo de Sancto Paulo, et Tancredus, cum suis cohortibus lævam secuti in vallem, cui nomen est Gorgoni, pervenerunt; reliqui vero omnes dextram tenentes, vix a castris prædictorum duobus distantes milliaribus, dietam compleverunt. Solimannus vero illatæ memor injuriæ, in crastino circa horam diei secundam, adest cum Turcorum agminibus infinitis, quorum numerus ducentorum millium summam excedere dicebatur; nostri vero, per exploratores eorum adventu præcognito, sarcinas et [1]currus cum debilibus suis secus arundinetum in vicino positum locaverunt, et ipsi ad arma convolantes equos præparant, quasi cominus pugnaturi, et missis nuntiis ad alium exercitum, a quo temere recesserant, hortantur attentius ut auxilium [conferant] suis legionibus desperatis; sed interim, nostris invitis, bellum committitur horribile et damnosum, in quo Christiana contrita sunt agmina vehementer, nam equi eorum insolitum non ferentes clamorem Turcorum, buccinarum clangorem, ictusque taburcinorum, calcaribus non parebant. Dum igitur Christiani fugam inire cogerentur, supervenit magnificus dux Normannorum Robertus, clamans et dicens, 'Quo fugitis milites? quo fugitis? equi Turcorum nostris velociores sunt, unde fuga præsidio non est; melius est enim bene mori, quam turpiter vivere; mecum sentite, me sequimini.' Hæc cum dixisset, in quendam Turcorum regem lanceæ direxit aciem, quæ scutum illico et loricam cum corpore perforavit; secundum quoque, et tertium similiter, in mo-

A.D. 1097. History of the Crusades.

[1] *Currus.*] 'Currus Turcos,' *C.*

A.D. 1097. History of the Crusades.

mento confossos prostravit; tunc animus rediit Christianis, pugnaque gravissima committitur et horrenda. Cæsi sunt in illo conflictu de nostris duo principes; nam Willelmus, Tancredi frater, dum regem quendam Turcorum lancea transfigit, ejusdem regis lancea perforatur; Godefridus quoque de Monte, dum caput cujusdam pagani amputat, sagitta perforatur; tertius, [1] Parisiacensis Robertus, eodem mortis genere vitam finivit: ceciderunt autem in hoc conflictu ad duo millia peregrinorum, deficientibus agminibus et in fugam compulsis. Sed cum sic afficeretur populus Christianus, ecce alius exercitus, quem ducebat dux Godefridus, cum quadraginta millibus armatorum, qui omnes acriter in acies irruunt perversorum et atrociter satis et animose decertantes, dum Turci infideles tot hostes supervenisse conspiciunt, quasi cælum super se ruiturum expavescunt, cum duce suo Solimanno præsidium fugæ capessunt; quos fugientes Christiani tanta persequuntur instantia, ut per quatuor milliaria ultra eorum castra continuam operarentur ex eis stragem, et captivos omnes, quos Turci ceperant, reducentes, ad castra eorum sunt reversi; ubi reperientes copiam auri, argenti, jumentorum cum gregibus, armentis et victualibus infinitis, collectis papilionibus et tentoriis, equis pariter et camelis, in castra propria sunt reversi. Cecidisse autem dicuntur ea die de numero hostium, et apud suos, virorum potentium [2] ad tria millia. Actum est

[1] *Parisiacensis Robertus;*] supposed to have been the same with him who had before presumed to ascend the throne and place himself by the side of Alexius. His death is recorded in the Alexiad. See Gibbon, xi. p. 50, *note*.

[2] *Ad tria millia.*] The princes of the Crusaders in their public letter to Europe, on the events of the war, wrote that thirty thousand Turks were killed in the action and three thousand Christians. Martene, Vett. Scriptt. Ampl. Coll. i. 568.

itaque hoc prælium die kalendarum Juliarum, pugna multum dissimili, cum Turcorum centum quinquaginta millia contra Christianos quinquaginta millia decertarent. A.D. 1097. History of the Crusades.

De progressu peregrinorum a Nicæa usque ad Antiochiam in regionibus subjugatis.

Postquam autem per triduum moram, sibi et equis necessariam, in loco certaminis protraxissent, lituis monentibus, se iterum [1]ad iter accingunt, et transcursa Bithynia universa, Pisidiam sunt ingressi; ubi casu in provinciam arentem et inaquosam descendentes, ibidem positis [castris], importunitate ardoris [et] molestia cœpit populus ita deficere, ut plusquam quingenti spiritum exhalarent; tandem his erepti periculis descenderunt in regionem uberrimam, juxta Antiochiam minorem, quæ Pisidiæ metropolis est. Ex hinc quoque turmas suas dividentes dispersi sunt per provincias, ut eas explorarent, quo possent ad principes earum perferre notitiam; qui a castris divisi Heracleam, Lycaoniæ urbem, prætereuntes ad Iconium ejusdem regionis metropolim pervenerunt, quam omni habitatore vacuam invenerunt; Turci enim civitates et castella deserentes, cognito peregrinorum adventu, non habebant fiduciam resistendi; indeque Marasiam urbem transeuntes, Ciliciam sunt ingressi. Habet autem Cilicia ab oriente Cœlo-syriam, ab occidente Isauriam, a septentrione juga montis Tauri, ab austro Cypricum mare; habet etiam duas urbes metropolitanas, Anavarzan et Tharsum, doctoris gentium Pauli natale solum; hæc civitas subdita est Baldewino, fratri ducis Gode- Advance on Antioch.

[1]*Ad iter accingunt.*] 'The journey of Col. Macdonald Kinnear in Asia Minor throws considerable light on the geography of this march of the Crusaders.' Gibb. xi. p. 60, note by the Editor.

A.D. 1097. History of the Crusades.

fridi. Robertus dux Normannorum quandam cepit urbem Azena vocatam, et dedit eam suo militi Simeoni. Dux Boamundus et comes Reimundus ceperunt aliam urbem, quam Petro de Alpibus contulerunt; inde ad Oxan profecti urbem obtinuerunt, et Petrus de Russillun cepit Rufam et plurima castella subegit. Guelfus quidam, natione Burgundus, Adama urbem subjugavit, et Tancredum supervenientem in ea benigne suscepit. Tancredus inde profectus [1]Maunstram venit, et, Turcis interfectis, urbem subjugavit; inde ad minorem Alexandriam descendens urbem obtinuit et provinciam sibi totam subegit. Baldewinus, frater ducis Godefridi, ad majorem reversum exercitum, assumpta militia, in partes septentrionales descendit, et regionem totam usque ad Euphratem in sua jura recepit: exiit ergo fama ejus ad cives Edessanos, qui trans flumen habitabant, quod tantus princeps de gente occidentis advenerat, [2]qui vocantes eum humiliter rogabant, ut sibi et suæ civitati præesse dignaretur. [3]Est autem Edessa nobilis Mesopotamiæ civitas, quæ alio nomine Rages appellatur, ad quam Tobias senior Tobiam filium suum misit, ut a Gabelo cognato suo reposceret decem talenta; ad hanc veniens Baldewinus, a duce urbis et populo universo cum gloria suscipitur et honore. Inde urbem Samosatum adveniens, cum vidisset eam quasi inexpugnabilem, datis aureorum decem millibus, emit eam a duce civitatis et in sua jura recepit; et inde ad Sororgiam trans-

[1] *Maunstram.*] 'Mamistram,' *C.*

[2] *Qui vocantes eum.*] The governor of Edessa at this time was Theodore, or Thoros, a Greek, placed there by the emperor of Constantinople. Michaud, Hist. des Crois. i. p. 254, where the reader may find a detailed account of the revolution of Edessa, collected from Albert of Aix and Will. of Tyre, compared with Matthew of Edessa.

[3] *Est autem Edessa.*] Compare also Will. of Tyre, p. 682.

iens, obsedit illam et cepit. Quod cum factum fuerat, liber commeatus ab Edessa usque ad Antiochiam transire volentibus patebat. Major interea exercitus ad urbem Mareseam profectus, quam Turci præ timore vacuam reliquerant, Christianos in ea solummodo invenerunt. Inde miserunt Robertum ducem Normannicum ad urbem Artasiam, cum comite Flandrensi; quorum adventum cum cives cognoverunt, Turcos omnes, qui eos multo jam elapso tempore oppresserant, necaverunt, et extra urbem omnium capita projecerunt. Distat autem hæc civitas ab Antiochia milliaribus quindecim, quæ etiam Calquis alio nomine nuncupatur. A.D. 1097. History of the Crusades.

De transitu cujusdam pontis et obsidione Antiochiæ.

His ita gestis, revocatæ sunt omnes legiones dispersæ per diversas provincias, et, exercitu redintegrato, generale fit interdictum inter eos, ut nullus de cætero nisi jussus præsumat ab exercitu separari. Mane autem facto, acies versus Antiochiam dirigunt; sed quoniam fluvius [1] Orontes, qui et vulgari appellatione [2] Fer dicitur, in via medius erat, super quem pontem audierunt fortissimum esse obstaculum, miserunt Robertum ducem Normannicum cum sociis expeditis, qui itinera prætentarent, et, si quid difficultatis emergeret, principes sequentes super eo redderent certiores; præcedebat ergo dux majores legiones, donec ad prædictum pontem pervenit. Erat [3] pons lapideus, in utraque fronte turres Passage of the Orontes.

[1] *Orontes...super quem pontem.*] This bridge was over the Ifrin, not the Orontes, at a distance of three leagues from Antioch. See Wilken, vol. i. p. 172; Gibbon, xi. p. 62, note by the Editor.

[2] *Fer;*] called by Albert of Aix Farfar, p. 228.

[3] *Erat pons lapideus;*] called Geser Hadid; consisting of nine arches, with two towers built upon it: see Pococke, Descript. of the East, vol. ii. p. i. p. 172.

A.D. 1097. History of the Crusades.

habens fortissimas, in quibus centum viri armis strenui, balistarum usum habentes, erant deputati, qui pontem vel fluminis vadum volentes transire violenter arcerent; advenerant præterea ab Antiochia equites septingenti, qui, in ulteriori fluminis ripa constituti, transitum nostris negare pro viribus decertabant. Ad hunc quoque pontem cum transire non poterat dux Robertus, ab hostibus prædictis impeditus, fit ibidem conflictus asperrimus, quod usque ad adventum majoris exercitus non cessabat. Postquam ergo universæ convenerant legiones, lituis perstrepentibus et tubis, pontem invadunt, viribus totis hostes repellunt, et alii interim, vado reperto, flumen potenter transeunt, et ripam ulteriorem, hostibus fugatis, attingunt; deinde translato exercitu universo, castra statuerunt, et die sequenti inter montes et fluvium, viam regiam sequentes, ante urbem infra milliare unum castra locaverunt.

Siege of Antioch.

Est[1] autem Antiochia civitas præclara, ab Antiocho filio Alexandri Macedonis dicta, eo quod illam caput statuerat regni sui; in hac postmodum apostolorum princeps cathedram tenuit pontificalem, sub Theophilo viro venerabili, qui erat in civitate potentissimus, a quo etiam fuit Theophilis nuncupata; hæc quoque priscis temporibus dicta est Reblata, ad quam Sedechias, rex Judæ, ante Nabuchodonosor regem ductus est et oculis privatus. Sita est in provincia Syriaceles, quæ majoris Syriæ pars esse dignoscitur, agros habens uberrimos, rivis ac fontibus delectabiles et amœnitate singulares. Erat autem dominus civitatis [2]quidam Axianus, natione

---

[1] *Est autem Antiochia.*] For a description of Antioch see Pococke, vol. ii. p. i. pp. 188-193.

[2] *Quidam Axianus.*] So Will. of Tyre: by Robert the Monk he is called Cassianus; by Fulcher of Chartres, Gratianus; and by Albert of Aix, Darsianus. His

Turcus, qui de familia fuerat magni Soldani Persarum, nomine Belfecho, qui provincias illas omnes suo, expulsis Christianis, subjugavit imperio. Placuit itaque principibus occidentis ut ad urbem accedentes eam obsidione vallarent; unde urbi appropinquantes, decimo quinto calendas Novembris acies in gyrum in hunc modum disponunt; cum igitur quinque essent portæ civitatis, quarum duæ propter fluminis vicinitatem non poterant obsideri, dimisit illas exercitus inobsessas, reliquis tribus obsidione vallatis. Superiorem[1] igitur portam obsedit Boamundus, cum his qui ab initio fuerant ejus castra secuti: juxta eum sedit dux Normannorum Robertus et comes Flandrensis cum sociis suis, qui a castris Boamundi usque ad portam Canis agmina conjunxerunt: juxta illos continuaverunt obsidionem comes Tholosanus et episcopus Podiensis Aimerus, cum aliis nobilibus, qui eorum fuerant vexilla secuti: juxta eos sederunt aliis copulati dux Godefridus, cum fratribus suis Eustachio et Baldewino, et aliæ legiones multæ, quæ ipsum quasi rectorem fuerant subsecutæ. A.D. 1097. History of the Crusades.

Boamundus, victualia quærens, multos Turcorum interfecit.

Civitate itaque in hunc modum obsessa, locaverunt machinas in locis opportunis, petrarias scilicet, [2] trubuculos et mangonellos, ex quibus crebros lapides emittebant et damnosos, quæ civibus inclusis terrorem non minimum incusserunt. Castel- Siege of Antioch.

right name appears to have been Baghisian, or Akhy-Syan; Michaud, i. p. 267, *note*.

[1] *Superiorem igitur portam.*] 'Quæ ad orientem respicit, erat porta una, quæ hodie dicitur sancti Pauli, eo quod monasterio ejusdem apostoli in clivo montis posito, sit subjecta.' Will. Tyr. p. 689.

[2] *Trubuculos;*] a kind of catapult: see Du Fresne, Gloss. ad *voc.* Tribulus.

A.D. 1097. History of the Crusades.

lum etiam ligneum latum componentes, in altum balistarios in eo locaverunt, qui, in insidiis civium constituti, telis igneis et venenatis multos neci ex hostibus tradiderunt. Turci e contrario machinas pro machinis construentes, tela pro telis, et lapides pro lapidibus, in peregrinorum perniciem remiserunt; tandem innumeris hinc et inde interfectis, et, maxime ex eis qui victualia quærebant, deficientibus alimentis, dominus Boamundus et comes Flandrensis et Robertus de communi consilio, ut pabula quærerent, exierunt. Audientes autem Turcos esse in quodam castello et villa magna, in regione hostium, bonis omnibus refecta, profecti sunt illuc cum legionibus suis, ubi multis, Deo volente, a paucis trucidatis, spolia multa in suos usus receperunt. Cognoverunt autem prædicti principes, per exploratores suos, Turcorum multitudinem in proximo constitutam, contra quam comitem Flandrensem direxit Boamundus cum viribus armatis, ipse majoribus copiis stipatus secuturus. Comes vero, in opere martio vir strenuus, in hostes acriter irruens centum ex eis gladio peremit; dumque victor ad socios rediret, ecce alii exploratores multo fortiores nuntiant adventare ex alio latere emergentes; contra quos viribus multiplicatis incedentes, prævia Dei gratia, omnes in fugam compulerunt, et quasi per duo milliaria insequentes eos, stragem non modicam hostibus intulerunt; indeque cum triumpho ad castra revertentes, cum equis et mulis, camelis, asinis, armentis et spoliis uberrimis, quæ contraxerant, agros repleverunt circumpositos, et principes, in victus penuria laborantes, immensa lætitia profuderunt. Sed quoniam tantæ multitudini vix per dies paucos præda sufficere potuit præfata, prævaluit in brevi adeo fames in populo, quod

innumera hominum multitudo, ab obsidione recedens, juramentorum et [1]votivæ professionis immemores, clam ad patriam repedarunt; inter quos etiam et [2]Tacinus quidam, homo subdolus et imperatori Alexio familiarissimus, peregrinorum oppressionem metuens, ut quocunque modo fraudem palliaret, relicta in obsidione familia cum tentoriis, recessit non denuo reversurus. Hoc quoque tempore [3]Suanus, Danorum regis filius et cruce signatus, cum viris mille quingentis optime armatis ad obsidionem properans Antiochenam, non longe ab urbe Nicæa Turcorum perpessus insidias, cum suis omnibus interfectus est; sed tamen diu et viriliter hostibus resistentes, ne inulti animas effundere viderentur, cruentam post se proditoribus victoriam reliquerunt. A.D. 1097. History of the Crusades.

De afflictione peregrinorum in fame et mortalitate.

Per idem tempus, in obsidione cum fames de die in diem invalesceret, et ex fame lues sequeretur, de mandato domini Podiensis, qui legatione sedis apostolicæ in exercitu fungebatur, statutum est, ut triduanum indiceretur jejunium in populo; videbatur enim prudentioribus viris et literatis, quod, peccatis exigentibus, prædicta incommoda acciderunt. Decreverunt pariter, meretrices omnes ab exercitu sequestrari, adulteria et fornica- Sufferings of the besiegers.

[1] *Votivæ professionis immemores.*] Amongst these was Peter the Hermit; for, according to Fuller, 'when the siege grew hot his devotion grew cold, he found a difference between a voluntary fast in his cell and a necessary and indispensable famine in a camp.' Holy Warre, 1651, p. 11.

[2] *Tacinus,*] Tatinus or Taticius, as he is also called, left the camp under the promise that he would induce his master at Constantinople to send troops and provisions; but, as Robertus Monachus adds, 'ipse nec sacramentum tenuit nec verborum sponsionem implevit.' Gesta Dei per Francos, p. 48.

[3] *Suanus.*] Upon the probability of this story, omitted by the Danish historians, see Michaud, i. p. 278, *note.*

A.D. 1097. History of the Crusades.

tiones, ebrietates et comessationes, aleas et fallaces jurationes, simul et omnes fraudes interdicere universis, ut, omni spurcitia eliminata, adesse sibi divinam misericordiam humiliter implorarent. Factum est autem, ut per gratiam Dei superabundantem, populo ad frugem vitæ melioris revocato, ex parte quiesceret sævior ira Dei: movebantur enim supra modum ex hoc peregrini, quod sciebant exploratores esse in exercitu ex omnibus orientis nationibus in quibus conversabantur increduli; dum unusquisque eorum, de proprio statu sollicitus, scire volebat qualiter se contra tantam expeditionem defendere valuisset; nec enim erat difficile hujusmodi exploratoribus inter nostros latere, cum mercatores in exercitu victualium, alii Græcos, alii Syrianos, alii Armenios, se esse affirmarent. Et cum hujusmodi exploratores famem invalescere simul et mortalitatem conspicerent in exercitu, timuerunt peregrini valde, ne, si tanta calamitas inter gentiles disseminaretur, ipsi collectis militaribus copiis supervenientes peregrinos obruerent universos. Cumque principes contra hoc nullum potuissent remedium invenire, Boamundus, vir perspicacis ingenii, circa primum noctis sequentis crepusculum, cum alii sodales per castra [1]pro apparatu cœnæ de more essent solliciti, adduci præcepit Turcos aliquot, quos habebat in vinculis, et tradens eos carnificibus mandat jugulari, et, copioso igne supposito, quasi ad opus cœnæ assari. Jussit etiam suis, quod, si ab aliquibus

[1] *Pro apparatu cœnæ.*] Malmsbury states, that the famine was so severe that human flesh was actually eaten; 'nec defuere, qui cadavera cadaveribus infarcirent, humanis pasti carnibus.' § 362. Upon the ruse of Bohemond in the text Gibbon has, 'This cannibal hunger, sometimes real, more frequently an artifice or a lie, may be found in Anna Comnena, Alex. l. x. p. 288;' vol. xi. p. 55, *note*.

essent interrogati quid sibi vellet talis cœnæ apparatus, dicerent sic esse decretum, ut quotquot ex hostibus deinceps ab eorum exploratoribus caperentur, omnes in prandiis principum et populi modo simili consumerentur. Audientes autem qui in expeditione erant tam admirabile factum, et quod in castris domini Boamundi talia agerentur, accurrerunt universi, et rei novitatem admirantes, qui adfuerunt exploratores, totum serio fuisse factum et absque simulatione credebant; timentes itaque ne quid sibi simile accideret, de castris furtim egressi ad propria sunt reversi illis, qui eos miserant, dicentes, quod populus iste omnium ferarum silvestrium excedat sævitiam, cui non sufficiat sibi urbes et castella subjugare, omnimodam hostium substantiam diripere, vel homines captivos inclementius torquere et occidere, nisi insuper et de carnibus eorum ventrem suum impleat et inimicorum sanguine saginetur. Exiit ergo sermo iste ad partes orientis remotiores, et longe positas perterruit nationes, civitas quoque Antiochena tota contremuit, hujus facti perterrita novitate; hæc contulit Deus populo suo per studium et operam domini Boamundi, et per hoc exploratorum pestis [1] in parte quievit. A.D. 1097. History of the Crusades.

De convalescentia ducis Godefridi ab infirmitate, et ægritudinis causa.

Surrexit præterea in exercitu ingens lætitia de convalescentia ducis Godefridi, qui de valida ægritudinis molestia plene restitutus est sanitati; receperat namque apud Antiochiam minorem Anecdote of duke Godfrey.

[1] *In parte quievit.*] Wendover has here omitted the account given by William of Tyre of the embassy sent by the caliph Mosthadi to the camp of the Crusaders. Compare Will. Tyr. p. 996, with Robert. Monach. p. 51.

A.D. 1097. History of the Crusades.

vulnus fere letiferum, ab urso quodam sibi inflictum. Dum ibi constitutus, ob gratiam recreationis silvam quandam ingressus, pauperem peregrinum invenit ligna arida comportantem; quem ursus ingens et horrendi corporis fugientem insequens ut devoraret, periculum imminens pauper clamore testatur; dux vero, pauperem clamantem conspiciens et rapido cursu fugientem, compatitur peregrino jam a bellua devorando, et velociter irruit, educto gladio, ut opem ferret patienti: videns ergo ursus ducem gladio instantem, spreto peregrino, quem prius persequebatur, dentibus armatus et unguibus in hostem se contulit fortiorem. Tandem dux, equo crudeliter vulnerato, pedes effectus gladio rem agebat; ursus autem patulo oris rictu et murmure occurrens horrido, ducis constantiam parvipendens, contempto gladio, nititur se cominus ingerere repugnanti. Porro dux, irruentem a se belluam propellere gladio totis nisibus instans, mucrone eam perfodere laborabat; verum ursus gladium declinans, et ducem brachiis amplexum constringens, in solum dejicere conatur, ut sub se positum dente posset facilius et unguibus laniare; verum miles strenuus et in armis egregius, læva belluam complexus, dextra impingit aciem et capulo tenus immerso gladio mortem ingerit reluctanti. Saucius tamen dux et cruore respersus, periculosissime quoque vulneratus, cruentam nimis victoriam reportavit; unde nimia sanguinis effusione debilitatus ad sodales non potuit remeare. Tandem vero, prædicto paupere, qui ejus beneficio mortem evaserat, proclamante et casum indicante, accurrunt legiones universæ, et lectica impositum cum gemitu omnium et lachrymis detulerunt ad castra, et sub chyrurgicorum sollicitudine illum deputarunt donec con-

venientibus remediis plenam posset consequi sanitatem. Nunc igitur, ut prædictum est, pristinæ sanitati restitutus gaudium contulit legionibus universis. A.D. 1097. History of the Crusades.

De consecratione Sampsonis Wigorniensis episcopi.

Eodem anno Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, [1]consecravit Sampsonem in episcopum Wigorniensem Londoniis, in ecclesia sancti Pauli, die Dominica, decimo septimo kalendas Julii. Consecration of Samson, bishop of Winchester.

Eodem anno [2]Richardus de Exaquio, abbas ecclesiæ sancti Albani Anglorum protomartyris creatus, rexit eam magnifice annis viginti duobus, interius religionem reformando, et exterius in cellis, plurimis terris, possessionibus et rebus multimodis ampliando.

De duorum millium strage Turcorum.

Anno Dominicæ nativitatis MXCVIII. peregrini, qui erant in obsidione Antiochiæ, dies Natalitios in obsequiis divinis et eleemosynarum exhibitionibus magnifice celebrarunt; inter quos etiam cives Antiocheni, de suo statu satis solliciti, principes infideles tam vicinos quam longe positos in sui subsidium evocarunt. Factum est autem per eorum instantiam diligentem, quod a Damasco, Hierusalem, Cæsarea, Alapia, Haman, Emissa, et Hierapoli, et conterminis regionibus multis, congregati referuntur circa castrum cui nomen est [3]Hareg, quod ab Antiochia vix A.D. 1098. Siege of Antioch.

[1] *Consecravit Sampsonem.*] Samson was ordained presbyter by Anselm, at Lambeth, on the 14th June 1096; and on the day following was consecrated, at S. Paul's, bishop of Worcester. He died 5th May 1112. Eadm. Hist. Nov. p. 35.

[2] *Richardus de Exaquio.*] Richard of Lessay, or Essay, in Normandy. He died the 16th of May 1119. Mat. Par. Vit. Abbat. S. Alban. p. 54.

[3] *Hareg.*] 'Harenc,' Will. Tyr.

A.D. 1098. History of the Crusades.

quatuordecim milliaribus distat, ad viginti octo millia bellatorum. Hi omnes habuerunt propositum ex improviso in peregrinos irruere, dum circa urbis insultum essent occupati; sed principes nostri, quos eorum insidiæ non latebant, pedites omnes de exercitu in obsidione relinquentes, qui equites erant in primo noctis crepusculo, armis instructi, sine tumultu et quasi sub silentio e castris egressi, inter lacum quendam et Orontem fluvium, qui quasi unius milliaris [spatio] a se distant, nocte illa quieverunt; mane autem facto, cum festinatione ad arma convolantes in sex aciebus suum disponunt exercitum, singulis earum certis ducibus assignatis. Turci vero non longe constituti, scientes quod nostri in vicino essent, de suis copiis duas acies præmiserunt, reliqua turba cominus subsequente; factum est autem ut nostri, qui vix septingenti erant, suscepto de supernis incremento, infinita millia viderentur. Procedentibus itaque paulatim ad invicem legionibus, cœperunt primæ acies eorum in nostros cum magno impetu irruere, et, immissa sagittarum grandine, ad suos confidunt habere recursum; nostri autem cominus accedentes, vibratis more solito lanceis et gladiis incumbentes, eos omnes in unam turbam solidari compellunt; comprimentibus quoque illos hinc lacu, illinc fluvio, evagandi licentiam auferebant, unde Turci, Christianorum ferre non valentes instantiam, in sola fuga constituunt spem salutis; dantibus ergo tergis infidelibus, nostri eos certatim insequuntur usque ad castrum supradictum, quod a loco certaminis milliaribus decem distabat. Videntes autem oppidani suorum fugam, et gladiis eos fere omnes cecidisse, succenso Hareg castro, et ipsi fugam capessunt; at vero Armenii et alii fideles regionis, prædictum occu-

pantes municipium, illud nostris principibus reddiderunt. Ceciderunt autem die illa ex hostibus ad duo millia, ex quibus quingenta capita reportantes cum mille equis optimis et manubiis copiosis ad castra reversi sunt, multas gratiarum actiones Domino persolventes. Cives quoque interea, per portam civitatis certatim egredientes, fere tota die nostris gravissima intulerunt certamina, donec nostrorum audientes adventum in civitate sese receperunt. Principes itaque victores ad obsidionem reversi ducenta capita Turcorum, in signum triumphi et doloris eorum incrementum, machinis jaculatoriis in urbem immitti fecerunt; cætera vero ante urbem palis confixa statuerunt, ut tam hæc quam illa eorum molestias adaugerent. A.D. 1098. History of the Crusades.

Peregrini trecenti a Turcis prosternuntur.

Cumque principes omnes ad obsidionem reversi fuissent, invadunt acriter universi mœnia civitatis; contra quos cives acerrime rebellantes signiferum Podiensis episcopi et multos alios peremerunt. Tandem, cum in mensem quintum se protraheret obsidio, venerunt naves Januensium, peregrinos et victualia ferentes, et frequentibus nuntiis exigentes, ut, missis aliquot de principibus, secure eos ad castra conducerent; quod audientes peregrini, qui in obsidione erant et victus penuria vexabantur, infinitus eorum numerus ad mare descendit, ubi, peractis negotiis, ad castra redire proponunt. Eliguntur itaque de principibus dominus Boamundus, comes Tholosanus, Everardus de Pusaco, [1] et comes Garnerus de Gres, ut peregrinos qui in portu erant, tam Siege of Antioch.

[1] *Et comes Garnerus de Gres.*] Albert of Aix adds Raymond count of Provence. The port where the Genoese disembarked bore the name of S. Simeon the Hermit; *Ibid.* p. 236.

A.D. 1098. History of the Crusades.

eos qui nuper advenerant quam alios qui ad mare descenderant, sub salvo ad castra reducerent. Audientes autem Antiocheni, quod prædicti principes ad mare descenderant, missis quatuor millibus expeditorum militum, illis obviam processerunt, ut parantes peregrinis insidias eos interficere laborarent; factum est autem, cum plebei peregrini cum victualibus et jumentis onustis inermes redirent ad castra, Turci ab insidiis erumpentes in ipsos non segniter irruperunt; contra quos cum principes præfati diu decertassent, videntes tandem imparem nimis conflictum contra tantam Turcorum multitudinem, cum illis qui eos sequi poterant recedentes, ad castra de loco certaminis redierunt; ceciderunt autem ibi ex pauperibus peregrinis quasi trecenti promiscui sexus et ætatis.

De strage Turcorum gravissima et prælio eatenus inaudito.

Siege of Antioch.

Venit interea rumor in castra, quod peregrini, qui de mari advenerant, hostium in via perpessi insidias omnes repentino impetu corruissent; sed dum hæc inter se principes nimis condolentes ruminarent, ecce Boamundus et post paululum comes Tholosanus ad castra revertuntur, casumque qui acciderat principibus exponentes. Axianus itaque, dominus civitatis, cognoscens quod sui victores erant, præcepit portas urbis aperire, ut cives revertentes liberum haberent ingressum. Sed principes nostri, confratrum sanguinem ulcisci cogitantes, ad arma convolarunt, et dispositis aciebus hostibus occurrunt, et solita gladiis incumbentes constantia in Turcos irruunt, qui, præ timore agminibus dissolutis, pontem civitatis certatim obtinere contendunt; sed dux Lotharingiæ Godefridus, cum suis pontem occu-

pans, aut intrare volentes gladiis obtruncat, aut in principes illos insequentes redire perituros compellit; sic ergo cum nec hic nec alibi principum impetus, armorum instantiam, ictusque importabiles sustinere diutius valerent, salutis unicum remedium fuga erat, quo frustrati penitus gladiis passim cæduntur et pereunt. Axianus autem populum suum penitus deficere videns portas præcipit sub omni celeritate aperiri, ut eorum saltem reliquias sub tuto permitteret collocari; reserato igitur aditu, tanta super pontem fugientium conglobata est turba, tantusque factus tumultus, ut se invicem comprimentes in fluvium præcipitaretur eorum numerus infinitus. Dux quoque Godefridus, postquam in hoc conflictu multorum capita loricatorum sine ictus repetitione solita fultus virtute amputaverat, unum ex Turcis in nostros protervius instantem, licet lorica indutum, per medium cum gladio divisit, ita ut pars ab umbilico superior ad terram caderet, reliqua parte super equum, cui insederat, intra urbem cursu rapido introducta; equus autem hinniendo inter Turcos huc illucque, ac si diabolica esset invectus furia, discurrens, sessoris corpus ab umbilico deorsum gerens, omnes qui viderunt illius rei perterruit novitate. Dux etiam Normannorum Robertus, alium sibi nimis infestum in capite percutiens, galeam et clypeum, caput, dentes et collum, ut solet ovicula a carnifice, usque in pectus deorsum diffidit; quo ruente in terram, ait Robertus, 'Omnibus tartareis ministris animam tuam cruentam commendo.' Ceciderunt quoque illa die ex hostibus quasi ad duo millia Turcorum, et, nisi nox superveniens bellum dirempsisset, finem procul dubio illa die Antiochenum negotium habuisset. Compertum est fideliter a nostris per captivos Tur-

A.D. 1098. History of the Crusades.

A.D. 1098. History of the Crusades.

cos, quod duodecim ex majoribus eorum cum aliis corruerunt. Cives de nocte suorum corpora defunctorum sepulturæ tradiderunt, sed nostri, funera eorum effodientes, aurum, argentum et vestes pretiosas ex sepultis canibus extraxerunt, quæ omnia in usus pauperum peregrinorum cesserunt.

De equis duobus millibus a peregrinis captis.

Siege of Antioch.

Post hanc autem victoriam divinitus peregrinis concessam, ut castra nova quædam et machinas ad expugnationem urbis construxissent, audierunt quod cives pro defectu pabuli ad locum quendam pascualem equos suos consueverant destinare, qui vix ab urbe quatuor milliaribus distare videbatur; quod nostri cognoscentes et ad locum pascualem properantes, occisis qui armentis præerant et equis, exceptis mulis et mulabus, duo millia equorum nobilium ad castra deduxerunt. Per idem quoque tempus Baldewinus, ducis Godefridi frater, qui, ut prædictum est, Edessam subjugaverat civitatem, audiens quod peregrini magna rerum laborarent inopia, missis donis ingentibus, in auro, argento, sericis et equis pretiosis, res principum singulorum reddidit ampliores; insuper autem et duci fratri suo, qui de terra circa Euphratem possidebat, omnes redditus in frumento, vino, hordeo et oleo, necnon et aureorum quinquaginta millia destinavit. Eodem tempore nuntiatum est principibus, quod [1]Soldanus, Persarum dominus, ad Antiochenorum instantiam et suorum postulationes assiduas, innumerabiles armatorum copias in Syriam transmiserat, quæ jam imminere, quasi præ foribus, dicebantur. Hujus quoque famæ

[1] *Soldanus.*] 'Solidanus,' *C.*

disseminatio adeo principes nostros perterruit, ut Stephanus, Carnotensium comes, ægritudine simulata et sumpta a fratribus licentia, cum quatuor armatorum millibus ab obsidione non rediturus abscessit; quo facto tam notabili tamque funesto principes, qui in castris erant, consternati, cœperunt anxie deliberare quomodo huic morbo possent occurrere, ne hoc exemplo pernicioso alii simile aliquid attentarent. Placuit ergo omnibus, ut quicunque se a castris sine principum licentia subtraheret, tanquam sacrilegus aut homicida in exercitu haberetur; unde factum est, ut omnes pariter, tanquam viri claustrales, principibus suis obedientiam voluntate spontanea exhiberent. A.D. 1098. History of the Crusades.

De Emyfero, per quem tradita est Antiochia.

Solet autem divina clementia servorum suorum deficientibus argumentis subvenire propitius, nec etiam suos ultra quam sustinere possunt tentari permittit. Erat enim in urbe Antiochena inter alios vir quidam genere præclarus et Christiana professione insignitus, [1]Emyfer nuncupatus, homo potens nimis et Axiano urbis domino multa familiaritate conjunctus, ita quidem ut in ejus palatio notarii officio fungeretur; vir prudens et industrius, audiens quod Boamundus princeps esset illustris et magnificus, statim post obsidionem urbis per internuntios fideles ejus sibi gratiam reconcilians, civium et urbis statum diebus singulis denudabat, et nimis, licet occulte, amicum in omnibus agendis diligentius Siege of Antioch.

[1] *Emyfer.*] The greater number of the historians of this period call this traitor Pyrrhus, or Phirous, the son of an Armenian maker of cuirasses. See Michaud, i. p. 305, *note*; also 'the interesting extract from Kemaleddin's history of Aleppo in Wilken, preface to vol. ii. p. 36;' Gibbon, xi. p. 65, *note*.

A.D. 1098. History of the Crusades.

instruebat. Boamundus quoque, versa vice, amici sui occultabat arcanum, ita ut nullus internuntiorum alterutræ partis aliquod secretorum posset colligere argumentum. Cumque jam quasi mensibus septem hæc se inter eos continuasset amicitia, plerumque habitus est sermo inter eos quomodo Christianæ religioni civitas redderetur; et cum super hoc a Boamundo Emyfer sæpius esset conventus, semel ei per filium suum, qui secretorum erat bajulus, dicitur respondisse, 'Si patriam pristinæ restituere libertati, et exclusis canibus immundis, quorum violenta dominatione premimur, populum Dei cultorem possem introducere, certus sum quod cum sanctis animabus æternæ beatitudinis præmia possidebo; si vero rem inceptam consummare nequivero, procul dubio domus mea et præclaræ nomen familiæ meæ delebitur, ita ut non memoretur nomen illius ultra; sed si tu hoc posses apud tuos consortes obtinere, quod civitatem, meo tibi studio traditam, tuam appropriare et in tuos usus convertere voluisses, ego tui gratia ad opus prædictum me accingam, et turrim meam munitissimam hanc, ut[1] vides, tibi tradam, unde principibus vestris liber in civitatem patere poterit ingressus. Ad hæc, noveris, quod nisi hoc in proximo fiat, in perpetuum differetur, veniunt enim in subsidium civitatis ex omni oriente equitum ducenta millia, qui jam circa Euphratem castra statuerunt.' Hæc audiens Boamundus venit in castra et, majores principes a turba seorsum advocans, ita alloquitur dicens, 'Video vos, fratres dilectissimi, de adventu illius multitudinis armatorum et illorum ducis Corbaranni nimia sollicitudine macerari, qui jam obsidionem Edessæ civitatis, ubi per tres septimanas consederunt, ad hoc reliquerunt,

[1] *Ut vides.*] The tower of the Three Sisters.

ut civibus Antiochenis subsidium ferant. Videtur mihi, quod ad hoc deberet omnis nostra festinare intentio, ut ante hujus adventum multitudinis civitas in nostram descenderet potestatem. Quod si modum quæritis, quo id effectui valeat mancipari, in promptu est nobis via, qua facile ad finem perveniamus optatum; habeo enim in civitate amicum fidelem, qui turrim habet in sua potestate firmissimam, quam certis promissionibus, si illam ab eo exegero, fide mediante resignare tenetur. Si ergo vobis id utile videtur, ut civitas mea sollicitudine subjugata in meam perpetualiter et successorum meorum transeat potestatem, paratus sum pacta complere; sin autem elaboret vestrum aliquis ad ipsum facere, ego illi meam concedo partem et renuntio juri meo.' A.D. 1098. History of the Crusades.

De captione Antiochiæ et spoliis civitatis.

His ita dictis, gavisi sunt principes gaudio magno, et petitioni factæ omnes, [1] præter comitem Tholosanum, grato concurrentes assensu, datis dextris, compromiserunt, quod sibi creditum nemini revelarent arcanum; Boamundum autem attentius monent, quatenus ad rei consummationem viribus totis intendat. Soluto igitur conventu, Boamundus, propositum urgens, amico significavit, quod apud principes pro voto cuncta impetraverat, unde per fidem amicum invitat ut nocte proxima sequente res effectui mancipetur. Emyfer e contrario Boamundo denuntiat, ut circa horam nonam principes omnes egrediantur, tanquam hostibus obviam profecturi de castris, et circa primam noctis vigiliam in silentio revertentes parati sint hora noctis media juxta ejus monita se habere. Quod cum ita factum fuisset, Taking of Antioch.

[1] *Præter comitem Tholosanum.*] Baldric and Tudebodus assert that the proposition was refused by all; pp. 109, 792.

A.D. 1098. History of the Crusades.

jam nocte media adveniente, cum se civitas universa quieti dedisset, interpretem domesticum ad prædictum dirigit amicum, ut ab ipso inquirat, utrum sibi adhuc domini sui familiam adesse velit. Adveniens autem nuntius ille, cum ei verba domini sui exposuisset, respondit ei, 'Sede hic quietus et tace, donec revertar ad te.' Ille vero paululum exspectans quousque magister vigilum, qui ter vel quater in nocte muros cum laternis circuire consueverat, si quos ex ministris inveniret somnolentos, pertransiret, protinus vir ille, visa opportunitate, ad nuntium reversus ait, 'Vade cito et dic domino tuo, ut festinus adveniat cum viris electis.' Qui citius ad dominum recurrens invenit eum cum principibus paratum, et illico, sicut instructi erant, subito ante turrim prædictam quasi vir unus in maximo silentio astiterunt. Emyfer interea turrim ingressus fratrem reperit somno gravatum; cujus mentem a suo proposito sciens alienam, timens ne per eum inceptæ rei impedimentum eveniret, gladio transverberat ipsum, facto eodem pius et sceleratus existens; post hæc autem rediens et principes paratos conspiciens, funem demittit inferius, quo scalam ad se pertrahat sublevatam. Erecta igitur scala, [1] nemo repertus est, qui ad vocem superioris vel ad vocem Boamundi præsumat ascendere, proditionem metuentes; quod videns Boamundus ascendit illico scalam intrepidus. At Emyfer tenens manum ejus traxit eum in turrim, dicens, 'Vivat hæc manus!' et ducens eum interius, ostendit ei fratrem, quem pro opere tam sancto necaverat, amico causam exponens. Ruit igitur Boamundus in oscula viri constantiam ejus

[1] *Nemo repertus est.*] 'Solus Bohemundus fœderis fide fultus per funem ascendit.' Bernard. Thesaurar. Murator. tom. vii. col. 694.

admirans, et reversus ad scalam hortatur suos ut ascendant; sed nullus ascendere ausus est, donec Boamundus per scalam ad suos rediens incolumitatis dedit evidens argumentum. Deinde certatim ascendentes in momento turrim repleverunt, et non solum turrim illam, sed et de collateralibus nonnullas occuparunt, quæ fuerunt numero decem, earum custodibus cum silentio interfectis; et deinceps portam unam, quæ adulterina erat, aperientes, principes, qui erant de foribus, introducunt. Crevit eorum numerus ita, qui intus erant, ut ad portam quæ Pontis dicitur concurrentes, cæsis ejus custodibus, eam aperiunt violenter; cognoscentes, quia auroram perspicue rutilaret, cornibus et lituis cœperunt perstrepere, ad urbis ingressum illos qui in castris erant animantes; vexillum quoque domini Boamundi in una turri eminentiore ejusdem ministri collocantes, captam esse denuntiant civitatem. Cives autem ex tanto tumultu expergefacti dubitant, quid sibi velit clamor ille insolitus; qui tandem videntes armatorum discursus et plateas occisorum scatere funeribus, domibus relictis, cum uxoribus et liberis effugere tentabant, sed fugientes imprudenter stragem undique invenerunt. Qui autem in urbe habitabant Christiani diversarum regionum, arreptis armis, nostrorum cœtibus se adjungunt, et stragem civibus non minimam intulerunt; ædificiis igitur omnibus cum penetralibus et apothecis ubique confractis, aurum, argentum, vestes pretiosas et gemmas et vasa impretiabilia, cum tapetis et holosericis inter se æqua sorte distribuentes, qui prius esurientes in exercitu mendicabant tunc bonis omnibus abundabant. Cæsi referuntur in civitate plusquam decem millia Turcorum, quorum corpora per plateas civitatis miserabiliter inse-

A.D. 1098. History of the Crusades.

A.D. 1098. History of the Crusades.

pulta jacebant; equi inventi sunt in civitate qui ad arma facerent quingenti, omnes macie confecti et inedia tabescentes, quia nec etiam vel equis vel hominibus in urbe fuerat aliquid alimenti repertum.

De interitu Axiani principis et Antiochiæ patroni.

Death of Accianus.

Axianus,[1] Antiochiæ dominus, videns urbem subjugatam, solus absque comite per posticum egressus, et præ doloris angustia amens effectus, errabundus aufugit; qui casu Armenios quosdam obvios habens, cum cognitus esset ab eis, violenter eum in terram dejiciunt, et ipsius educto gladio caput præcidentes in urbem intulerunt, principibus illud coram populo offerentes. Alii vero quidam de civitate nobiles, in tanto rerum discrimine quid agerent ignorantes, in præsidium superius se recipere decreverunt; dumque illuc tota intentione properarent, casu contigit, quod nostros a parte superiori habentes obviam, et inter locorum intercepti angustias, ut neque ascendere neque propter montis devexitatem descendere valuissent, nostris desuper instantibus, dum fugere nituntur, præcipitati sunt cum equis et armis, confractis cervicibus, numero trecenti; alii autem ad montana fugere decreverunt, quos nostri cominus insequentes, partim ceperunt, vinculis eos mancipantes; pars, equorum beneficio ad montana evadentes, vitæ consulunt et saluti. Capta[2] est itaque Antiochia anno ex quo subacta est a paganis decimo quarto, ab incarnatione Do-

[1] *Axianus.*] He embraced their faith, and accompanied the Christians to Jerusalem. Two years afterwards he again became Mahometan, and died detested by the Mussulmans and Christians. Compare Michaud, i. p. 322, with Mills, Hist. Crusad. i. 198.

[2] *Capta.*] The siege had lasted seven months and a half, from the 21st of October 1097.

mini millesimo nonagesimo octavo, mense Junio, tertia die mensis. A.D. 1098. History of the Crusades.

De Sensabolo, et qualiter castellum suum tradidit Corbaranno.

Post captam autem Antiochiam, cum civitatis tumultus, jam sedatis omnibus, quievisset, convenerunt principes in unum, communi decreto statuentes, ut montem, qui urbi imminebat, ascenderent, et situm in eo præsidium expugnarent; quo pervenientes, cum de municipio constaret, quod omnino esset inexpugnabile nisi fame premeretur, ad alia se argumenta converterunt. Erat autem in illo præsidio dominus et magister[1] Sensabolus, Axiani, sive Garsiani, supradicti filius, cum copiis Turcorum multis, qui in Corbaranni et Persarum multitudinis adventu spem ponens, cum ipsum in partes Antiochenas advenisse cognovit, confugit ad eum cum lachrymis de morte patris et Antiochiæ desolatione querelam deponens. Cui Corbarannus, 'Si volueris,' inquit, 'ut totis viribus pro te contendam, castellum tuum in manu nostra committe, et, cum ego de te securus fuero, plebeculam illam totis nisibus impugnabo.' Sensabolus, Corbaranni petitionibus adquiescens, municipium sub potestate tradidit defensoris; Corbarannus itaque accepto castello suos imposuit, et Sensabolo auxilium fidele promisit. Audientes itaque principes quod Corbarannus ad fines Antiochenos appropinquasset, die altera post captam urbem, cum circa ejus custodiam et pro alimentis inferendis nimis essent solliciti, ecce equites trecenti de exercitu Corbaranni venientes ante urbem satis lascive, ut nostros ad exitum provocarent. Quod Arrival of Kerboga.

[1] *Sensabolus;*] called Sansadoles by Malmsbury, § 361.

A.D. 1098. History of the Crusades.

videns Rogerus de Barnevilla, miles in armis strenuus de gente Roberti ducis Normannici, quindecim sumptis consortibus, in prædictos irruit animosius; sed dum illi dolose fugientes usque ad socios, quos habebant in insidiis constitutos, dum Rogerus illos insequeretur, consurgentibus aliis, qui insidiis latebant, et in nostros ardenter irruentibus, eos compulerunt in fugam. Nostri quoque numero impares et viribus, dum ad urbem fugere contendissent, equorum hostium velocitate præventi sunt, ubi Rogerus sagitta confossus interiit, cæteris in urbem [1]reversis; at pagani, viri memorabilis capite amputato, ad suos venerunt indemnes.

De nova obsidione Antiochena a Corbaranno facta.

Kerboga besieges the Christians in Antioch.

Die autem tertio ex quo capta est Antiochia, Corbarannus, princeps Persarum, cum militaribus copiis[2] infinitis ante urbem castrametatus, a porta orientali usque ad occidentalem universum australe latus obsidione vallavit. Erat autem secus portam orientalem præsidium quoddam, quod Boamundo traditum fuerat ad custodiendum; circa illud cum hostes castra locassent, et assultus creberrimos ibi facerent, Boamundus non ferens eorum insolentiam egressus est contra eos, sed egredienti duci occurrit Turcorum multitudo, cujus impetum dux perferre non valens, inita fuga, se recepit in urbem, ubi hostibus proterve instantibus, dum plebs in introitu præsidii com-

[1] *Reversis.*] Upon this calamity happening close to the very walls of the town, Albert of Aix amusingly remarks, that we are not to attribute the death of their companion to any fear or slackness of those within, since, he adds, 'nulla plaga mundi ante Galliam audaciores et in bello promptiores nutriat;' p. 248.

[2] *Copiis infinitis.*] The numbers of the Turks are fixed by Albertus Aquensis at 200,000, and by Radulphus Cadomensis at 400,000 horse.

primeretur, ducenti ex ea ceciderunt. Altera vero vice Turci in quoddam præsidium noviter constructum acriter irruentes, nisi ab aliis, qui in urbe erant, citius subveniretur, illud quantocius expugnassent; sed adveniente Roberto, Normannorum duce, cum suis agminibus, pluribus ex hostibus interemptis et captivis, residuos terga dare coegit. Alia die, cum Turci quidam nostros ad conflictum provocarent, contigit ut ex equis descendentes, iis qui in muro stabant acrius instantes, ad vindictam alios excitarunt; at Tancredus per portam orientalem egressus, antequam hostes ad equos possent habere recursum, sex ex eis interemit, aliis per fugam elapsis. A.D. 1098. History of the Crusades.

De flagellis Dei, quæ peregrinis, peccatis exigentibus, acciderant.

Crevit interea in civitate fames miserabilis, et populus gravi supra modum inedia fatigatur; factum est autem hoc, exigentibus peccatis multorum, qui in desperationem lapsi, juramentorum et voti immemores, clam, [1]funibus et in sportis per murum demissi, relictis in periculo fratribus, aufugerunt ad mare. Erant autem, qui sic recesserunt, desperati de Dei bonitate et misericordia, non solum plebei et pauperes sed etiam viri nobiles et multa generositate insignes; [2]Willelmus videlicet de Grantemenil, Apulus, et Albericus frater ejus, Willelmus Carpentarius et [3]Gui- Siege of Antioch by Kerboga.

[1] *Funibus . . . . demissi.*] 'The fugitives let themselves over the walls of Antioch by means of ropes. Baldric tells us that their hands were dreadfully excoriated, not an unlikely circumstance; and the knowledge of it must have been grateful to their indignant, and perhaps envious brethren, who also amused themselves by calling them the rope-dancers.' Mills, Hist. of the Crusades, i. p. 203, *note*.

[2] *Willelmus . . . de Grantemenil.*] He had married the sister of Bohemond. Will. Tyr. p. 715.

[3] *Guido.*] 'Guido Tressellus et Lambertus Pauper;' Will. Tyr. p. 715.

A.D. 1098. History of the Crusades.

do frater ejus, Lambertus, et [1]alii multi cum eis; alii, de subventione desperantes, ad hostes crucis se contulerunt, Christi fidem, facti impii, denegantes. Erant et alii multi qui fugam meditabantur sollicite, sed per episcopum Podiensem et ducem Boamundum fuerunt revocati, et, quod de negotio Christi non recederent, per juramentum constricti, quousque bellum quod futurum sperabatur esset completum. Fames præterea adeo in civitate omnes afflixit, ut præ alimentorum defectu plebs ad turpia nimis incommoda declinaret; gallina solidis quindecim vendebatur, ovum solidis duobus, nux pro denario; arborum folia, carduos, equorum et asinorum coria, devorabant; morticina quoque et carnes mulorum, equorum, asinorum, canum, et immunda quoque absorbentes, pro summis deliciis reputabant. Erat autem miserabile visu, viros, prius robustos et generis nobilitate præclaros, præ nimia tunc debilitate baculis innixos et arma movere non valentes. Willelmus interea de Grantemenil, et Stephanus Carnotensium comes, et alii qui cum ipsis aufugerant, miserias quas apud Antiochiam patiebantur Christiani omnibus exponunt, et, ne ipsi ob levem causam et tanquam timidi socios deseruisse viderentur, afflictionem eorum, licet incomparabilis fuisset, studiosa tamen relatione efficiunt majorem, cum de magnis majora loquuntur. Venientes tandem ad imperatorem, qui cum quadraginta millibus Latinorum, exceptis copiis quas ex nationibus universis contraxerat, Antiochiam proficiscens nostris subsidium collaturus, illi dissuaserunt ne procederet,

[1] *Alii.*] 'Alii multi, quorum nomina non tenemus; quia, deleta de libro vitæ, præsenti operi non sunt inserenda.' Will. Tyr. p. 715.

per hæc verba; [1]'Fideles tui principes, imperator potentissime, cum, capta Antiochia, rem esse crederent consummatam, urbe jam recepta, factus est error novissimus pejor priore. Vix enim ab urbe capta dies elapsa fuerat, cum ecce Corbarannus, Persarum princeps potentissimus, cum orientalium copiis infinitis, quarum multitudo omnem numerum excedere videtur, eandem urbem obsidione vallavit; noster autem populus fame, frigore, æstu, cædibus et clade in tantum succumbit, ut nec in civitate tantum esse dicatur alimentorum, quo unius diei necessitati valeant subvenire. Unde nos, qui hic sumus, viri nobiles videntes fratrum negotia prosperari non posse, eos monuimus sæpius, ut sibi consulerent, et rem impossibilem deserentes sibi per fugam absque cunctamine providerent, sed cum eos a suo non possemus revocare proposito, nostræ curavimus prospicere saluti; et nunc si placet, si ita tuis consiliariis utile visum fuerit, procedere desiste, ne tuæ, quas tecum trahis, expeditiones paribus periculis involvantur. Testis est eorum quæ loquimur vir prudens Tatinus, tuæ celsitudinis fidelis, quem nobiscum direxisti, qui nostrorum cognoscens defectum, ab eorum se subtraxit collegio, ut hæc tuæ nota faceret majestati.' His auditis, imperator de consilio suorum, retortis umbonibus, ad propria, legionibus licentiatis, cum lachrymis remeavit. Rumor autem de recessu imperatoris cum Antiochenis divulgatus fuisset, spes et lætitia crevit paganis, et desperatio Christianis. Erat enim in populo Dei tantus alimentorum defectus, tanta famis afflictio, talis tam exterius quam interius hostium impor-

A.D. 1098. History of the Crusades.

[1] *Fideles.*] The speech, as made before the emperor by Stephen of Chartres, may be found at length in Will. Tyr. p. 719.

A.D. 1098. History of the Crusades.

tunitas, ut nusquam remedium, nusquam solatium appareret; majores et minores, paribus involuti miseriis, nullam sibi consolationis lætitiam ad invicem impendebant, et memores uxorum nobilium et liberorum, quos domi reliquerant, amplissima, quæ ob Christi caritatem dimiserant, patrimonia mente recolunt et quasi de divina conquerentes ingratitudine, quod labores eorum et devotionis caritatem non respiciat, sed quasi a Deo alienum populum tradi in manus hostium patiatur.

De consolatione peregrinis desperatis a Deo collata.

Miraculous promise of assistance.

Cum ergo sic affligeretur Dei populus, respexit illum Dominus et gemitus eorum audivit, mittens eis consolationem de sede majestatis suæ. [1]Venit enim sacerdos quidam peregrinus et pauper de exercitu ad principes et peregrinos occidentis, ita dicens; 'Audite, fratres mei, audite et amici carissimi, visionem quam vidi. Cum in ecclesia Dei genitricis pernoctare decrevissem pro nostris calamitatibus Deum rogaturus, vigilans vel semisopitus nescio, Deus scit, vidi Dominum nostrum Jesum Christum, nec tamen agnovi eum; aderat etiam sanctissima ejus genitrix, et princeps apostolorum Petrus, quos aspiciebam. Dixit autem mihi Dominus, 'Agnoscis me?' inquit, cui ego, 'Nequaquam, domine mi.' Interim crux splendida super caput ejus resplenduit apposita; iterum interrogavit me ut prius, et ego, 'Domine mi, si bene percipio ex signo crucis capiti tuo imposito, crucifixum et Redemptorem nostrum te esse intelligo;' qui respondit, 'Ita est plane ut dicis.' Et ego, per-

[1] *Venit enim sacerdos.*] The following legend is not recorded by Will. of Tyre; Wendover appears to have taken it from Robertus Monachus, p. 60.

fusus genas lachrymis, ad pedes ejus singultiens cecidi, et adjeci, 'Domine, Domine, miserere nostri; Domine, memor esto populi tui; Domine, adjuva nos.' Et Dominus ad me, 'Ego hucusque vos juvi, nam et Nicæam vos obtinere permisi et in multis vos præliis contexi, meque duce vicistis et Antiochiæ prævaluistis, et in obsidione ipsa multa pro voto vestro vobis indulsi; vosque beneficiis meis ingrati contra me intumuistis, et tanquam ex adipe iniquitas vestra prodiit, meque gens injuriosa gentiliter exacerbastis, dum cum mulieribus vel alienis vel vestræ professionis, sed illicitis, fornicati estis. Iste quidem singularis fœtor cælos ascendit et oculos meos a vobis avertit; retribuam igitur ego vestræ ingratitudini, nec parcam prostitutæ et lupananti multitudini.' Tunc mater misericordiæ Petrusque beatus ad pedes misericordis ceciderunt Redemptoris, et suis supplicationibus iram mitigabant minitantis; 'Domine, tot annis gens pagana domum istam, quæ domus erat orationis, obtinuit, suisque spurcitiis eam, proh dolor! maculavit, et ecce, paucorum exigentibus culpis, omni Christianitati tuæ, quæ domum istam exinde sanguine suo liberavit, jam deleturus irasceris; parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in perditionem, ut dominentur eis nationes.' Adquievit igitur sanctus sanctorum Deus supplicantis matris et apostoli precibus, jamque vultu factus jocundior, dixit mihi, 'Vade et dic populo meo, Lupanar et prostibulum et omnem a vobis removete abusum, et vestra fletibus abluite facinora, et ad me revertimini, et ego revertar ad vos, et infra quinque dies opportunum vobis providebo auxilium, quia Deus nihil habens immisericordiæ ego sum; decantent quotidie interim, Congregati sunt inimici nostri

A.D. 1098. History of the Crusades.

A D. 1098. History of the Crusades.

et gloriantur in virtute sua; contere fortitudinem illorum, Domine, et disperge illos, ut cognoscant quia non est alius [qui pugnet] pro nobis, nisi tu Deus noster.' Hæc et alia sacerdos cum dixisset, populus omnis statim ad lamentum convertitur, et de reatus sui confessione alius alium cohortatur; videres profusas lachrymis Christianorum genas, capitibusque cineratis et nudis pedibus passim orationis gratia omnis ætas iter per ecclesias maturabat; petunt consilium, rogant auxilium de supernis. Dixit ergo Boamundus, vir in consilio quasi singularis, 'Optimates, judici juremus omnes ad invicem, quod nullus nostrum de isto sancto, quoad vixerit, subterfugiat collegio donec sepulchro Domini, pro quo viam hanc ingressi sumus, deosculato.' Placuit consilium universis, et, expleto juramento, animata est tota fidelium fortitudo et magnifice confirmata.

De inventione lanceæ Salvatoris.

Discovery of the holy lance.

Eadem quoque hora clericus quidam, nomine Petrus,[1] de regione quæ Provincia nuncupatur, accedens ad episcopum Podiensem et comitem Tholosanum, asserens quod beatus apostolus Andreas sibi in somnis apparuerat et eum ter vel quater commonuerat attentius, quatenus ad principes occidentis loquens nuntiaret, ut lanceam, qua Domini nostri Jesu Christi latus fuerat perforatum, in ecclesia principis apostolorum occulte repositam perquirerent, locum certissimis indiciis manifestans. Accedens ergo ad viros prædictos verbum, sicut ei injunctum fuerat, ex ordine revelavit; asserens se ab eodem apostolo multis terroribus ad hoc fuisse

[1] *Petrus.*] Bartholemy of the diocese of Marseilles, a priest of low cunning and loose manners. Gibbon, xi. p. 71.

compulsum, nec id posse absque mortis periculo declinare. Hi autem, cum id cæteris principibus communicassent, ad locum, quem eis in ecclesia designaverat, convenerunt, et, [1]effossa aliquantulum terra in altum, lanceam, sicuti prædixerat, reperiunt; quod audiens populus ad ecclesiam concurrit, oblationibusque et osculis tam pretiosum venerantes inventum cœperunt a suis angustiis respirare et fortiores in divinis inhærere. A.D. 1098. History of the Crusades.

De dispositione acierum et exitu nostrorum ab urbe.

Convenientes itaque in unum principes et populi, cum sibi cognoverunt immissum divinitus fervorem, de communi decernunt consilio bellum indicere Corbaranno in crastino futurum; quod cum ei per ministerium Petri Heremitæ fuisset indictum, summo diluculo omnes per ecclesias divinis interfuerunt obsequiis. Quibus cum summa devotione peractis, sacerdotes peregrinos admonent, ut, facta omnium peccatorum confessione purissima, Dominici corporis et sanguinis perceptione se communiant, et sic audacter contra hostes crucis ad pugnam procedere non formident. Quarto igitur kalendas Julii, invocato de supernis auxilio, acies instruunt et procedendi ordinem instructis assignant; [2]in prima acie Hugonem magnum ductorem constituunt, et eidem Anselmum de Riburgis-monte, cum aliis nobilibus multis, quorum nec numerum nec nomina tenemus, conjungunt; secundam moderabantur comes Flandrensis et Robertus Friso, Sally from Antioch.

[1] *Effossa aliquantulum terra.*] Compare with this account that by Robert. Monach. p. 61; Fulcher of Chartres, p. 392; and Raymond of Agiles, p. 167.

[2] *In prima acie.*] For the names of the following leaders compare Will. Tyr. p. 725, with Albert of Aix, p. 255.

A.D. 1098. History of the Crusades.

cum aliis, qui ab initio ejus fuerant castra secuti; tertiam rexit dux Normannorum Robertus, cum Stephano comite Albamarlensi, et potentes qui in ejus advenerant comitatu; quartæ præerant Aimerus, episcopus Podiensis, et comes Tholosanus cum suis familiis, Dominicam secum lanceam deferentes; quintam duxit Reinardus, comes Tullensis, cum Petro de Stadeneis, Garnero de Greis, Henrico de Ascha, Galterio de Domedart, et aliis multis; sextæ aciei præfecti fuerunt Reinbaldus comes de Horinges,[1] Lodowicus de Mascons, Lambertus filius Cononis de Monteacuto; septimam rexit dux magnificus Godefridus, cum fratre suo Eustachio, venerabili viro; octavæ præfuit miles insignis Tancredus; nonam duxit comes Hugo de Sancto Paulo, cum Egelranio filio suo et Thoma de Feria, Baldewino de Burgo, Roberto filio Gerardi, Reginaldo Beluacensi, et Galone de Calvo-monte; decimæ præfuerunt Rotrodus, comes Perticensis, Everardus de Pusaco, Drogo de Monci, Radulphus filius Godefridi, et Conanus Brito; undecimam rexerunt Hysoardus, comes Diensis, Reimundus Piletus, Gastus Biternensis, Girardus de Rosillone, Willelmus de Monte-Pessulano, et Willelmus Amane; in acie duodecima, quæ novissima erat et cæteris fortior, moderator fuit Boamundus, ut iis, qui fortius ab hostibus gravarentur, auxilium impenderet opportunum. Comitem Tholosanum, qui valida ægritudine gravabatur, in urbe dimiserunt ad ejus custodiam, ne iis, qui erant in præsidio superiori adhuc rebelles, in absentia principum urbem invenientes vacuam, super debiles et infirmos et populum imbecillem irruptiones facile molirentur. Erant autem per-

[1] *Lodowicus de Mascons.*] 'Lodowicus de Moncons,' Will. Tyr.

mixti præcedentibus turmis sacerdotes et levitæ amicti stolis albis, signum crucis mirabile in manibus bajulantes; et, qui in urbe remanserant, sacris induti vestibus, in lachrymis et oratione perseverantes, muros urbis ascenderunt, pro salute populi Domino supplicantes. Accidit nimirum in exitu nostrorum ab urbe, quod ros quidam suavissimus de supernis super exercitum ita placidus descendit, ut quasi in eo benedictionem et gratiam suam videretur Dominus infudisse; nec solum hominibus sed et equis vigor insolitus ita infusus est, ut qui antea per dies multos non nisi folia et cortices arborum habuerant pro pabulo, tota die illa equos hostium et celeritate vincerent et labore. A.D. 1098. History of the Crusades.

De prælio gravissimo et victoria gloriosa.

Corbarannus interea, intellecto nostrorum egressu, disponit acies, agmina instruit, præficiens eis amiralios et reges viginti novem, quorum nomina hæc fuerunt; Meleduchac, Amir-solyman, Amir-solendais, Amir-hegyble, Amir-inatoanc, Amir-mahumet, Camyath, Cotoloseniar, Magalgo, Telon, Batulius, Boessach, Amir-baiach, Axian, Sansodole, Amyr-goian, Ginahadole, Amyr-tidinguin, Amyr-nathap, Sogueman, Boldagis, Amyr-ilias, Gelisassan, Gigremis, Amygogens, Artabeth, Amir-dalis, Amyr-tacaor, Amir-mosse. Hos omnes Corbarannus ad pugnam animans districte præcepit sub obtentu gratiæ suæ, quatenus solitæ virtutis memores frivolum reputent, quicquid inermis populus, vulgus famelicus, plebs imbellis et indocta moliri conatur. Solimannus præterea, Nicænorum princeps, studiose disponit agmina, et, qui præcedere debeant sive subsequi, diligenter distinguit. Occupaverunt interim principes nostri universa ante urbem et montes Defeat of Kerboga.

A.D. 1098. History of the Crusades.

campestria, quæ a civitate distare videbantur quasi milliaribus duobus, et monentibus lituis ac tubis, buccinisque perstrepentibus, gradatim in hostes procedunt, et, facto impetu, tres primæ acies in eos potenter irruunt, lanceis et gladiis cominus instantes; sed et nostri pedites, qui arcubus utebantur et balistis, equitum manipulos præcedentes, [hostes] arcere studebant, quos sequentes equitum turmæ viriliter in agone desudant. Tandem cum omnes legiones, excepta novissima, cui præerat Boamundus, cum hostibus fortiter decertarent, ita ut, jam pluribus interfectis, pæne agminibus dissolutis Turci in fugam verterentur, ecce Solimannus, cum duobus millibus ex locis maritimis adveniens, in aciem Boamundi cum multo impetu a tergo irruit, et tantam sagittarum grandinem immisit, ut totam fere aciem operiret; moxque, arcubus relictis, malleis instant et gladiis ita ardenter, ut, cum Boamundus eorum vix impetum sustineret, dux Godefridus et cum eo Tancredus advolant, quorum adventus et admiranda instantia necem hostibus et vulnera letifera intulerunt. Tunc Solimannus, ad alia se convertens argumenta, fœnum multum et stipulam, quæ ad artem nocendi ex adverso congregaverat, jussit succendi; et, licet flammam darent modicam, tetram tamen atque densam fumi caliginem ministrarunt. In hac quoque fumi caligine hostes de peditibus nostris occiderunt nonnullos, sed tandem ventorum moderator Deus, ventum in paganos retorquens, excæcavit eos de fumo illo, unde in fugam præcipites sunt conversi; quos principes militiæ Christi acriter insequentes, ad sua agmina prius dissoluta violenter recurrere compulerunt, cædentes eos absque pietate usque ad eorum tentoria, ubi majorem suorum fortitudi-

nem esse sciebant. Obstabant Turci ibidem omni qua poterant virtute; fit ibi hinc et inde gravissimus conflictus, resonabant æneæ cassides tanquam percussæ incudes, scintillæ ex ictuum collisione prorumpebant, enses velut tonitrua mugiebant, homines eliso cerebro humi procumbebant, loricæ rumpebantur, exta fundebantur, equi fatiscentes sudabant, nulla equitibus requies præstabatur; agmina conserta tenui armorum discrimine vix a seipsis jam distabant, alii alios cominus impetebant, et manus manibus, pedes pedibus, corpora corporibus repellebant. Tandem cum utrinque victoria fluctuaret incerta, ecce ab ipsis montibus visus est exercitus descendere invincibilis, cujus bellatores equis albis insidentes vexilla in manibus candida præferebant; cognoverunt ergo principes, ex inspectione vexillorum, sanctum Georgium, sanctum Demetrium, et sanctum [1]Mercurium sua signa sequentes præcedere; quæ visio, sicut Saracenis incussit terrorem, ita Christianis spem contulit ampliorem. Hoc non omnes videre potuerunt, sed quibus Deus suum arcanum voluit revelare; revelavit autem Turcis ad confusionem, aliis ad instantis triumphi ostensionem, cognito enim, ut diximus, signo, Turci velociter aufugiebant tremuli, supellectilem nimis pretiosam relinquentes; visi sunt etiam a nonnullis angeli in aere volitantes, et super Turcos fugientes ignem fulmineum jaculantes. Corbarannus autem ab initio certaminis turbam declinans, in colle quodam constitutus, cum repente dissipatas conspicit legiones, relictis suis, [2]trans Euphratem fugit, et, ut sibi consuleret

A.D. 1098. History of the Crusades.

[1] *Mercurium.*] 'Georgius, Mauricius, Demetrius;' Robert. Monach. p. 64. Others for Demetrius read Theodore.

[2] *Trans Euphratem fugit.*] 'The real cause of this victory appears to have been the feud in Kerboga's army.' Gibbon, xi. 73; note by the Editor.

A.D. 1098. History of the Crusades.

et liberius fugere posset, equos fatigatos deserens novos alternatim mutavit. Nostri vero principes, equorum metuentes defectum, non multum insecuti sunt fugientes, excepto Tancredo et aliis paucis, qui usque ad solis occasum sternendo eos persequuntur; tantum enim pavorem eis virtus divina immiserat, ut nec resistere, nec a se insectantium possent injurias propulsare, decem enim ex nostris decem millia videbantur eis.

De spoliis impretiabilibus fugientium Turcorum et tentorio admirando.

Account of the spoils.

Consummato itaque glorioso tanto certamine, reversi sunt principes nostri ad castra hostium, ubi tantam rerum omnium in auro, argento, gemmis, holosericis, vestibus pretiosis et vasis impretiabilibus invenerunt opulentiam, ut neque numerus esset neque mensura. Equorum etiam, armentorum, gregum, annonæ, victualium, servorum, ancillarum et puerorum, cum tentoriis et papilionibus, nimiam invenerunt abundantiam, et secum in urbem omnia detulerunt. Inter cætera vero [1]admirabile tabernaculum repererunt in modum civitatis, turribus et mœnibus cum propugnaculis, ex optimo serico variis coloribus contextum; a cujus medio, quasi a triclinio principali, in partes diversas defluebant diversoria, quasi per vicos distincta, in quibus spatiose possent duo hominum millia considere. Turci autem, qui erant in præsidio superiori, videntes quod sui omnes defecerant, principibus nostris illud tali conditione resignant, ut libere liceat sibi recedere cum salute. Acta autem sunt hæc anno Domini millesimo nonagesimo octavo, mense Junio, vigesima die mensis.

[1] *Admirabile tabernaculum repererunt.*] This tent could hold nearly two thousand men. Bohemond carried it away with him into Italy. Michaud, i. p. 354, *note*[2].

De ecclesiarum reparatione et descriptione Antiochiæ.

Principibus itaque de prælio reversis, et urbe in omni tranquillitate composita, placuit omnibus, et præcipue episcopo Podiensi, ut majorem ecclesiam,[1] olim in honorem principis apostolorum dedicatam, cum aliis civitatis ecclesiis, in pristinum reformarent decorem, et ministri in eis instruerentur, qui diebus et noctibus Domino militarent. Dominum quoque patriarcham, nomine Johannem, in sede pristina cum honore maximo locaverunt, per urbes finitimas, quæ cathedralem habere consueverant dignitatem, episcopos statuentes; urbis autem dominium Boamundo omnes concesserunt, qui, quoniam apud suos nomine et dignitate princeps dictus fuerat, obtinuit consuetudo, ut de cætero Antiochiæ dominus Princeps vocaretur. [2]Est enim civitas pulcherrima et munitissima, habens intra se quatuor montes satis altos, in quorum uno castellum est, quod omni præeminet civitati; deorsum vero civitas est decenter ædificata, et muro duplici circumcincta; murus autem interior amplus et in aera porrectus est, in quo turres quadringentæ quinquaginta formosis mœnibus et propugnaculis defensæ; murus exterior non tantæ est celsitudinis, sed tamen admirandæ venustatis. Continet in se trecentas et quadraginta ecclesias, cujus patriarcha centum quinquaginta tres episcopos habet subjectos; quatuor montibus ab oriente clauditur; ab occidente habet flumen, quod quidam [3]Farphar, quidam Orontem esse contendunt. Octoginta et quinque reges eam construxerunt, quorum primus An-

A.D. 1098. History of the Crusades.

Description of Antioch.

[1] *Ecclesiam.*] Upon the restoration of the churches in Antioch, see Michaud, i. 359, *note*.

[2] *Est enim civitas.*] Compare what is said above, p. 92.

[3] *Farphar.*] 'Pharphar,' *C.*

A.D. 1098. History of the Crusades.

tiochus fuit, a quo exstat Antiochia nuncupata. Obsederant eam Christiani antequam comprehenderant per octo menses et diem unum; qua capta, obsederunt eam iterum gentiles per tres septimanas priusquam exirent ex ea ad prælium Christiani. Requieverunt igitur in illa mensibus quinque et novem diebus; quo tempore ex causis occultis tanta clades populum afflixit, quod intra dies paucos ad quinquaginta millia hominum utriusque sexus deperirent; inter quos et dominus Aimerus, Podiensis antistes, qui quasi pater plebis erat et moderator, defunctus cum lachrymis omnium in basilica principis apostolorum, in loco, quo inventa fuerat lancea Salvatoris, sepelitur. Ceciderunt in illius cladis acerbitate Henricus de Ascha, Reginaldus de Armesbach, viri generis nobilitate præclari; unde principes cæteri, ut instantis cladis declinarent periculum, ab invicem ea conditione divisi sunt, ut in kalendis Octobris iterum convenientes, hominibus recreatis et equis, votum peregrinationis communiter expedirent. Interea Reimundus, cognomento Piletus, cum suis legionibus equitationem faciens, cepit castrum, quod Thalamania est vocatum; inde Marram veniens, ad urbem Saracenis repletam, pugnavit contra cives, qui obviam ei cum impetu exierunt, qui primo a nostris in fugam compulsi in finem vicerunt, et magnam ex fidelibus stragem dederunt.

Qualiter Hugo magnus, ad imperatorem missus, non est reversus.

Cum hæc ibidem agerentur, [1]Hugo magnus a principibus ad imperatorem Alexium missus,

[1]*Hugo magnus.*] 'Hugo magnus, concessu ut aiunt heroum, Franciam rediit, causatus continuam viscerum tortionem.' Malmsb. § 365.

non mediocriter famam præteritam denigravit; dum, expleto negotio, ad eos qui eum miserant nec responsa detulit nec redire curavit, [1]illud Juvenalis ad memoriam non reducens; A.D. 1099. History of the Crusades.

> ‘Omne animi vitium tanto conspectius in se
> Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.’

Comes Tholosanus interea Albaram urbem ditissimam obsedit et cepit, atque in ea Petrum quendam, genere Narbonensem, episcopum ordinari fecit. Deinde kalendis Novembris, cum jam omnes principes ex condicto essent congregati, accingunt se ad iter Hierosolymitanum, et quarto kalendas Octobris ad Marram venientes obsederunt eam. Distabat autem ab Antiochia quasi trium dierum itinere, habens cives, præ multitudine divitiarum suarum, nimis arrogantes; nam cruces super turres et mœnia civitatis figentes, sputis et aliis modis probrosis, in contumeliam nostrorum, afficiebant; unde majorem nostri indignationem concipientes, urbem aggrediuntur, et post multorum dierum infestationes, applicatis ad murum scalis, mœnia violenter ascendunt, urbemque sine omni obstaculo ingressi eam vacuam invenerunt, et ejus obtinuerunt clam et absque tumultu spolia universa. Cives autem ad speluncas se subterraneas conferentes suæ saluti ad tempus providerunt; sed mane facto nostri, ad speluncas ignibus applicatis, eos ad deditionem compulerunt, et partim capitibus amputatis, partim vinculis manciparunt. Undecimo die Decembris moritur ibidem Willelmus, Aurasiensis antistes, vir religiosus et justus ac timens Deum. Manserunt autem in urbe illa peregrini per mensem unum et dies quatuor.

[1] *Illud Juvenalis.*] Satir. viii. vers. 140.

Quomodo rex Willelmus gentem Anglorum in tributis gravaverit.

A.D. 1098. Taxation in England.

Eodem anno rex Anglorum Willelmus, cognomento Rufus, fuit in Normannia curis deditus hostilibus, populos interim Anglorum [1]exactionibus et tributis non abradens, sed excorians, omnibus infestus et molestus. Eodem tempore obiit [2]Walkelinus, episcopus Wintoniensis, et Hugo[3] Salopesberiensis ab Hibernensibus occisus est, cui frater ejus Robertus de Beleasmo successit.

Quomodo principes, populo murmurante, ad iter inceptum se accingunt.

A.D. 1099. Crusaders march towards Jerusalem.

Anno Domini MXCIX. principes occidentis et peregrini crucifixi dies Natalitios apud Marram solemniter celebrarunt, ubi inter Boamundum et comitem Tholosanum orta est dissensio; sed quia non multum pertinet ad hoc negotium, ad cætera transeamus, ostendentes qualiter populus nimis moleste tulit, quod principes moras fecerunt inutiles et pro singulis civitatibus captis jurgia inter se suscitarent, quibus principale interim propositum omnino neglectum videbatur. Comes igitur Tholosanus, ut populo satisfaceret, assumptis decem millibus armatorum et equitibus tre-

---

[1] *Exactionibus.*] All agree in this account of the grievous exactions of this year; the cause of which is to be sought, according to Carte, in his profuse liberality to the soldiers, rather than in the avarice of the king.

[2] *Walkelinus.*] He died the 3d of January, and was succeeded by William Giffard.

[3] *Hugo Salopesberiensis.*] He was killed at Anglesey, according to the Saxon Chronicle, by foreign pirates, stated by Florence and Simeon to have been Norwegians. Bromton writes, 'sed quidam volunt ipsum ab Hibernensibus esse occisum;' col. 994. The account in the text is taken from Huntingdon; Scriptt. post Bed. p. 377.

centis quinquaginta, [1]arripuit iter Hierosolymitanum, sequentibus eum duce Normannorum Roberto et Tancredo cum quater viginti equitibus et peditum multitudine numerosa. Post dies autem aliquot, media regione transcursa, in campestria urbis, non longe a mari sitæ, Archis nuncupatæ, descenderunt, juxta eandem castra statuentes. Est autem una ex urbibus Phœnicis regionis, ad radices Libani sita, quam, ut habent veterum traditiones, Aracheus septimus filiorum Chanaan fundasse dicitur, et eam de suo nomine Aracheum appellasse, et postmodum per corruptionem nominis Archis dictam fuisse; hanc nostri longa obsidione prementes, nihil omnino profecerunt. Renovata est ibi quæstio de lancea, qua Dominicum latus fuerat perforatum; aliis dicentibus, quod ipsa erat in veritate et per divinam inspirationem revelata, ad consolationem plebis; aliis contendentibus malitiose, quod versutia esset comitis Tholosani, et gratia quæstus inventio ficta. Accenso igitur rogo copioso, cujus incendii magnitudo etiam circumstantes terrere poterat, et conveniente populo universo in sexta feria quæ sanctum Domini Pascha præcedit, clericus quidam, nomine Petrus, cui inventio illius lanceæ fuerat revelata, examen subiit periculosum; nam facta oratione, assumpta secum lancea, per medium ignem transivit illæsus, sed, quoniam post dies paucos idem clericus vita decessit, non plene suis æmulis satisfecit. Per idem tempus dux Godefridus et principes alii, qui apud Antiochiam remanserant, ad instantiam plebis se ad iter expedientes, [2]in

A.D. 1099. History of the Crusades.

[1] *Arripuit iter.*] See the greater part of the march of the army of the Crusaders very accurately traced in Maundrell's Journey from Aleppo to Jerusalem, pp. 17-67.

[2] *In kalendis Martiis.*] So Albert of Aix; and Wilken, p. 253.

A.D. 1099. History of the Crusades.

kalendis Martiis ad Laodiceam Syriæ cum viginti quinque millibus armatorum virorum fortium pervenerunt; ubi dux Godefridus a præside civitatis, quæ Christianos habuit habitatores, Guenemerum Boloniensem, quem tenebat in vinculis, sibi petiit restitui, sed, quia verbis ducis non ausi sunt contraire, reddidit eum illi cum sociis universis, et classem ejus totam duci tradiderunt; nam idem Guenemerus, cruce signatus, cum armatorum classe valida illuc applicans, imprudenter captus ibi fuerat a civibus et vinculis mancipatus; illum dux suæ classi præficiens alios per terram gradientes sequi præcepit.

Quomodo principes, multis regionibus transcursis, ad Tripolim pervenerunt.

The march on Jerusalem.

Principes inde maritima legentes ad urbem Gabulensem, quæ alio nomine Gibellum dicitur, pervenerunt; distabat autem a Laodicea milliaribus quasi duodecim, ubi, castris in gyrum locatis, urbem aliquamdiu obsedissent. [1]Hic, qui urbi præerat, Soldani Ægyptiorum domini procurator, aureorum sex millia duci obtulit, cum aliis donariis multis, ita ut obsidionem amoveret; quem cum flectere nequivisset, [2]ad comitem Tholosanum prædictam pecuniam pollicens per internuntios, si eam a ducis posset manibus expedire, ille, oblata clam suscepta pecunia, misit ad ducem Albariensem episcopum, anxie sollicitans eum, ut dimissa obsidione ad se non differat properare, significans quod hostium multitudo a tractu adveniret Persico, ut injurias ultum iret, quas apud Antiochiam perpessa fue-

[1] *Hic.*] In MS. 'Hiis;' probably for 'Is,' as in Will. Tyr. p. 738.

[2] *Ad comitem Tholosanum.*] Raymond d'Agiles considers this accusation against the count of Tholouse as calumnious; p. 162. The rest of the Latin historians, except Albert, (p. 269,) omit the charge.

rat sub præside Corbaranno, et super his omnibus dicebat se recepisse nuntios fide dignos. Ille et principes cæteri, dictis ejus fidem adhibentes, soluta protinus obsidione, et urbem Valentiam transeuntes, Maracleam, quæ prima est ex urbibus Phœniciæ provinciæ, similiter sinistrantes, Tortosam pervenerunt, et inde ad urbem Archensem progredientes castra ibidem locaverunt; quibus occurrens Tancredus fraudem comitis Tholosani detexit, unde et ipsi longe a tentoriis ejus seorsum sua tabernacula statuerunt. Videns autem comes animos principum a se alienatos, missis muneribus, omnes præter Tancredum sibi reconciliavit. Deinde principes, relicto in obsidione Archensi Albariensi episcopo, aliisque viris nonnullis, versus Tripolim agmina direxerunt; quo pervenientes præsidem loci illius cum universa multitudine civitatis ordinatis agminibus repererunt, unde nostri indignantes irruerunt in eos acriter, et in primo impetu dissolutis catervis eos ad urbem redire compellunt, septingentis ex eis gladio interfectis; ibique ante Tripolim celebraverunt Pascha peregrini quarto idus Aprilis. Tunc præses Tripolitanus, cognoscens quod non potuit cum nostris a pari contendere, missa legatione, a principibus obtinuit, ut, datis quindecim aureorum millibus, cum equis, mulis, sericis et vasis pretiosis, greges et armenta etiam conferens plurima, eorum fines pacifice pertransirent. Tunc nostri maritima sequentes, juga montis Libani a sinistris habentes Bibliumque percurrentes, super ripam maris, in loco, cui nomen est Emaus, castra statuerunt; inde die tertia ante [1]urbem Britensium castrametati, sequenti die Sy-

A.D. 1099. History of the Crusades.

[1] *Urbem Britensium.*] Berytus or Beyrout; see Pococke, ii. part i. 90.

A.D. 1099. History of the Crusades.

donem attigerunt, et, in crastino percursa Sarepta prophetæ Heliæ nutricia, ad illius regionis metropolim Tyrum pervenerunt, et dehinc profecti Achon et ab Achon progressi, Galilæam a læva deserentes, inter Carmelum et mare, Cæsaream Palestinæ metropolim, quæ et Turris Stratonis alio nomine appellatur. Quidam autem principes per castrum Bethelon transeuntes applicuerunt ad urbem Baruch in die Dominicæ ascensionis; inde per [1]Sagittam ad Arram et Caypham transeuntes, diem Pentecosten omnes pariter congregati apud Cæsaream quarto kalendas Julii solemniter celebrarunt.

De desolatione ecclesiæ sancti Georgii martyris a Turcis.

The march on Jerusalem.

Peracta itaque ibi trium mora dierum, relictis a dextra locis maritimis Antipatrida et Joppe, Eleutheriam transeuntes, Lyddam, quæ Eliopolis dicitur, ubi Georgii martyris egregii corpus requiescit, pervenerunt; cujus ecclesiam hostes fidei paulo ante adventum peregrinorum dejecerant, metuentes ne trabes basilicæ, quæ multæ proceritatis erant, in machinas vellent convertere et urbis inde mœnia expugnare. Profectus inde comes Flandrensis, Robertus, Ramulam pervenit, et portas, quas patentes inveniunt, ingredientes urbem vacuam repererunt; nocte sane præterita Turci, nostrorum cognoscentes adventum, abeuntes sibi consulere procurabant. Principes vero alii in crastino illuc venientes omnem abundantiam frumenti, vini et olei repererunt, atque, per triduum ibi moram facientes, [2]Robertum quendam, genere Normannicum, ejusdem civitatis

[1] *Sagittam.*] Now Soïda, or Saide; formerly Sidon.

[2] *Robertum.*] He died before 1120; compare Le Quien, Oriens Christ. iii. 1271.

episcopum consecrarunt, et ei Lyddam Ramu- A.D. 1099. History of the Crusades.
lamque urbes cum suburbanis adjacentibus possidendas jure perpetuo contulerunt. Inde iter prosequentes nostri Nicopolim pervenerunt; est autem Nicopolis civitas Palestinæ, quæ olim, dum vicus esset, Emaus dicebatur. Ante hanc urbem, ubi Christus cum Cleopha ambulasse post resurrectionem cognoscitur, fons quidam est salutaris, in quo homines infirmi simul et jumenta abluta a diversis languoribus emundantur; nam Christus tempore quodam cum discipulis suis per fontem transiens dicitur in eo pedes suos lavisse, ex quo facta est aqua diversarum medicamen passionum.

Turci civitatem sanctam muniunt, Christianos spoliantes.

Turci interim, qui in Hierusalem habitabant, Siege of Jerusalem.
peregrinorum cognoscentes adventum, urbem communire cum omni sollicitudine satagebant; a fidelibus quoque cunctis, qui in urbe habitabant, universa quam habebant extorta pecunia, et quicquid habere videbantur, tam a patriarcha, qui urbi præerat, quam a populo toto quatuordecim aureorum millia abstulerunt; quibus bonis omnibus spoliatis, universos ab urbe, exceptis senibus et infirmis, mulieribus et parvulis, depulerunt. Peregrini interea, quibus mora procedendi periculosa videbatur, summo diluculo cum fervore piæ devotionis iter aggredientes et e vicino urbem sanctam [1]Hierusalem contemplantes, cum gemitu et lachrymis præ gaudio fusis, nudis vestigiis cœpto itineri ferventius instite-

[1] *Hierusalem contemplantes.*] Compare the spirited narrative of Robert the Monk upon the Crusaders' first view of Jerusalem. Fuller adds, 'All had much ado to manage so great a gladnesse.' Holy Warre, p. 39.

A.D. 1099. History of the Crusades.

runt, atque subito ante urbem convenientes octavo idus Junii eam obsidione vallaverunt. Dicitur autem fuisse numerus obsidentium quasi millia quadraginta peditum, equitum vero mille quingenti, præter senes et valetudinarios inermeque vulgus. In urbe autem dicebantur esse Turcorum fortium et optime armatorum quadraginta millia, tam ut urbem regiam ab instantibus tuerentur periculis, quam ut propriæ consulerent et suorum saluti. Principes itaque perspicue considerantes, quod neque ab oriente, neque ab occidente, neque ab austro, propter quarundam vallium profunditatem proficerent, a septentrione eam obsidere decernunt; ab ea ergo porta, quæ sancti Stephani dicitur et ad aquilonem respicit, usque ad illam, quæ turris David dicitur et in parte civitatis occidentali sita est, castra nostri principes locaverunt: in quorum ordine dux Godefridus primus sedit, et juxta eum dux Normannorum Robertus et consul Flandrensis; circa turrim, quæ ab angulo quodam dicitur Angularis, dominus Tancredus et alii quidam cum eo nobiles consederunt: ab alia autem turri usque ad portam occidentalem comes Tholosanus cum suis legionibus urbem obsedit; partem suorum agminum super montem, et in quo civitas ædificata est, inter urbem et ecclesiam, quæ dicitur Syon et ab urbe distat quantum arcus semel jacere potest, in plaga septentrionali locavit. Is enim locus erat, in quo Salvator cum discipulis cœnasse asseritur et eorum pedes lavisse; ibi etiam Spiritus Sanctus super discipulos descendit in igneis linguis, ibi Dei genitrix humanæ naturæ debitum solvit, et beati Stephani protomartyris sepulchrum usque hodie ibidem veneratur.

De prima et impetuosa urbis invasione.

A.D. 1099. History of the Crusades. The first assault.

Locatis igitur in gyrum castris, die quinta post adventum eorum, lituis, buccinis et tubis perstrepentibus, omnes, ut urbis invadant mœnia, invitantur; qui, armis omnibus instructi, a majore usque ad minimum convolantes ad murum, tanta instantia et virtute continuabant congressum, ut civibus invitis, antemuralibus confractis, cogerent defensores intra muros interiores se recipere et de resistendo desperare, et, si in illo pugnandi fervore scalas aut machinas habuissent, procul dubio die illo negotium consummassent. Videntes tandem, cum per septem diei horas in ipso ardore perstetissent, quod absque machinis non multum proficere potuissent, distulerunt opus ad tempus, et cum [1]immenso labore ligna ad hoc idonea et artifices invenerunt; quibus cum sumptu gravissimo ad urbem delatis, ex subjecta materia castella, petrarias, trubuculos et arietes, cum [2]scrophis ad murum suffodiendum, construxerunt; pro nihilo enim reputabant quicquid antea actum fuerat, si in hoc negotio, pro quo tam laboriosam peregrinationem assumpserant, deficere cogerentur. Cum igitur circa machinas construendas, cratesque et scalas connectendas, totus noster desuderat exercitus, protrahitur obsidio, et cum locus civitati adjacens aridus esset et inaquosus, rivos vel fontes aut puteos non habens nisi remotos, ab urbe quinque vel sex milliaribus distantes, [3]siti intolerabili populus fati-

[1] *Immenso labore ligna.*] They were directed by a Syrian to a wood, six or seven miles from the city, where they found trees for their purpose. Will. Tyr. 751.

[2] *Scrophis;*] called also talpæ, and in the Alexiad σαπάλακες. See Du Fresne's notes, p. 391.

[3] *Siti intolerabili.*] 'Tanta sitis erat in obsidione, ut tellurem cavarent et glebas humectiores ori apponerent, rorantiaque marmora lamberent;—plerique, prout

A.D. 1099. History of the Crusades.

gabatur. Turci autem Christianorum audientes adventum, si quæ fuerunt aquæ, jactu pulveris et aliis modis eas oppilaverant, ut obsidio ineptior redderetur; sed et cisternas et pluvialium aquarum receptacula aut dissipaverant, ut aquas non valerent retinere, aut occultaverant, ut remedium subtraherent populo sitienti. Dispersus itaque populus per loca diversa, ut aquas quæreret, dum exierunt cum paucis, ut latices reportarent, alii idem habentes propositum multo plures supervenerunt, et inventis fontibus litem adeo contestati sunt, ut nonnunquam inter eos seditio oriretur; equi præterea, muli et asini, greges et armenta, siti ariditateque consumpta moriebantur, interius liquefacta, unde in castris fœtor erat intolerabilis et pestilens nimis aeris corruptela. Venit interea nuntius ad obsidionem, qui, classem Januensium in portu Joppensi applicuisse nuntians, petiit a principibus, ut militia dirigeretur ad eos, sub cujus conductu accedere possent ad urbem; mittitur igitur a domino Tholosano [1]Galdemarus quidam, in armis strenuus, cum triginta equitibus et peditibus quinquaginta; conjungens eis, ne deficerent, Reimundum Piletum et [2]Willelmum de Sabulo cum equitibus quinquaginta; qui, venientes ad campestria Lyddæ et Ramulæ civitatum, habuerunt obviam Turcos sexcentos, qui protinus in nostros irruentes quatuor equites et pedites plures ex eis peremerunt, sed nostri demum prævalentes, cæsis ducentis ex numero Turcorum, in fugam cæteros compulerunt. Ceciderunt tamen

ferre poterant, jejunabant, quia jejunio sitim temperabant.' Robert. Monach. p. 75. The torrent of Cedron and fountain or brook of Siloe were both dried up.

[1] *Galdemarus,*] 'cognomento Carpinelle;' Will. Tyr. p. 753.

[2] *Willelmum de Sabulo.*] 'Willelmum de Sabran;' Will. Tyr.

ex nostris viri nobiles, Gilibertus de Treva et Aicardus de Monte Merla, alii autem apud Joppen incolumes pervenerunt, et sic inde cum omni substantia sua Hierosolymam sunt conducti, ubi a legionibus gaudenter excepti consolationem castris non modicam attulerunt. A.D. 1099. History of the Crusades.

Machinis constructis, civitas iterum impugnatur.

Cumque per mensem unum circa machinas laborantes ad negotii consummationem pervenerunt, placuit episcopis et sapientibus de exercitu, ut inter omnes pax reformaretur, jejunia fierent, processiones etiam cum orationibus devotis; et sic die statuto, his omnibus rite peractis, adfuit peregrinorum armis instructa ad urbem oppugnandam copiosa multitudo, unum omnes habentium propositum, aut animas pro Christo ponere aut urbem Christianæ restituere libertati. Accedentes igitur ad pugnam universi muro nitebantur machinas applicare, ut facilius Turcos, qui in turribus et propugnaculis rebellabant, possent liberius impugnare; at cives viriliter resistentes, telorum jactu, sagittarum imbre, lapidum contorsione ex machinis jaculatoriis, cum horrendo impetu retorquebant; nostri, e contrario, protecti clypeis et cratibus objectis, tam arcubus quam balistis, tela remittebant, frequentia et pugillaria contorquentes saxa ad murum accedere nitebantur, iis qui in turribus erant requiem subtrahentes et audaciam resistendi. Alii vero infra machinas et castella constituti, cum petrariis et trubuculis molares maximos et lapides damnosos ad mœnia dirigentes, ipsa collisione assidua et ictibus ingeminatis debilitare et ad casum impellere satagebant; alii cum minoribus machinis lapides leviores ad illos, qui in propugnaculis stabant, contorquentes, a The second assault.

A.D. 1099. History of the Crusades.

nostrorum infestatione compescere nitebantur; sed nec sic multum proficere comprobantur, nam Turci, qui intus erant, a propugnaculis saccos stramine et palea plenos, restes et tapetia, trabes ingentes, culcitras bombice refertas, a turribus et muro aliquantulum demiserant, ut, per eorum mollitiem et mobilitatem, contortorum molarium ictus eluderent et nostrorum laborem inanirent; lapides etiam ex machinis damnosos et tela ex arcubus non segniter retorquentes nostros ab opere deterrebant incepto; nostris vero, ut vallum jactu ruderum, lapidum, fruticum, et terræ implerent, et ad mœnia pararent accessum, cura erat propensior; sed inclusi, e contrario, ut eorum propositum irritarent, in ipsas machinas torres incensos, tela ignita sulphure et oleo pasta, ut eas exurerent, jaculabantur certatim. Principes autem nostri, injectis ignibus occurrentes, sabulum desuper et aquas copiose fundebant, ut incendiorum reprimerent actionem. Erat quidem nostris par labor et idem periculum in tribus partibus civitatis, sub duce videlicet Godefrido, sub duce Normannorum Roberto, ac demum sub comite Tholosano; continuabant quoque conflictum a mane usque ad vesperam, atque ancipitem utriusque partis laborem superveniens nox dirempsit.

De tertio impetu peregrinorum et captione civitatis.

The third assault.

Mane autem facto, cum jam diei aspirantis aurora nuntiaret exortum, cum omni aviditate excitus est populus ad conflictum, revertentibus ad officium singulis, cui hesterna die fuerat deputatum; quidam enim ex machinis molas asinarias ad mœnia contorquebant, quidam castella ad murum dirigere satagebant, alii arcubus et

balistis, Turcos qui in turribus erant, ne manum possent exerere, indefesso studio operam dabant, alii sagittis et jactu lapidum cives a propugnaculis repellebant; cives æquipollenter tela remittebant et lapides, atque ignem in ollis fragilibus cum sulphure et pice, arvina et adipe, stuppa, cera, lignis aridis et stipula impositis, ut nostras machinas incenderent, et alia instrumenta bellica retorquebant. Fiebat itaque ex utroque populo strages non modica, dum alii lapidum jactu conterebantur in frusta, alii trans loricas et clypeos confodiebantur telis, alii funda et lapide sternebantur; nec erat facile discernere uter cum majore studio populus decertaret. Erat tamen una ex machinis nostris, quæ saxa miri ponderis in urbem multa violentia remittebat, contra quam, cum nulla arte possent proficere, duas adduxerunt maleficas, ut eam fascinarent et artibus magicis redderent impotentem; quæ, dum suis instarent præstigiis super murum et incantationibus, ex eadem machina molaris emissus utramque illarum, cum tribus ancillis quæ illarum fuerant gressum [comitatæ], repente contrivit et ex muro inferius exanimes in fossatum dejecit; unde in castris factus est plausus ingens et exultatio, et e contrario civibus mœstitia ingens accrevit. Cum igitur usque in horam diei septimam sine certa victoria protractum esset negotium, desperantes nostri et supra vires fatigati habuerunt propositum castella et machinas alias jam igne recepto fumantes longius a muris arcere, et usque in diem crastinum conflictum differre, cum ecce virtus divina adfuit et rebus desperatis solamen donavit; nam de monte Oliveti miles quidam, splendidum et satis refulgentem ventilando clypeum, signum dedit nostris legionibus, ut redirent ad conflictum et

A.D. 1099. History of the Crusades.

A.D. 1099. History of the Crusades.

congressionem iterarent. [1]Hoc signo dux Godefridus exhilaratus magnis clamoribus populum revocavit, qui tanto fervore ad pugnam reversus est, ut de novo prælium incipere videretur; auxit præterea vires omnium et lætitiam solitarius quidam, qui in monte Oliveti habitabat, qui confidenter promiserat peregrinis illa die urbem fore capiendam; hæc quoque signa omnes accenderant fideles vehementer et securiores reddiderant de victoria obtinenda. Ducis igitur Godefridi et comitum legiones, prævia Dei gratia, eo usque profecerant, ut vallo repente complanato ad murum haberent, civibus defatigatis, accessum; hortante itaque duce, in culcitras bombice plenas et saccos stramine refertos, quæ in castello erant, ignem injecerunt, qui, flante Borea, accensus fumum infra urbem caliginosum retorsit, quo protervius instante, qui murum intus tenebantur defendere, ora vel oculos non valentes aperire, muri custodiam reliquerunt. Quo comperto, dux sub omni celeritate trabes, quas hostes in muris ad nostrum appenderant nocumentum, assumpsit, et caput unum cum machina positum et firmiter clavatum, aliud super civitatis murum locavit; deinde pontem, qui in machina erat, super ipsas trabes demittens, ipse dux primus omnium, ut miles strenuus, urbem audacter intravit; quem frater ejus Eustachius, dux Normannorum Robertus, et comes Flandrensis, cum [2]Litolfo et Gileberto fratribus, sunt secuti, et consequenter infinita multitudo tam equitum quam peditum, ita ut pons sustinere non posset. Videntes autem Turci, quod

[1] *Hoc signo dux Godefridus;*] 'qui cum fratre Eustachio in superiori castelli nostri cœnaculo, ad urbem impugnandam, et ad cautius tuendum ædificium, erat constitutus.' Will. Tyr. p. 757.

[2] *Litolfo et Gileberto.*] 'Ludolfus et Gislebertus uterini fratres;' Will. Tyr. p. 758.

nostri jam murum occupaverant, et dux etiam suum introduxerat vexillum, turres deserentes et mœnia ad vicorum sese angustias conferunt. Porro alii cognoscentes, quod maxima pars nobilium turres occupaverant civitatis, scalas ad murum certatim applicant, per quas ascendentes murum cæteris se conjungunt. Tunc dux Godefridus quosdam ad portam septentrionalem, quæ hodie [1] sancti Pauli dicitur, dirigens, ut eam aperientes populum introducant de foris expectantem; qua sub omni celeritate reserata, ingressus est exercitus universus, sexta feria, hora nona, [mensis Julii decima die. Capta est igitur civitas Hierusalem] anno Domini millesimo nonagesimo nono, anno ex quo fideles Christi peregrini votum et viam tantæ peregrinationis assumpserant quarto; sedente in cathedra Romana papa Urbano secundo, Romanorum imperium administrante Henrico, Græcorum vero imperatore Alexio; in Francia regnante Philippo, in Anglia Willelmo Rufo, regnante in perpetuum in omnes et super omnia Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria per sæcula infinita.

A.D. 1099. History of the Crusades.

De occisione Turcorum et mundificatione sanctæ civitatis.

Capta igitur civitate sanctissima, dux Godefridus et fideles omnes, qui cum eo erant, per plateas strictis gladiis discurrentes, quotquot de hostibus reperiunt in ore gladii indifferenter prosternunt; tanta quoque interemptorum strages erat, et præcisorum acervus capitum, ut jam nemini via pateret aut transitus ni super corpora peremptorum. Latebant autem adhuc hæc omnia

Jerusalem taken.

[1] *Sancti Pauli.*] The gate north of the temple bears the name of S. Stephen; so Will. Tyre and the rest. See Pococke, ii. part i. p. 21.

A.D. 1099. History of the Crusades.

comitem Tholosanum et principes alios, qui circa montem Syon viriliter decertabant; sed, audito nostrorum et Turcorum clamore et civium strage, cognoverunt urbem violenter effractam et nostrarum victoriam legionum: qui statim scalas ad murum aptantes, nemine obstante, urbis mœnia transierunt, stragem in illa parte non modicam operantes; portam itaque australem, quæ illis erat contermina, aperientes cum impetu populum universum quantocius introducunt. Factum est autem, quod Turci, qui a duce et suis agminibus aufugerant, ad partes illas declinantes hos obviam haberent, et Scyllam evitantes Charybdim multo periculosius inciderunt; nam tanta exinde per urbem strages facta est, ut etiam ipsis victoribus tam horrenda sanguinis effusio tædium ingereret et horrorem. Audiens autem Tancredus,[1] quod infra septa templi Turcorum se incluserat multitudo, contulit se illuc cum ingenti copia armatorum, et templum violenter ingressus, post stragem multiplicem, infinitas auri et argenti copias inde secum dicitur [2]abstulisse; quod reliqui principes audientes, intromissa equitum et peditum multitudine, quotquot ibi reperiunt gladiis trucidantes, universa sanguine repleverunt. Cecidisse referuntur infra templi ambitum ad decem millia Turcorum, exceptis aliis, qui passim per urbem truncabantur, quorum minor non fuisse numerus ferebatur; nam nostri per vicos et diverticula discurrentes, occulta perlustrantes universa, patrem-familias cum uxore et liberis et familia tota ex secretis

[1] *Tancredus.*] 'Solus Tancredus, intempestiva cupidine occupatus, quædam pretiosissima de templo Salomonis extulit; sed postmodum, sua conscientia et aliorum conventus colloquio, vel eadem vel appreciata loco restituit.' Malmsb. § 370.

[2] *Abstulisse;*] 'quæ tamen postmodum, sedato tumultu, restituisse creditur in integrum;' Will. Tyr. p. 759.

domiciliis[1] et cœnaculis occultis extrahentes in publicum, aut gladiis transverberabant, aut præcipitio dabant, ita ut confractis cervicibus interirent; et quicunque domum vel palatium confringere vel prius intrare poterat, eam sibi cum universa substantia jure perpetuo vendicabat; sic enim inter principes convenerat, ut, urbe expugnata, id, quod quilibet adquireret, jure hæreditario possideret; unde quicunque prius domum vel ædificium quodcunque occupavit, vexillum vel clypeum vel aliud armorum genus in introitu configebat, ut esset signum accedentibus ne gressum ibi figerent, sed domum præterirent, quasi ab aliis occupatam. A.D. 1099. History of the Crusades.

Principes loca sancta petunt.

Civitate[2] itaque subjugata et spoliis a peregrinis victoribus collectis, sedatoque tumultu, cœperunt, depositis armis, in spiritu humilitatis cum gemitu et lachrymis, nudis pedibus, loca venerabilia, quæ Salvator propria est dignatus sanctificare præsentia, cum omni devotione circumire, et specialiter ecclesiam sanctæ resurrectionis et Dominicæ passionis. Erat intueri sane jucundissimum, quanta devotione fideles populi utriusque sexus, quanta mentis exultatione et dulcedine spirituali, fusis ubertim lachrymis, ad loca sancta accederent; quantas gratias Deo agerent, qui tantæ eis peregrinationis consummationem ad effectum perducere concesserat, et ex fructu laborum suorum et exhibitæ militiæ dignatus erat illis supra merita stipendia numerare; fuit autem omnibus una in arram futuræ retributionis fiducia, quod per collationem donorum præsentium, firma sit eis expectatio futurorum, Jerusalem taken.

[1] *Domiciliis.*] In MS. 'homicidiis.'

[2] *Civitate.*] Compare Will. Tyr. p. 760.

A.D. 1099. History of the Crusades.

et per eam, quæ hic peregrinatur Hierusalem, ad eam perveniant, cujus exstat participatio in id ipsum. Porro episcopi et sacerdotes, ecclesias civitatis et præcipue templi ambitum a cadaveribus occisorum et sordibus universis mundantes, et loca venerabilia Domino consecrantes, et sacra missarum solemnia populo celebrantes pro collato sibi beneficio, omnibus gratias exhibebant. Visus est autem ea die vir in omnibus commendabilis Aimerus, Podiensis episcopus, qui apud Antiochiam, ut prælibavimus, obierat, in sancta civitate a multis, ita quod viri plurimi de exercitu fide dignissimi eum super murum primum omnium viderunt ascendisse civitatis, et cæteros ad ingressum animasse; qui etiam oculis corporeis se ipsum vidisse asserentes, et cum principibus loca sancta circumeuntem manifestissime conspexerunt. Alii autem plures, qui in peregrinatione piam in Christo dormitionem acceperant, in eadem civitate apparuerunt multis, loca sancta cum aliis devotissime requirentes. Petrus quoque heremita venerabilis, [1]qui quinto antea anno obierat [*sic*], a patriarcha civitatis et clero populoque fideli visus fuerat, et per cujus sollicitudinem principes occidentis ad hanc peregrinationem inducti exstiterant, cum esset modo a cunctis recognitus, flexis genibus et cum lachrymis illum venerabantur, gratias ei multiplices exsolventes, quod tam sedulo et fideliter eorum legationem fuerat exsecutus, quodque principes et regna induxerat ad tantos labores pro Christi nomine tolerandos. His igitur omnibus rite peractis, principes ad domos et hospitia, quæ interim eis sua familia præparaverat, reversi urbem

[1] *Qui quinto.*] 'Quem quarto vel quinto prius anno in eadem civitate viderant;' Will. Tyr. p. 761. The interpolation of 'obierat' in the text is evidently a scribe's error.

reperiunt omnibus bonis refertam, unde a majore usque ad minimum cœperunt copiosius abundare; reperiebantur enim in ædificiis et domibus confractis auri et argenti, gemmarum et pretiosarum vestium, frumenti, vini et olei, sed et aquarum, unde in obsidione maximam fuerant penuriam perpessi, ingentes copiæ, unde et ipsi, qui sibi domos vendicaverant, poterant indigentibus ad sufficientiam fratribus ministrare. Factum est autem, ut secunda post victoriam die et deinceps foro publico rerum venalium optimis conditionibus exhiberentur commercia, ita quidem ut plebs inferior necessariis omnibus abundaret. A D. 1099. History of the Crusades.

Quomodo principes regem et patriarcham constituunt.

Cumque per dies septem principes in sancta civitate in quiete lætitiaque spirituali tempus exegissent, convenerunt principes octava die tractaturi, per gratiam Sancti Spiritus, ut aliquem de suo eligerent collegio, qui præsit regioni et in civitate sancta regiam obtineat dignitatem. Nec[1] prætereundum censeo, quod peregrinorum universitas hoc decretum inter se sanxerunt, invocato de cælis ab magni consilii angelo auxilio, Election of a king.

[1] *Nec prætereundum.*] The legend, which in this most corrupt interpolation is intended to be conveyed, may best be gathered from the annexed extract from Trevisa's version of the Polychronicon; 'Also at Jherusalem, in an Eester euen, he stode amonge other men and abode the fyre that was wonte to come from heuen and lyghte some mannes taper. Thenne his taper was lyght by doynge and vertue of God. Therfore all men chose hym kynge of Jherusalem. But whan he herde of the deth of his broder, Wyllyam kynge of Engelonde, he refused ye kyngedome of Jherusalem, not bycause of reverence, but for drede of trauayle or couetyse of the kyngedome of Engelonde.' fol. cclxxvii. b. edit. 1527. Compare Fabyan, p. 254. Upon the question whether, or not, Robert was ever offered the crown of Jerusalem, the reader may consult Mills, Hist. of the Crusades, i. p. 471, *note* [k].

A.D. 1099. History of the Crusades.

consilio et certificatione Dei regis acciperent electum, ut qui tantis sudoribus et periculis hæreditas Christi salvaretur, juratur, ut quem Deus eligeret, omnes acceptasse. [1] Traditis igitur cum eis uni cui principum sub lumine, ut quem Deus eligeret per cerei accensionem, ab omnibus sane rex acclamaretur. Electus et dux Normannorum Robertus suum cui accensum clam extinxisset et electionem de se divinitus factam infeliciter refutavit, sperans, affirmans, se adhuc in Anglia .... litate regnare delicatius regnaturum, de quo regno se .... Qui omnes unanimiter, post multas hinc et inde disceptationes, in ducem Godefridum consonantes, ipsum eligunt, et electum sepulchro Domini cum laudibus et hymnis et canticis repræsentant. De patriarcha quoque constituendo in sancta civitate principes tractatum habentes, favore ducis Normannorum Roberti, episcopus quidam Maturanensis de Calabria Arnulphum sibi familiarem quendam, sacerdotis filium et inter peregrinos incontinentia et nimia levitate notatum, in sede patriarchali contrusit; sed idem Arnulphus, cita morte interveniente, temere susceptam coactus est deponere dignitatem. Post illum autem, vacante sede per menses quinque, principes, qui præsentes fuerunt, post multam deliberationem, venerabilem virum Daibertum in throno patriarchali et in cura collocant pastorali; fuit autem antea episcopus Pisanæ ecclesiæ, vir ad plenum eruditus et in agendis ecclesiasticis a puero enutritus.

---

[1] *Traditis igitur.*] The passage following should probably be read thus; 'Traditis igitur candelis unicuique principum sine lumine, ut quem Deus eligeret per cerei accensionem, ab omnibus sane rex acclamaretur, electus est dux Normannorum Robertus, suum qui accensum clam extinxit et electionem de se divinitus factam infeliciter refutavit, sperans, se adhuc in Anglia nobilitate delicatius regnaturum.'

Quomodo exercitus Soldani, Ægyptiorum principis, a nostris vincitur.

A.D. 1099. History of the Crusades. Battle of Ascalon.

Urbe autem sancta recenter adhuc a fidelibus subjugata,[1] Soldanus Ægyptiorum et Damascenorum, princeps inter omnes orientales potentissimus, cum civitatem sanctam Hierusalem a fidelibus captam cognovisset, vocato ad se principe militiæ suæ Elafdalio, præcepit, ut universum robur Ægypti et omnes imperii sui vires colligens in Syriam ascendat, et populum temerarium de superficie terræ deleat, ut non memoretur nomen ejus ultra. Erat quidem Elafdalius iste natione Armenius, a Christianis parentibus originem habens, sed præ immensitate divitiarum apostataverat a fide; et qui in fonte regenerationis Emyreius dicebatur, factus apostata Elafdalius nuncupabatur. Assumptis igitur hic crucis inimicus universis viribus Ægypti, Arabiæ et Damasci, venit Ascalonem, et ibi cum copiis suis universis castra locavit, inde Hierosolymam profecturus; proposuit enim ut fideles in Hierusalem obsideret, et post victoriam Dominicum funditus dilapidaret sepulchrum. Tunc peregrini crucis, qui nihil minus optabant quam obsidionis ærumnas denuo experiri, convenerunt ad invicem clerus et populus universus et arma spiritualia prius bajulantes ad sepulchrum Domini corde contrito et cum fletibus humiliter profecti et orantes in terram prostrati, a Domino postulabant, ut populum suum misericorditer ab imminentibus periculis liberaret; deinde, sumpta ex Dei parte audacia, ab urbe versus Ascalonem procedunt, audacter hostibus occurrentes. Portabant autem secum partem ligni Dominicæ cru-

[1] *Soldanus.*] Compare the contents of the present chapter with Will. of Tyre, p. 768.

A.D. 1099. History of the Crusades.

cis, quam civis quidam Hierosolymitanus, nomine Syrus, principibus nuper propalaverat, ab antiquis a se temporibus custoditam. Dux vero, qui et rex erat Hierosolymitanus, cum cæteris principibus peregrinis Ramulam perveniens, edoctus est ibi plenius, quod prædictus Emyreius apud Ascalonem cum suis copiis consedisset. Præmisit itaque dux equites ducentos, qui viam et statum hostium explorarent; sed, cum aliquantulum processissent, invenerunt armenta boum, equorum et camelorum, cum pastoribus animalibus curam præstantibus; ad quos cum noster pervenisset exercitus, fugerunt tam pastores quam qui pastoribus* præerant equites, gregibus et armentis sine custode relictis; capti sunt tamen quidam ex eis, quorum relatione de hostium proposito edocti cognoverunt, quod princeps prædictus, qui juxta eos ad septem milliaria castra statuerat, post biduum accedere et nostrum delere exercitum cogitabat. Erant autem nostri numero quasi mille equites et ducenti, pedites vero quasi sex millia numerati, qui omnes de prælio certi novem acies instruunt, quarum tres præponunt, tres locant in medio, et tres sequi præcipiunt, ut, undecunque ad eos hostium fiat accessus, triplicem ibi reperiant ordinem acierum objectum. Sic itaque, obtenta sine contradictione præda memorata, quæ præ nimia multitudine numerum excedebat, noctem illam ibi transegerunt gaudentes; mane autem facto, lituis et tubis bellum indicitur, et instructis ordinibus, Domino rei exitum commendantes, in hostes quasi vir unus procedunt, spem in eo victoriæ collocantes. Procedentibus igitur legionibus juxta militaris ordinis disciplinam lento gradu ad pugnam, visa sunt superno, ut creditur, instinctu pecora cornibus erectis et caudis acierum lateribus a dextris

et a sinistris comitari, nec ulla posse violentia præpediri; quod hostes eminus intuentes, sub solaribus radiis hebetatis luminibus, ante prælium animis conciderunt, credentes innumeram esse multitudinem armatorum, quamvis et ipsis multa militaris copia non deesset. Comes quoque Normannorum Robertus, qui dux erat et signifer acierum, pro re bene gesta sæpe dicendus, Admiravisi standardum a longe considerans,[1] quod in summitate hastæ pomum habebat aureum, hasta vero argento cooperta albicabat, ipsum deprehendens ibi esse, et audacter per medias acies super eum irruens, ad mortem graviter vulneravit; quod factum non mediocrem gentilibus incussit timorem. A.D. 1099. History of the Crusades.

De planctu Admiravisi et victoriæ consummatione et spoliis reportatis.

Admiravisus[2] autem vix palpitans, lethaliter vulneratus, alte ingemuit et hujusmodi planctum emisit, 'O omnium Creator, quid hoc est? Quid accidit? Quod fatum nobis infestum nocuit? Heu mihi, quam ineffabile dedecus, quam diuturnum improperium genti nostræ contigit! Gens misera, gens modica, gens mendica genti nostræ prævaluit. Unde hæc? Conventione, proh dolor! facta, adduxi huc militum ducenta millia, et peditum quorum multitudo numerum excedit, quos toti mundo prævalituros credebam; nunc autem, ut non mentiar, a minus quam mille militibus et paucis peditum millibus tam indecenter sunt superati. Aut procul dubio il-

[1] *Quod in summitate.*] Ordericus Vitalis, Act. Norman. p. 758.

[2] *Admiravisus.*] The account following appears to have been taken from Ordericus Vitalis, p. 755; compare the first anonymous writer in the Gesta Dei per Francos, p. 29, and Baldric, p. 138.

A.D. 1099. History of the Crusades.

lorum Deus omnipotens est et pro eis pugnat, aut noster nobis iratus est et nos nimis austero furore redarguit et castigat. Quicquid continget, hoc erit, quod in eos denuo non erigar, sed ad patriam meam ignominiosus, donec vixero, revertar.' His dictis, luctuose conquerebatur et lamentabatur suspiriis lachrymosis. Turcis igitur fugam meditantibus, eques quidam Lotharingus, qui in agmine extremo cum duce erat Godefrido, a lateribus equitans libertatem fugæ et campos abstulit omnes ; unde ipsi a duce Normannorum, qui in prima acie erat cum equitibus et sagittariis, penetrati et ab extremis inclusi, cæsi sunt ad fidelium voluntatem ; Admiravisus autem super dromedarium positus rapido cursu ejus evasit. Collata igitur fidelibus de supernis victoria, in hostium castra noster pervenit exercitus, ubi tantam auri, argenti, variæ supellectilis et gemmarum, divitiarumque peregrinarum, quarum cognitio nostris regionibus est ignota, copiam invenit, ut usque ad nauseam satiati mella fastidirent et placentas, et minimus dicere possit, [1]' Inopem me copia fecit.' Dux autem Robertus emit standardum ab iis, qui illud retinuerunt dum ille hostes insequeretur, viginti marcis argenti, et duxit illud juxta sepulchrum Domini ad monumentum tam memorandi triumphi; alius quoque ensem ejusdem emit Admiravisi bizantiis [2]quadraginta. Sic igitur, fugientibus adversariis, palma nostris cælitus concessa, cum ingenti gaudio reversi sunt in Hierusalem, [3]manibus onerati prædam inauditam secum trahentes.

---

[1] *Inopem.*] Ovid. Met. lib. iii. vers. 466.

[2] *Quadraginta.*] 'Sexaginta;' Baldric, p. 138.

[3] *Manibus.*] 'Manubiis,' *C.*

Quod dux Normannorum Robertus et comes Flandrensis ad propria sunt reversi.

A.D. 1099. History of the Crusades.

His ita bene gestis, dux Normannorum Robertus et comes Flandrensis, consummato feliciter peregrinationis voto, ad propria sunt reversi. Tradunt[1] autem quidam, quod dux Robertus, eo quod regnum Hierosolymitanum sibi oblatum recipere noluerit, offensus in eum Deus nihil ei deinceps prosperum dum vixit contulit, sicut sequens historia declarabit. Principibus igitur ad propria revertentibus, rex Godefridus, detento secum viro nobili Tancredo, et de Gres comite Garnero, et aliis quibusdam viris occidentis, commissum sibi a Deo regnum administrabat strenue et prudenter. Concessit autem jure hæreditario possidendam urbem Tyberiadensem, super lacum Genesar sitam, cum comitatu toto Galileæ, et Caypham, quæ alio nomine Porphyria dicitur, urbem maritimam, domino Tancredo, in quo principatu ita Deo placere studuit, quod usque in præsentem diem ecclesiæ regionis illius de ejus patrocinio gloriantur; qui infra biennium post, meritis exigentibus, ad principatum vocatus Antiochenum, illam nobilitavit ecclesiam, a temporibus pristinis gloriosam, plurima largiendo; sed et principatum, pluribus subjugatis urbibus et castellis, longe lateque finibus dilatatis ampliavit.

The duke of Normandy and earl of Flanders return.

De situ sanctæ civitatis et urbibus circumpositis.

Civitatem[2] sanctam Hierusalem in sublimibus

Description of Jerusalem.

[1] *Tradunt autem quidam.*] Compare above, p. 145, *note*, with Henry of Huntingdon, p. 377. 'But he who would not take the crown without the crosse, was fain to take the crosse without the crown, and never thrived afterwards in anything he undertook.' Holy Warre, p. 43.

[2] *Civitatem sanctam.*] For the following description of the Holy City, compare Bed. de Locc. Sanctis, tom. iii. col. 363, Jacobus de Vitriaco, inter Gesta Dei per Francos, p. 1077, *seqq.* with Pococke's Travels, tom. ii. part i. p. 1.

A.D. 1099. History of the Crusades.

esse montibus sitam, et in sorte Benjamin novimus constitutam. Habet autem ab occidente tribum Simeon, [terram] Philistinorum, et mare mediterraneum, a quo, prope est Joppen oppidum, viginti quatuor milliaribus distat, inter se et prædictum mare habens castellum Emaus; Modin etiam, sanctorum Machabæorum præsidium, et Noben viculum sacerdotum, et Dispolim, quæ est Lydda, ubi Petrus Æneam paralyticum saluti restituit, et ubi apud Simonem coriarium hospitatus Cornelii nuntium suscepit, sicut apud Joppen discipulam, Thabitam nomine, suscitavit. Ab oriente quoque Jordanis habet fluenta, et solitudinem filiorum prophetarum quasi ad milliaria quatuordecim, et vallem silvestrem, et mare Mortuum; [1] citra Jordanem vero Jericho habet, et Galgala domicilium Helisæi; ultra vero Jordanem Galaad, Basan, Amon, et Moab, quod postmodum Ruben, Gad, et dimidia tribus Manasse susceperunt in sortem, quæ hodie regio generali appellatione Arabia nuncupatur. Ab austro habet sortem Judæ, in qua est Bethleem, felix Dominicæ nativitatis locus, et Thecua urbs prophetarum Abacuc et Amos, et Hebron, quæ est Cariatharbe, Judæorum patriarcharum sepulchrum. A septentrione quoque habet Gabaon, Josue filii Nun victoriam insignem, et tribum Effraim, et Sylo, Sichar quoque et Samariæ regionem, et Bethel, peccati Jeroboam testem, sed et Sebasteam, Helisei et Abdiæ sepulchrum et Baptistæ Johannis martyrium; hæc olim a monte Somer dicta est Samaria, sicut et regio tota, quæ et thronus fuit regum Israel. Habet etiam et Neapolin vel Nicopolim, ubi filii Jacob, Simeon et Levi, in ultionem stupri, quod Sichem filius Emmor sorori eorum Dinæ intulerat, ipsum et filios ejus

[1] *Citra Jordanem.*] Compare Fulcher. Carnotensis, p. 405.

in ore gladii percusserunt, urbem eorum igne succendentes. A.D. 1099. History of the Crusades.

Est autem Hierusalem Judææ metropolis, quæ juxta veteres historias primum dicta est Salem, a Sem filio Noe primogenito, qui eam fundavit et in ea regnavit; hic postmodum dictus est Melchisedech, qui revertenti Abrahæ a cæde quatuor regum [1] obtulit panem et vinum; Melchisedech autem 'rex justitiæ' interpretatur, quem Deus a diluvio reservavit, ut Christus ex ejus semine nasceretur. Erat quidem eo tempore alia civitas, juxta Hieronymum Salem appellata, in qua idem Melchisedech sicut et alia regnavit, cujus ruinæ usque hodie juxta fluenta Jordanis cernuntur; deinceps, regnante in ea Jebusæo, dicta Jebus, et sic ex Jebus et Salem dicta est Jebussalem; [2] unde post, dempta b littera et addita r, dicta est Hierusalem; postea, expulso Jebus a David, dicta est civitas David; deinde, regnante vero Salomone filio ejus, vocata est Hierosolyma, quasi Hierusalem Salomonis. Hanc postea quadragesimo secundo anno post passionem Domini, Judæorum exigentibus peccatis, Titus Vespasiani filius, Romanorum princeps magnificus, obsedit et expugnatam dejecit, ita ut, juxta verbum Domini, non remaneret in ea lapis super lapidem. Illam vero postea Ælius Adrianus, quartus ab ipso Romanorum Augustus, reparavit, et de suo Eliam nuncupavit; et cum prius in clivo præcipiti montis esset sita, ita ut partem in orientem et in austrum tota devexa respiceret, in latere tam montis Sion quam Moriæ montis constituta, et solum templum et castellum, cui nomen erat Antonia, in sui haberet fastigio, ab eodem im-

[1] *Obtulit.*] In MS. 'offerens ei.'

[2] *Unde post.*] Compare Robertus Monachus, p. 80.

A.D. 1099. History of the Crusades.

peratore in montis verticem tota translata est, ita ut Dominicæ passionis et resurrectionis locus, qui prius extra urbem fuerat, urbe reædificata, infra murorum ambitum clauderetur.

De locis venerabilibus infra sanctam civitatem.

Of its holy places.

Hæc autem sancta et Deo dilecta civitas et minor maximis est et mediocribus major, forma quidem oblonga, et parte altera longiore tetragona, vallibus profundis in tribus partibus circumsepta. Nam ab oriente vallem habet Josaphat, in cujus imo sita est ecclesia Dei genitricis, ubi sepulta creditur et gloriosum ejus monstratur sepulchrum; sub qua est torrens Cedron, ex aquis pluvialibus ortus, de quo dicitur, 'Egressus ejus trans torrentem Cedron,' et cætera. Ab austro habet vallem Ennon, prædictæ valli contiguam, quæ sortis Benjamin et Judæ fuit in funiculo distributionis, et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Beennon ad occidentem, in qua est Acheldemach, hoc est ager sanguinis, emptus de pretio Domini in sepulturam peregrinorum. Ab occidente vero ejusdem vallis habet partem, in qua sita est vetus piscina, quæ celebris fuit temporibus regum Judæ, et inde protenditur ad piscinam superiorem, quæ Patriarchæ dicitur, juxta cœmiterium, quod est in spelunca, quæ cognominatur Leonis. A septentrione vero plano itinere ad urbem acceditur, in quo locus est, ubi protomartyr Stephanus dicitur lapidatus. [1]Patriarcha quoque hujus sanctæ civitatis quatuor habet archiepiscopos, unum Cæsariensem, alium Tyrensem, tertium Nazarensem, quartum Petracensem, id est Montis Regalis; primus est in regione Palæstinæ, alius in

[1] *Patriarcha.*] Upon the patriarchate of Jerusalem consult Le Quien's Oriens Christianus, tom. iii. col. 101.

regione Phœnicis, tertius Galilææ, quartus in provincia Moabitarum. Cæsariensis suffraganeum habet episcopum Sebastenum; Tyrensis suffraganeos habet episcopos Achonensem, Sidonensem, Bericensem, et Bellinacensem, quæ est Cæsarea Philippi; Nazarenus habet suffraganeum, Tiberiadensem; Petracensis unum habet suffraganeum, Græcum in monte Sinai. Habet præterea patriarcha, nullo mediante, episcopos suffraganeos, Bethleemitanum, Lyddensem et illum de Ebron, ubi sepulti fuerunt Adam et Eva, cum Abraham, Isaac et Jacob. [1]Sunt autem in urbe loca venerabilia, ut ecclesia Dominicæ resurrectionis in Calvaria sive in Golgota, ubi sunt canonici nigri sub priore; templum Domini, in quo sunt milites; aliud templum, in quo sunt clerici. In ecclesia montis Syon sunt canonici regulares sub abbate; in ecclesia montis Oliveti sunt canonici regulares sub abbate; in ecclesia vallis Josaphat monachi nigri sunt sub abbate; in ecclesia de Latina sunt monachi nigri sub abbate; isti omnes mitrati sunt, et cum episcopis prædictis in ministerio patriarchæ adsistunt. Sunt præterea aliæ civitates, quæ non habent episcopos, ut Ascalona, quæ est sub episcopo Bethleem; Joppe, quæ est sub canonicis Dominici sepulchri; Neapolis, quæ est sub clericis templi; Cayphas, quæ est sub archiepiscopo Cæsariensi. Nazareth locus est, in quo Maria mater Domini nata est, et in quo Filius Altissimi in uterum virginis descendit; Bethleem, in qua natus est Panis cælestis; Jordanis lacus est, in cujus flumine Christus baptizatus apparuit; locus alius, in quo Christus jejunavit et a diabolo tentatus est; stagnum Genesareth, ubi Christus discipulos vocavit et multa miracula fecit; mons

A.D. 1099. History of the Crusades.

[1] *Sunt autem.*] Jac. de Vitriaco, p. 1078.

A.D. 1099. History of the Crusades.

Thabor, in quo idem Christus transfiguratus apparuit; infra sanctam civitatem templum est, in quo Christus exstitit præsentatus; mons Syon, in quo Salvator cum discipulis cœnavit, et Spiritus Sanctus super discipulos venit, materque Domini ex hoc mundo migravit; Calvaria, ubi crucem et mortem sustinuit; sepulchrum, in quo quievit et unde tertia die surrexit; mons Oliveti, ubi in asinam sedens a pueris honoratur, et unde in cælum ascendit; Bethania, ubi Lazarum resuscitavit; Siloe, ubi cæco nato visum restituit; Gethsemani, id est, vallis Josaphat, ubi Christus a Judæis captus et Maria sepulta fuit; ecclesia sancti Stephani, ubi lapidatus occubuit; Sebastea, ubi Johannes Baptista sepultus fuit cum prophetis Helysæo et Abdia. Et hæc de terra Hierosolymitana et civitate sancta dicta sufficiant.

Quomodo rex Willelmus in nova aula apud Westmonasterium primo tenuit curiam suam.

First court held in Westminster hall.

Eodem anno, id est, Dominicæ nativitatis MXCIX. [1]rex Anglorum Willelmus a Normannia in Angliam rediens tenuit primo curiam suam apud Westmonasterium in nova aula; quam cum inspecturus cum multa militiæ turba introisset, cum alii eam dicerent magnam nimis esse et æquo majorem, dixit rex eam debitæ magnitudinis dimidia parte carere, nec eam esse nisi thalamum ad palatium, quod erat facturus. Deinde paulo post, cum venaretur in Nova foresta, venit ei nuntius a Cenomannia dicens suam ibi familiam obsideri; qui protinus ad mare veniens navem festinus introivit, cui nautæ, 'Cur, regum

[1] *Rex Anglorum.*] The following account of the last acts and death of William Rufus are taken nearly verbatim from Henry of Huntingdon, Scriptt. post Bed. p. 377, *seq.*

maxime, in tanta tempestate maris alta penetras, et mortis periculum non formidas?' Quibus rex, 'De rege fluctibus submerso loqui non audivi.' Mare itaque transiens, nihil dum viveret egit, unde tantam famam tantumque gloriæ decus haberet; Cenomanniam enim petens, Heliam consulem inde fugavit, et, obtenta civitate, ad Angliam transfretavit. Eodem anno rex Willelmus dedit episcopatum Dunelmensem [1]placitatori Ranulpho, viro pessimo; et [2]Osmundus, Saresbiriensis antistes, diem clausit extremum. [3]Sigebertus, Gemblacensis monachus, chronica sua hucusque digessit. Hoc quoque anno in æstate visus[4] est sanguis ebullire de terra apud Fischamstede in pago Bercensi, et post hæc apparuit cælum tota nocte rubeum, tanquam arderet. A.D. 1099.

De morte regis Willelmi Rufi et quibusdam signis ejus mortem prævenientibus.

Anno Domini MC. rex Anglorum Willelmus, cognomento Rufus, cum gloriose curiam suam ad Natale apud Gloverniam, ad Pascha apud Wintoniam, et apud Londonias ad Pentecosten tenuisset, [5]in crastino sancti Petri ad vincula perrexit venatum in Nova foresta; ubi [6]Walterus Tyrell A.D. 1100. Death of William Rufus.

[1] *Placitatori.*] 'Quod quidem munus idem videtur quod fisci procuratoris, seu, uti vocamus, procuratoris generalis.' Dufresne, ad *voc.*

[2] *Osmundus.*] He died, according to the Sax. Chron. innon Aduent: Florence says, 'tertio nonarum Decembris, feria sexta.' In the bull of pope Calixtus III. dated 26th April 1457, for his canonization, his day is fixed on the 4th of December.

[3] *Sigebertus, Gemblacensis.*] This is an error. Sigebert of Gembloursʼ chronicle extends to the year 1112, on the 5th of October in which year he died.

[4] *Visus est sanguis.*] The Saxon Chronicle and Malmsbury also speak of this appearance; Huntingdon has mention of it three times in almost the same page, once as happening at Finchamstede, and again at 'Hamstude.'

[5] *In crastino sancti Petri ad vincula.*] The 2nd of August.

[6] *Walterus Tyrell.*] Florence calls him 'Francus.' Suger, a contemporary historian, denies that Tyrel had any hand in the death of the king; Malmsb. p. 508, *note* [4].

A.D. 1100. cum sagitta, cervo intendens, inscius regem percussit. Rex autem in corde percussus corruit in terram nec verbum edidit, sed vitam crudelem fine misero terminavit. Ejus quoque mortem [1] signa plurima prævenerunt; nam idem rex, pridie ante necem suam, vidit per somnum sese flebotomiæ ictu sanguinem emittere, et radium cruoris in cælum usque extentum lucem obnubilare et diei interpellare claritatem; rex autem, sancta Maria invocata et somno excussus, lumen inferri præcepit, et cubicularios a se discedere non permittens residuum noctis insomnis peregit. Mane vero, cum aurora illuxisset, monachus quidam transmarinus, qui pro ecclesiæ suæ negotiis regis curiam sequebatur, Roberto filio Hamonis, viro potenti et regi familiari, somnium retulit, quod nocte eadem viderat mirificum et horrendum; vidit enim per somnum regem in quandam venire ecclesiam, gestuque superbo et insolenti, ut solebat, cœpit despicere circumstantes, ubi crucifixum dentibus apprehendens brachia illius corrosit et crura pæne truncavit; quod crucifixus cum diu tolerasset, regem demum dextro pede ita depulit, ut caderet in pavimentum supinus, et ex ore jacentis tantam exire flammam conspexit et ita diffusam, ut fumorum nebula, quasi chaos magnum, usque ad sidera volitaret et obfuscaret; hanc visionem cum Robertus regi retulisset, cachinnos ingeminans ait, 'Monachus est,' inquit, 'et lucri causa monachiliter somniavit; da ei centum solidos, ne videatur inaniter somniasse.' [2] Ejus præterea mortem miseram, ut prædictum est, sanguis de terra ebulliens

Portents preceding the death of William Rufus.

[1] *Signa plurima.*] Compare the account following with Malmsbury, § 332, *seq.*

[2] *Ejus.*] Matthew Paris has here inserted another dream of the king, and some other particulars respecting his death, of a similar character, p. 45.

præsignavit, licet experimenta alia non deesA.D. 1100.
sent. Nam Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, ob illius tyrannidem per triennium trans mare pulsus, a Roma Marcenniacum venit circa kalendas Augusti, ut sancti Hugonis, Cluniacensis abbatis, colloquio frueretur; ubi cum de rege Willelmo inter eos sermo haberetur, abbas ille venerabilis archiepiscopo respondens sub testimonio intulit veritatis, 'Proxima nocte præterita vidi regem illum ante thronum Dei adductum et accusatum, et a justo Judice damnationis in illum sententiam promulgatam;' sed, quomodo illud sciret, nec ipse tunc exposuit, nec archiepiscopus, propter illius eminentiam sanctitatis, nec alius audientium quilibet [percontatus est]. Item sequenti die, cum archiepiscopus inde progressus Lugdunum venisset, et nocte sequenti monachi, qui cum Anselmo erant, matutinos ipso præsente decantassent, ecce juvenis quidam, ornatu serenus ac vultu, clerico cuidam ipsius archiepiscopi, qui prope ostium thalami in lecto jacebat, et necdum dormiens oculos tamen clausos tenebat, adstitit, et vocans eum nomine suo dixit, 'Adam,' inquit, 'dormis?' cui cum clericus responderet 'Non,' ait 'Vis audire nova?' 'Libenter,' respondit; et ille, 'Pro certo,' inquit, 'noveris quod totum dissidium inter archiepiscopum et regem Willelmum exortum jam penitus est sopitum;' ad hoc clericus alacrior factus caput erexit, sed oculis apertis neminem vidit. Item, cum nocte proxime sequente unus ex monachis ejusdem archiepiscopi ad matutinos staret et cantaret, ecce quidam illi chartulam admodum parvam exhibuit ad legendum, quam intuens monachus 'Obiit rex Willelmus,' in ea scriptum invenit; qui confestim oculos aperiens præter socios nullum vidit. Nec multo post elapso termino,

A.D. 1100. duo ex monachis ejus ad ipsum venientes, et regis mortem nuntiantes, hortati sunt attentius, ut illico sedem suam repetere dignaretur.

De vitiis regis Willelmi.

Character of William Rufus. Jure autem rex in medio totius injustitiæ suæ præreptus occubuit, qui supra hominem erat, et consilio perversorum, quicquid mali poterat, id semper agebat; [1]et suis nequam, alienis nequior, sibi nequissimus, subjectos omnes continuis geldis et talagiis vexabat, vicinos werris et exactionibus assiduis provocabat, nec respirare poterat Anglia, sub ipso miserabiliter suffocata. Ipse namque et qui ei famulabantur omnia rapiebant, omnia conterebant et subvertebant, adulteria violenter et impune committebant, quicquid fraudis et nequitiæ antea non erat his temporibus pullulavit; invisus namque rex nequissimus Deo et populo, die qua obiit, in proprio tenebat archiepiscopatum Cantuariensem, episcopatus Wintoniensem et Saresbiriensem, cum duodecim abbatiis, quas aut vendebat, aut ad firmam dabat, aut in manu sua tenebat; nec luxuriæ scelus exercebat occulte, sed ex impudentia coram sole. Quid plura? Quicquid Deo Deumque diligentibus placebat, hoc regi regemque diligentibus displicebat. Sepultus est autem in crastino perditionis suæ apud Wintoniam, [2]in cujus sepultura lachrymæ locum præ gaudio non habebant.

De coronatione regis Henrici primi regis Anglorum.

Coronation of Henry I. Defuncto itaque rege Willelmo, cum magnates Angliæ ignorarent, quid actum esset de Roberto

[1] *Et suis.*] Huntingdon, p. 378.

[2] *In cujus.*] 'In veteri monasterio, in ecclesia sancti Petri;' Flor.: 'ibi infra ambitum turris, multorum procerum conventu, paucorum planctu, terræ traditum;' Malmsb. p. 509.

duce Normannorum, regis defuncti fratre primogenito, qui jam per quinquennium in expeditione Hierosolymitana moram protraxerat, timuerunt diu sine regimine vacillare; quod Henricus, fratrum ultimus et juvenis sapientissimus, cum callide cognovisset, congregato Londoniis clero Angliæ et populo universo, promisit emendationem legum, quibus oppressa fuerat Anglia tempore patris sui et fratris nuper defuncti, ut animos omnium in sui promotionem accenderet et amorem, ita ut illum in regem susciperent et patronum. Ad hæc clero respondente et magnatibus cunctis, quod si animo volente ipsis vellet concedere et charta sua communire illas libertates et consuetudines antiquas, quæ floruerunt in regno tempore sancti regis Edwardi, in ipsum consentirent et in regem unanimiter consecrarent. Henrico autem hoc libenter annuente, et se id facturum cum juramento affirmante, consecratus est in regem apud Westmonasterium in die[1] Assumptionis beatæ Mariæ, favente clero et populo; qui continuo, cum fuerat diademate insignitus, has [2]libertates subscriptas in regno, ad exaltationem sanctæ ecclesiæ et pacem populi, tenendas concessit. A.D. 1100.

De libertatibus, quas rex Henricus in regno tenendas concessit.

'Henricus, Dei gratia rex Angliæ, Hugoni de Boclande vicecomiti et omnibus fidelibus suis, tam Francis quam Anglis, in [3]Herefordeschire, salutem. Sciatis me Dei misericordia et communi His charter.

[1] *Die Assumptionis beatæ Mariæ.*] The 15th of August.

[2] *Libertates.*] A copy of this charter may be also found in the Textus Roffensis, edit. Hearne, p. 51.

[3] *Herefordeschire.*] This should be Hertfordshire, to the sheriff of which Wendover addresses the charter, as the county in which S. Alban's was situated.

A.D. 1100. Charter of Henry I.

consilio baronum regni Angliæ regem esse coronatum; et quia regnum oppressum erat injustis exactionibus, ego respectu Dei, et amore quem erga vos omnes habeo, sanctam Dei ecclesiam liberam facio, ita quod nec eam vendam nec ad firmam ponam, nec, mortuo archiepiscopo vel episcopo vel abbate, aliquid accipiam de dominio ecclesiæ, vel de hominibus, donec successor in eam ingrediatur. Et omnes malas consuetudines, quibus regnum Angliæ injuste opprimebatur, inde aufero, quas malas consuetudines in parte hic pono.

'Si quis baronum meorum, comitum vel aliorum, qui de me tenent, mortuus fuerit, hæres suus non redimet terram suam, [1]sicut facere consueverat tempore patris mei, sed justa et legitima relevatione relevabit eam; similiter et homines baronum meorum legitima et justa relevatione relevabunt terras suas de dominis suis. Et, si quis baronum vel aliorum hominum meorum filiam suam tradere voluerit, sive sororem, sive neptem, sive cognatam nuptui, mecum inde loquatur, sed neque ego aliquid de suo pro hac licentia accipiam, neque defendam ei quin eam det, excepto si eam dare voluerit inimico meo; et si, mortuo barone vel alio homine meo, filia hæres remanserit, dabo illam cum consilio baronum meorum cum terra sua; et si, mortuo marito, uxor ejus remanserit et sine liberis fuerit, dotem suam et [2]maritagium habebit, et eam non dabo marito, nisi secundum velle suum. Si vero uxor cum liberis remanserit, dotem suam et maritagium habebit, dum corpus suum legitime servabit, et eam non dabo nisi secundum velle suum;

[1] *Sicut facere.... patris mei.*] 'Sicut faciebat tempore fratris mei;' Text. Roff.

[2] *Maritagium.*] 'Maritationem;' Text. Roff.

et terræ liberorum custos erit sive uxor, sive alius propinquior, qui justius esse debet; et præcipio, ut homines mei similiter se contineant erga filios et filias et uxores hominum suorum. A.D. 1100. Charter of Henry I.

'Monetagium commune, quod capiebatur per civitates vel comitatus, quod non fuit tempore Edwardi regis, hoc ne amodo fiat omnino defendo; si quis captus fuerit, sive monetarius sive alius, cum falsa moneta, justitia recta inde fiat. Omnia placita et omnia debita, quæ regi fratri meo debebantur, condono, exceptis firmis meis, et exceptis illis, quæ pacta erant pro aliorum hæreditatibus, vel pro illis rebus, quæ justius alios contingebant. Et si quis aliquid pro hæreditate sua pepigerat, illud condono, et omnes relevationes, quæ pro rectis hæreditatibus pactæ erant. Et si quis baronum vel hominum meorum infirmabitur, sicut ipse dabit vel dare disposuerit pecuniam suam, ita datam esse concedo; quod si ipse prævemtus vel armis, vel infirmitate, pecuniam suam non dederit nec dare disposuerit, uxor sua sive liberi aut parentes et legitimi homines sui pro anima ejus eam dividant, sicut eis melius visum fuerit. Si quis baronum vel hominum meorum forisfecerit, non dabit vadium in misericordia pecuniæ suæ, sicut faciebat tempore patris vel fratris mei, sed secundum forisfacturæ modum, nec ita emendabit sicut emendasset [1] retro tempore patris mei vel fratris; quod si perfidiæ vel sceleris convictus fuerit, sicut erit culpa, sic emendet. Murdra etiam retro ab illa die, qua in regem coronatus fui, omnia condono, et ea quæ amodo facta fuerint juste emendentur, secundum lagam regis Edwardi. Forestas com-

[1] *Retro tempore.*] 'Retro a tempore patris mei in tempore aliorum antecessorum meorum;' Text. Roff.

A.D. 1100. Charter of Henry I.

muni consilio baronum meorum in manu mea ita retinui, sicut pater meus eas habuit. Militibus, qui [1]per loricas terras suas defendunt, terras dominicarum carucarum suarum quietas ab omnibus geldis et omni proprio dono meo concedo, ut sicut tam magno gravamine alleviati sunt, in[2] equis et armis bene se instruant, ut apti et parati sint ad servitium meum et ad defensionem regni mei. Pacem firmam pono in toto regno meo, et teneri amodo præcipio. Lagam regis Edwardi vobis reddo, cum illis emendationibus, quibus pater meus eam emendavit consilio baronum suorum. Si quis aliquid de meo, vel de rebus alicujus, post obitum regis Willelmi fratris mei cepit, totum cito reddatur absque emendatione; et si quis inde aliquid retinuerit, ille super quem inventum fuerit graviter mihi emendabit.' His testibus, Mauricio, Londoniensi episcopo, Willelmo, Wintoniensi electo, Girardo, Herefordensi episcopo, Henrico comite, Simone comite, Waltero Giffard comite, Roberto de Monte-forti, Rogero Bigod, et aliis multis. Factæ sunt tot chartæ quot sunt comitatus in Anglia, et, rege jubente, positæ in abbatiis singulorum comitatuum ad monumentum.

De reditu Anselmi, Cantuariensis archiepiscopi, in Angliam.

Restoration of Anselm.

Rex itaque Henricus in regem, ut dictum est, coronatus dedit episcopatum Wintoniensem Willelmo Giffard, et continuo de possessionibus cunctis ad episcopatum pertinentibus illum, contra novi statuta concilii, de quo superius mentionem fecimus, investivit. Deinde, de consilio totius Anglicanæ ecclesiæ, misit ad partes transmarinas

[1] *Per loricas.*] Translated by Tyrrell 'habergeons;' ii. p. 115.

[2] *In equis.*] 'Ita se equis;' Text. Roff.

nuntios[1] solemnes ad Anselmum, Cantuariensem archiepiscopum, summopere illum sollicitans, ut cum festinatione ab exilio rediens sedem suam repetere non moraretur. Rediit interea dux Robertus, frater regis, expleta magnifice peregrinatione Hierosolymitana, in Normanniam, in qua jam per quinquennium fere fuerat demoratus, ubi cum lætitia et honore susceptus est ab universo populo regionis. Tenuit autem eo tempore rex in custodia [2]Ranulphum, Dunelmensem episcopum, hominem perversum et ad omne scelus paratum, quem frater ejus rex Willelmus episcopum fecerat Dunelmensem, et regni Anglorum subversorem; qui cum regi jam dicto nimis esset familiaris, constituerat eum rex procuratorem suum in regno, ut evelleret, destrueret, raperet et disperderet, et omnia hominum bona ad fisci commodum comportaret; sed, mortuo rege iniquo et Henrico coronato, de communi consilio gentis Anglorum posuit eum rex in vinculis, a quibus cum, custodibus suis pecunia corruptis, evasisset, transfretavit clam in Normanniam, et sua exhortatione ducem Robertum commovit in regem fratrem suum. At dux Robertus literas occulte ad Angliæ magnates transmittens allegavit, quod esset primogenitus filiorum regis Willelmi primi, qui Angliam armis subegerat, et hac ratione de jure sibi regnum competere affirmabat. His auditis, [3]multi nobiles de regno Angliæ causæ illius favorem præbentes fidele consilium ei pariter et auxilium promiserunt. Robertus vero interim paravit viam, ut A.D. 1100.

[1] *Nuntios.*] They found him at Lyons, with Hugh the bishop of that see; Eadm. p. 55.

[2] *Ranulphum.*] 'Ralph Flambard, bishop of Durham, was confined in the Tower of London on the 14th Sept. 1100, and escaped 4th Feb. 1101.' Malmsb. p. 619, *note* 4.

[3] *Multi nobiles.*] Compare Malmsb. § 394.

A.D. 1100. jus suum prosequeretur, sed, quia nuper de peregrinatione terræ sanctæ pauper redierat, distulit ad tempus negotium mente conceptum, ut tempore congruo illud effectui manciparet. Eodem tempore, defuncto Thoma, Eboracensi archiepiscopo, [1] Gerardus successit; et Sigisbertus, Gemblacensis monachus, hucusque chronica sua satis eleganter digessit.

De virtute regis Godefridi et morte immatura.

Eodem anno, defuncto papa Urbano, [2] Paschalis sedit in cathedra Romana post eum annis decem et octo. [3] Eodem anno rex Hierosolymarum Godefridus, ad instantiam quorundam baronum suorum, Jordanis flumine transito, in regione Ammonitarum, quam tunc Arabes inhabitabant, ingentem gregum et armentorum contrahens prædam, cum manubiis infinitis feliciter remeavit; quo audito, princeps quidam de gente Arabum præclarus et potens, atque in disciplina militari ferventissimus, per internuntios pace impetrata, ad regem Godefridum cum ejusdem gentis nobili comitatu accessit. Audierat enim multorum relatione de regis et populi occidentis viribus et magnificentia, qui per tot terrarum spatia universum sibi subegerant orientem; unde studio eum ferventissimo videre gestiens, ad regis præsentiam adductus reverenter illum salutavit, et, cum diu regem intuitus corporis ejus dispositionem admiraretur, cœpit eum multa precum in-

Death of the king of Jerusalem.

[1] *Gerardus successit;*] 'homo quidem auctus et litteratus, sed vita lubricus, in emungendis per indecoras etiam occasiones subditorum marsupiis callidus, et, ut plurimi asseverant, maleficiis etiam assuetus;' Gul. Neubrig. ed. Hearne, i. p. 25.

[2] *Paschalis,*] the second; he died in January 1118.

[3] *Eodem anno.*] The following account of the last acts and death of Godfrey are taken from Will. Tyr. p. 775.

stantia rogitare, ut in conspectu ejus gladio A.D. 1100.
suo camelum maximum, quem ad illum usum adduxerat, percutere dignaretur. Rex vero non ad jactantiam, sed ut barbaris nationibus timorem incuteret, evaginato gladio, camelum percussit et caput belluæ, tanquam res esset perfragilis, gladio amputavit; quo viso, Arabs obstupuit, sed in mente sua id ensis acumini adscribebat; unde, impetrata licentia ut confidentius loqueretur, quæsivit propensius si id possit cum alterius gladio operari; at rex subridens ejusdem gladium sibi dari præcepit, quo arrepto, alium camelum sibi præsentatum percussit, et caput illius sine difficultate præcidit. Sicque Arabs, quod de regis virtute audierat, verum esse comperiens, multis in auro, argento, equis, ac rebus pretiosis muneribus collatis, ejus sibi gratiam comparavit, et reversus ad propria regis fortitudinem omnibus prædicavit. Deinde idem rex Hierosolymarum magnificus, mense Julio incurabili morbo correptus, ægrotare cœpit, et, adsumpto humanæ salutis viatico, confessor Christi diem clausit extremum, cum beatis spiritibus vitam possessurus æternam. Obiit autem decimo quinto kalendas Augusti anni præsentis, et sepultus est in ecclesia Dominici sepulchri, sub loco Calvariæ, ubi et successoribus ejus usque in præsentem diem pro sepultura locus est deputatus. Tandem, cum per tres menses regnum vacasset Hierosolymitanum, judicio principum universorum et cleri citatus est dominus Baldewinus, frater ex utroque parente defuncti regis, ut post eum cum festinatione accederet, sicut jus dictaverat, regnaturus.

De coronatione regis Baldewini Hierusalem et ejus pietate.

A.D. 1101. Baldwin king of Jerusalem.

Anno Domini MC. primo, Baldewinus, comes Edessanus et frater regis Godefridi uterinus, Hierosolymam veniens, in die sancto nativitatis Dominicæ per manum patriarchæ [1]Diaberti in regem Hierosolymarum inunctus est et regio diademate laureatus. [2]Tancredus autem, vir nobilis et omni laude dignissimus, [3]veteris injuriæ, de qua superius dictum est, a Baldewino jam in regem coronato sibi illatæ non immemor, sumpta ab eo licentia recedendi, reddidit ei urbes Tyberiadensem et Caipham, quas ex dono regis Godefridi susceperat, et Antiochiam veniens a populo civitatis benigne susceptus est; fuerat enim paulo ante Boamundus princeps civitatis apud Meletemiam, Mesopotamiæ urbem, a Damsiva Turco quodam captus et nondum a vinculis liberatus, unde et Tancredus a principibus Antiochenis sæpe vocatus, ut præesset eis donec Boamundus a vinculis solveretur, adquievit petitionibus eorum, et tam urbis quam regionis administrationem suscepit. Contigit autem eo tempore regem Baldewinum Jordanem transire, et, ut regionum finitimarum exploraret infirma, descendere in Arabiam ejusdemque provinciæ intima hostiliter perlustrare; ubi de nocte subito super Turcos ruens non præmeditatos, in ipsis eorum tabernaculis de viris multos, mulieres cum parvulis universis, et omnem eorum substantiam sibi fecit in prædam, trahens secum spolia infinita, camelorum quoque et asinorum multitudinem inauditam; viri autem, velocitate equorum fu-

[1] *Diqberti.*] Daimbert, who before his election had been archbishop of Pisa; he died in 1107.

[2] *Tancredus.*] Will. Tyr. p. 781, *seq.*

[3] *Veteris injuriæ.*] 'Apud Tarsum Ciliciæ;' Will. Tyr.

gientes, uxores et liberos cum manubiis impre- A.D. 1101.
tiabilibus nostris reliquerunt in prædam. Rex autem rediens cum spoliis fœminam quandam, uxorem cujusdam principis potentis, prægnantem et in partu jacentem invenit; quod videns rex, fecit de spoliis lectum parari pro tempore idoneum, datoque cibo, et utribus aqua plenis, lactisque copia, et ancillis ad ejus custodiam assignatis, mantello, quo erat rex indutus, involvit eam, et exercitu inde [transivit.] Die vero sequenti magnus ille Arabum princeps, de uxore admodum tristis, de more nostrorum sequens exercitum, in uxorem casu incidit sic jacentem; videns ergo princeps ille et stupens humanitatem, quam rex erga eam exhibuerat, cœpit nomen regis usque ad sidera extollere, et ei de cætero obligatus in necessariis articulis cœpit fideliter adhærere.

Quomodo rex Henricus Matildam duxerit, filiam regis Scotorum.

Eodem anno Anselmus, Cantuariensis archie- Marriage of Henry I.
piscopus, [1]in Angliam veniens desponsavit Matildam, filiam Malcolmi regis Scotorum et sanctæ reginæ Margaretæ, novo [2]regi Angliæ Henrico; et, sic nuptiis magnifice celebratis, facta est commotio in regno, causa Roberti ducis Normanniæ, non modica, qui, ut rumor asserebat, ad hoc venit cum exercitu copioso, ut sibi Angliam subjugaret; quo cognito, misit rex Henricus navalem expeditionem contra fratrem venien-

[1] *In Angliam.*] He landed at Dover on the 22nd of September. Eadm. p. 55.

[2] *Regi Angliæ Henrico.*] Matthew Paris has here introduced a story giving an account of the aversion of Matilda to this marriage, with her imprecations upon the issue that might result from it; for which however there does not appear to be any foundation; compare Eadmer, p. 56, with Malmsbury, § 418.

Quod Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, Romam profectus abbates degradatos secum duxit.

A.D. 1103. Anselm's visit to Rome.

Anno Domini MCIII. Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, post multas tribulationes et injurias, quas a rege perpessus fuerat, [1]Romam perrexit, sicut inter ipsum et regem convenerat, ducens secum degradatos abbates et Willelmum, Wintoniensem electum; quo Romam veniente, a papa Paschali susceptus est reverenter. Dehinc, die pro regiis constituto negotiis, Willelmus de Wareuast,[2] clericus et procurator regis Anglorum, causam ipsius in medium tulit, ac inter alia constanter allegavit, quod nec ipse pro regni amissione investituras ecclesiarum amittere velit, et hoc verbis minacibus adfirmavit. Ad hæc papa; 'Si, quemadmodum dicis, rex tuus nec pro regni amissione donationes ecclesiarum amittere pateretur, scias præcise, coram Deo dico, quia nec pro mei capitis redemptione eas illi impune permitterem obtinere.' In his ergo regis negotio terminato, Anselmus archiepiscopus pro episcopis et abbatibus degradatis multa precum instantia dominum papam rogare cœpit, ut cum illis misericorditer dispensaret, ut possent amissas recipere dignitates. Tunc sedes clementissima, quæ nulli deesse consuevit, dummodo albi aliquid vel rubei intercedat, præscriptos pontifices et abbates ad pristinas dignitates misericorditer revocavit et cum gaudio ad proprias sedes remisit. Eodem anno Robertus, dux Normannorum, causa fratris sui et regis versutia, tria millia marcas argenti, quas rex illi singulis annis reddiderat, condonavit.

---

[1] *Romam perrexit.*] On the 27th April; Flor.

[2] *Wareuast.*] 'Warewast,' C.

Quod multi nobiles Hierosolymam profecti imperatoris dolo perierunt.

Circa dies istos multi nobiles de finibus occi- A.D. 1103. Crusade.
dentis cruce signati, ad iter se accingentes, duces habuerunt nobiles viros et potentes Willelmum, Aquitaniæ ducem, [1]Hugonem magnum, comitem Viromadensem, qui nuper ab eadem peregrinatione redierat, [2]Stephanum Carnotensem et Blesensem comitem, cum Stephano, comite Burgundensi. Hi omnes uno eodemque desiderio accensi cum turba non modica Constantinopolim pervenerunt; ubi ab imperatore Alexio reverenter sed dolose suscepti invenerunt ibi comitem Tholosanum, qui, semel peregrinatione incepta, nunquam ad propria redire proposuit; qui omnes, sumpta ab imperatore licentia, comitem Tholosanum quasi productorem habentes, transito Hellesponto, Nicæam Bithyniæ urbem attigerunt. Tunc imperator Alexius et proditor nequissimus, nostrorum invidens successibus, principibus Turcorum infidelium, per quos peregrini transituri erant, crebras transmisit epistolas, exhortans attentius ne tantum Christianorum populum libere transire in suam perniciem paterentur. Nostri autem nimis inconsulte agentes, et nihil sinistri suspicantes, divisis agminibus incedebant, vinculum caritatis non habentes; unde dati sunt in manus insidiantium Turcorum, ita quod ex eis una die ceciderunt in ore gladii plusquam quingenta millia peremptorum. Quibus autem concessum est hostium

[1] *Hugonem magnum.*] 'Philippi regis Francorum frater.' Will. Tyr. p. 782.

[2] *Stephanum.*] According to Ordericus Vitalis, 'the prayers and reproaches of Adela his wife, sister to the king of England, were used to induce him to join in this second expedition.' Michaud, ii. p. 489.

A.D. 1103. manus effugere, amissis omnibus, apud Tarsum Ciliciæ convenerunt, et, defuncto ibi Hugone magno et in ecclesia doctoris gentium sepulto, Antiochiam profecti sunt, indeque Hierosolymam festinantes Tortosam pervenerunt, urbemque obsidione vallantes infra dies paucos obtinuerunt eam, civibus interemptis aut mancipatis perpetuæ servituti.

Quod rex Hierosolymarum tres civitates subegit.

Conquests of Baldwin, king of Jerusalem.

Sub his quoque diebus in portu Joppensi magna Januensium classe appulsa, et in Paschali solemnitate Hierosolymam ascenderunt. Horum rex Hierusalem Baldewinus fultus auxilio Assur[1] oppidum maritimum obsedit et illud potenter subjugavit, et, in eo custodibus relictis, Cæsaream usque pervenit; quam rex cum magno labore suorum effractam ingressus, interfectis civibus, spolia ibidem impretiabilia obtinuit, quæ suis auxiliariis largiter erogavit. Erat autem in una parte hujus civitatis templum deorum, ad quod populus causa obtinendæ salutis confugerat; sed, illo confracto, tanta ibi strages facta est, ut horror esset occisorum multitudinem intueri. In illo autem oratorio vas viridissimi coloris repertum est, in modum paropsidis formatum, quod Januenses smaragdinum reputantes pro magna pecuniæ summa receperunt, et pro ornatu pretioso suæ illud ecclesiæ obtulerunt. Adducti sunt autem coram rege procurator civitatis, qui lingua eorum Emyr dicitur, et juridicus, qui[2] Cadmis appellabatur, qui spe maximæ redemptionis sunt compedibus mancipati. Rex vero consti-

[1] *Assur.*] 'Arsur, oppidum maritimum ... Est autem hic locus, qui alio nomine Antipatrida appellatur, ab Herodis genitore Antipatro sic appellatus.' Will. Tyr. p. 783.

[2] *Cadmis,*] or more properly 'Cadius;' Will. Tyr.

tuit ibi archiepiscopum Baldewinum quendam, qui cum duce Godefrido illuc advenerat, et, relicto ad custodiam civitatis præsidio militari, ad Ramulam festinavit. Misit eo tempore Caliphus Ægypti principem militiæ suæ contra regem Baldewinum cum undecim millibus equitum et viginti millibus peditum, præcipiens, ut populum inopem et mendicum a suis, ut dicebant, finibus propulsarent; quos cum rex advenire cognovisset, obviavit illis intrepidus cum equitibus ducentis et sexaginta et peditibus nongentis, et, invocato de supernis auxilio, viriliter irruerunt in hostes, quibus in fugam compulsis, insecuti sunt eos fideles usque Ascalonem, stragem operantes non modicam per octo milliaria, et nocte illa victores in campestribus quieverunt. Ceciderunt quoque ex hostibus quinque millia virorum, et ex nostris equites septuaginta, pedites autem plures, quorum tamen certus numerus non habetur. Principibus interim occidentis, de quibus supra retulimus, Hierosolymam festinantibus, rex Hierusalem obviam eis adveniens in sanctam civitatem cum gaudio introduxit. A.D. 1103.

Quod rex Henricus terras Roberti fratris sui depopulatur.

Anno Domini MCIV. surrexit inter regem Henricum et Robertum Normanniæ ducem fratres, causis intercedentibus, discordia, unde rex, missa in Normanniam expeditione militari, eaque a quibusdam proditoribus ducis recepta, prædis et combustionibus non modicam cladem rebus ducis subito intulerunt; [1]sed Willelmus, comes Moretonii, causa perfidiæ nuper a rege proscrip- A D. 1104. Expedition into Normandy.

[1] *Sed Willelmus.*] William, earl of Mortain or Mortagne, son of duke Robert the eldest of the half-brothers of the Conqueror. He is called Morteuil by Huntingdon.

A.D. 1104. tus ab Anglia, animo perfecto, ut vir strenuus, regalibus turmis audacter bellum indixit; sed dux Robertus, fratris sui divitias metuens, castella sua et terræ infirmiora in quantum potuit communivit. Eodem anno apparuerunt in meridie circa solem quatuor circuli albi coloris.

Quod Anselmo archiepiscopo interdictum est, ne rediret in Angliam.

Anselm's return interdicted.

Hoc quoque tempore Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, a Roma rediens cum Lugduno appropinquasset, Willelmus de Wareuast, regis Anglorum procurator, [1]de quo superius mentionem fecimus, interdixit ex parte domini sui, ne rediret in Angliam, nisi omnes patris ac fratris ipsius consuetudines se ei fideliter promitteret servaturum; quod ille audiens admiratus est, sciens se alia conditione ab Anglia recessisse. Perveniens autem Lugdunum resedit cum Hugone, archiepiscopo civitatis, omnibus quæ Dei sunt diligenter intendens. Rex autem Henricus, ut comperit tam papam quam archiepiscopum in sua perstare sententia, mox archiepiscopatum in dominium suum redegit et Anselmum bonis omnibus spoliavit.

De Turco quodam, qui regem Hierosolymorum satis curialiter liberavit.

Escape of Baldwin from Rama.

Circa[2] dies istos Arabitæ cum Ægyptiis fines Christianorum apud Lyddam, Sauronam, et Ramulam ingressi, ad numerum viginti millium, prædis ibi instabant et rapinis; quod ut regi Hierusalem Baldewino nuntiatum fuisset, præter morem nimis inconsulte agens, non convocatis ex urbibus finitimis militaribus copiis, sed de sua

[1] *De quo superius.*] Above, p. 172.

[2] *Circa dies.*] Compare Will. Tyr. p. 787, *seqq.*

virtute præsumens, vix ducentos secum habens A.D. 1104.
equites, contra hostes prorupit, sed nostrorum paucitas a tanta infidelium multitudine oppressa, cæsis pluribus, in fugam est compulsa; qui autem evadere potuerunt, ad Ramulam oppidum confugerunt; ceciderunt ibidem uterque comes Stephanus, qui nuper advenerant, et alii nobiles multi, quorum nomina scripta habentur in libro vitæ. Rex vero, licet de oppidi securitate non multum confideret, tamen, ut mortis dispendium declinaret, illud ingreditur, spem non habens aliam evadendi; cumque de vita desperans in crastino metueret ab hostibus obsideri, ecce intempestæ noctis silentio adfuit supradictus ille princeps nobilis de Arabia, cujus uxori, ut præmisimus, rex tantam exhibuerat humanitatem dum in partu laboraret, et voce suppressa iis qui in muro erant siccine loquebatur, 'Verba habeo,' inquit, 'ad regem secretiora, quæ perfero; facite ut introducar ad ipsum;' qui coram rege adductus instruit eum, ut de oppido egrediatur, promittens secure, quod ipsum sub tuto constituet, si sine tumultu exeat et cum paucis; consilium enim inierant Arabes, ut testatur, quod summo diluculo castrum debeant obsidere. Tandemque egressus rex cum paucis, amicum sequens, ad montana conscendit; at vir nobilis ille, ab eo digrediens, opportunum regi tempore congruo promisit obsequium; rex vero duobus sociis comitatus per medias hostium insidias Assur usque pervenit, ubi a suis gaudenter exceptus est et sumpto cibario confortatus. Hostes autem, victoria potiti, in crastino Ramulam obsederunt; quam violenter subjugantes, fideles, qui in præsidio erant, partim [neci], partim tradiderunt et perpetuæ servituti. Venit interea Hugo de Sancto Audemaro, cui rex dederat ur-

A.D. 1104. bem Tiberiadensem, apud Assur ad regem cum equitibus octoginta; quorum rex fretus auxilio, assumptis secum Joppitis cum equitibus nonaginta, in spem bonam erectus decrevit hostibus occurrere et injurias eis refundere cum usuris. Erant autem prope quasi ad tria milliaria, et ecce rex cum suis, infusa de supernis virtute et divina gratia præeunte, in hostes potenter irruens eorum agmina dissolvit, et, interfectis ex eis non paucis, cæteros compulit fugam inire; deinde in castra hostium reversi fideles, spolia cum asinis, camelis, papilionibus et tentoriis, alimentorumque copiis colligentes, quasi per menses septem imbelles postea quieverunt. Eodem tempore dominus Tancredus Appamiam, Cœle-syriæ metropolim, obsedit et cepit, inde Laodiceam transiens, illam recepit in suam; his autem urbibus ampla nimis cum oppidis et suburbanis multis territoria adjacebant. Eodem etiam tempore Boamundus, Antiochenorum princeps, post annos quatuor suæ captionis, pretio interveniente redemptus, Antiochiam est reversus.

Quod Achon redditur regi Baldewino.

Baldwin gains possession of Achon.

Eodem[1] anno rex Hierusalem Baldewinus Ptolomaidam, civitatem maritimam provinciæ Phœnicis, obsidione vallavit; hæc autem urbs, portum habens infra mœnia et extra, tranquillam præbere potest navibus stationem. Hanc gemini fratres fundasse Ptolomæus et Achon perhibentur, quam inter se dividentes, et muris eam solidis per gyrum vallantes, a Ptolomæo Ptolomaidam, et ab Achone Achon, sive Acharon, vocabulum indiderunt. Obsessa igitur civitate per ter-

[1] *Eodem anno.*] William of Tyre places the siege of Ptolemais in 1103, 'circa veris initium,' p. 790.

ram a rege suisque principibus, et a classe Janu A D. 1104.
ensi navibusque rostratis, quas galeias appellant, per mare, introitum civibus et exitum auferebant; machinis tandem circumpositis, crebris assultibus, tam a rege per terram, quam a classe per oram maritimam, multos ex civibus variis eventibus peremerunt; cumque per dies viginti continuos, nostri oppugnando illique injurias a se propulsando, desudassent, hac conditione regi civitatem tradiderunt, ut, qui egredi vellent, cum uxoribus et liberis et rebus omnibus liberum haberent exitum, et, qui in domibus manere eligerent, data regi singulis annis bonis conditionibus pecunia, sub illius protectione manerent securi. Hic primum per mare accedentibus ad terram sanctam patuit secura tranquillitas, littore ab hostibus aliquantulum expedito. [1]Eodem anno Boamundus et Baldewinus comes, cum Tancredo et Jocelino eorumque legionibus universis, Euphratem transeuntes, Carram civitatem, de qua in gestis Abrahæ legitur, obsederunt; cives autem de subventione diffidentes nostris civitatem obtulerunt, sed, stimulante invidia, effusa est contentio inter Boamundum et Baldewinum, quis eorum urbem obtineret in suam, et differentes usque mane urbem oblatam occupare, donec de illa quæstione frivola plenius discuteretur, antequam dies illucesceret tanta hostium adfuit multitudo, ut nostri de vita etiam desperarent. Patriarchæ autem, qui adfuerunt, verbis exhortatoriis nostris animos addere nituntur, sed gratia destituti divina nec verbis nec admonitionibus adjuvantur; nam statim in primo conflictu nostri ignominiose terga ostendentes, castraque cum sarcinis deserentes, fuga salutem quærebant, quam non poterant invenire.

[1] *Eodem anno.*] Will. Tyr. p. 792.

A.D. 1104. Capti sunt ibi comes Edessanus Baldewinus et consanguineus ejus Jocelinus, fugientibus Boamundo et Tancredo cum duobus patriarchis donec ad urbem Edessam incolumes pervenerunt. Tunc tradita est civitas Edessana et provincia tota sub custodia domini Tancredi, donec Baldewinus a carcere solveretur.

De facto quodam memorabili Matildis reginæ.

A.D. 1105. Anecdote of Matilda. Anno Domini MCV. rex Anglorum Henricus transfretavit in Normanniam, [1] contra fratrem suum ducem Normannicum certaturus; conquisivit igitur Cadomum et Baiocum consulis auxilio Andegavensis, cum aliis castellis multis, et omnes fere sese regi Normanniæ principes subdiderunt. Eodem tempore David, frater reginæ Anglorum Matildis, venit in Angliam, ut sororem suam visitaret; qui, cum nocte quadam in thalamum ejus ab ipsa vocatus venisset, domum invenit leprosis plenam, et regina in media stans, deposito pallio, linteo se præcinxit, et, aqua imposita, cœpit lavare pedes eorum et extergere linteo, et utrisque manibus constrictos cœpit devotissime osculari. Cui frater, 'Quid est quod agis, O domina mea? Certe, si rex sciret ista, nunquam dignaretur os tuum leprosorum pedum tabe pollutum suis labiis osculari;' et illa subridens ait, 'Pedes,' inquit, 'Regis æterni quis nescit labiis regis morituri esse præferendos? Ecce ego idcirco vocavi te, frater carissime, ut exemplo mei talia discas operari; fac, rogo, quod me facere intueris;' cui cum frater respondisset, se nullo modo talia facturum, illa

[1] *Contra fratrem.*] Henry's excuse for passing into Normandy was to lend assistance to some of the nobles, who had invited him to protect them against the earl of Mortain and Robert de Belesme. Orderic. Vital. p. 812, *seqq.*

cœptis insistente, David subridens remeavit. A.D. 1105. Eodem anno rex Henricus, dispositis in Normannia rebus necessariis, ad Angliam transfretavit.

Quod rex Henricus Robertum fratrem suum in campestri prælio ceperit.

Anno Domini MCVI. dux Normannorum Robertus venit ad fratrem suum apud Northamptonam amicabiliter petens ab eo, ut ablatam sibi fraternam [1]redderet gratiam; sed Deus eorum concordiæ non consensit. [2]Dux autem iratus perrexit in Normanniam, et rex ipsum secutus Tenkerchebrai[3] castellum obsedit, trahens secum omnes fere proceres Normanniæ et Andegaviæ, robur Angliæ et Britanniæ, ut fratrem debellaret. Venit itaque dux Robertus Normannicus, et cum eo Robertus de Beleasmo et consul Moretonii et alii fautores ejus, ut obsidionem solverent inchoatam, et, buccinis perstrepentibus, cum paucis multos audacter invasit; erat enim expertus in Hierosolymitanis congressionibus, unde regales aggressus acies fortiter eas repulit et horrende. Willelmus nihilominus, comes Moretonii, aciem Anglorum de loco in locum perturbans promovit et fere in fugam compulit; sed rex Henricus cum suis aciebus, qui pedites erant, ut constantius pugnarent, fugam cohibuit cæterorum et eos ad pugnam solidavit; tandem acies equestris Britonum in aciem ducis ex ad- A.D. 1106. Henry's victory in Normandy.

[1] *Redderet gratiam.*] 'Cui rex omnino contradixit; quare comes iratus recessit et mare transivit.' Flor. ad an. 1106.

[2] *Dux.*] Matthew Paris has inserted here a conciliatory speech made by the king to his nobles, before quitting England, to ensure their co-operation. Its character may be gathered from the introductory passage; 'Rex talibus alloquiis super mel et favum oleumque mellitis et mollitis blandiens, dixit.'

[3] *Tenkerchebrai.*] The battle of Tinchebrai was fought upon Michaelmas eve, the 28th Sept. Malmsb. p. 625.

A.D. 1106. verso irruens eam potenter diffidit, et mole magnitudinis oppressa gens ducis dissoluta est et victa. In hoc opere potissimum laudandus fuit Willelmus de Albeneio, Brito, qui gladio discurrens inter acies extracto belli negotium consummavit. Capti sunt itaque dux Normannorum fortissimus et consul Moretonii Willelmus; Robertus vero de Beleasmo fuga sibi consuluit cum complices retentos conspexit. [1]In hoc quoque facto reddidit Deus vicem Roberto, quem cum in actibus Hierosolymitanis gloriosum reddidisset, oblatum sibi respuit regnum, magis eligens quieti et desidiæ in Normannia deservire, quam Domino regum omnium in sancta civitate famulari. In hujus rei signum eodem anno [2]cometa apparuerat, a sole distans quasi cubito uno, ab hora tertia usque ad horam nonam, radium ex se longum emittens; visæ sunt etiam in cœna Domini lunæ binæ et plenæ, una in oriente et altera in occidente. Sicque impletum est, quod rex Willelmus Henrico filio suo moriens dixit; nam cum Roberto Normanniam et Willelmo Angliam legaret, cum lachrymis ad patrem ait, 'Et mihi, pater, quid tribuis?' cui pater; 'Quinque millia libras argenti de thesauris meis tibi do;' ad hæc Henricus; 'Quid faciam de thesauro, si locum habitationis non habuero?' cui rex; 'Æquanimis esto, fili, et confortare in Domino; pacifice sustine, ut fratres tui majores te præcedant, tu autem tempore tuo honorem totum, quem adquisivi, habebis, et fratribus tuis divitiis et potestate præstabis.'

---

[1] *In hoc quoque facto.*] So Henry of Huntingdon, p. 379.

[2] *Cometa apparuerat.*] 'In prima autem septimana Quadragesimæ, sexta feria, xiv. kal. Martii, in vespera, ostensa est quædam insolita stella, et per viginti quinque dies eodem modo eademque hora visa est lucere inter austrum et occidentem.' Flor. ad an. 1106.

Quod rex Henricus et Anselmus archiepiscopus concordati sunt.

A.D. 1107. Reconciliation of the king with Anselm.

Anno Domini MCVII. cum rex Henricus, deletis vel subjectis hostibus, pro voluntate Normanniam disposuisset, venit apud Beccum ad Anselmum, Cantuariensem archiepiscopum, ubi, intervenientibus utrorumque amicis, in pacem et concordiam convenerunt, et archiepiscopus rogatu regis in Angliam rediens pristinam ab eo obtinuit dignitatem; rex autem, archiepiscopum secutus in Angliam, Robertum fratrem suum et Willelmum, Moretonii consulem, perpetuo carceri mancipavit. Dedit autem Deus omnipotens regi Henrico tria munera, sapientiam scilicet, victoriam et divitias, quibus ad omnia prosperans omnes suos antecessores præcessit. Eodem anno factus est [1]conventus episcoporum et abbatum pariter et magnatum Londoniis in palatio regis, præsidente archiepiscopo Anselmo, ubi annuit rex Henricus et statuit, ut ab eo tempore in reliquum nunquam per [2]donationem baculi pastoralis vel annuli quisquam de episcopatu vel abbatia per regem vel quamlibet laicam manum investiretur in Anglia; concedente archiepiscopo, ut nullus ad prælationem electus, pro homagio quod regi faceret, consecratione suscepti honoris privaretur. Eodem anno consecrati sunt episcopi, Willelmus Wintoniensis, Rogerus Sarisberiensis, [3]Reinelmus Herefordensis, Willelmus Exoniensis et Urbanus Clammor-

[1] *Conventus episcoporum.*] They began to sit on the 1st of August, and debated for three days the subject of investitures; Wilkins.

[2] *Donationem.*] 'Investituram annuli et baculi indulsit in perpetuum; retento tantum electionis et regalium privilegio.' Malmsb. p. 649.

[3] *Reinelmus Herefordensis.*] 'Rainaldus;' Malmsb. Reinelmus Herefordensis and Willelmus Exoniensis are wanting in C.

A.D. 1107. ganensis, ab Anselmo Cantuariensi archiepiscopo apud Doroberniam, die Dominica, tertio idus Augusti. Obiit etiam eodem tempore Mauritius, episcopus Londoniensis, ecclesiæ sancti Pauli fundator, et rex Scotorum [1]Eadgarus, cui successit frater ejus Alexander.

Quod Girardo, Eboracensi archiepiscopo, Thomas successit.

A.D. 1108. Succession in the see of York. Anno Domini MCVIII., defuncto Girardo, Eboracensi archiepiscopo, Thomas, regis capellanus, ad illius ecclesiæ eligitur præsulatum; sed continuo, facta electione, Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, interdixit ei, ne curam pastoralem in aliquo exerceret, donec sibi et ecclesiæ Cantuariensi subjectionem faceret et obedientiam canonicam, quam sibi fecerant prædecessores ejus, Thomas et Girardus, ex consuetudine debita et antiqua; 'Quod si hæc,' inquit, 'facere nolueris, omnibus Britanniæ episcopis sub anathemate interdicimus, ne ullus eorum tibi manus ad promotionem imponat, nec, si ab exteris promotus fueris, pro episcopo te suscipiant, vel pro episcopo tibi communicando te habeant.' Eodem anno Ricardus de Beaumeis, Londoniensis electus, consecratur ab Anselmo, Cantuariensi archiepiscopo, apud Pageham, præsentibus suffraganeis multis. Eodem tempore regi Francorum [2]Philippo defuncto Lodowicus successit.

De morte beati Anselmi, Cantuariensis archiepiscopi.

A.D. 1109. Anno Domini MCIX. [3]Anselmus, Cantuariensis

[1] *Eadgarus.*] He died, according to Florence, on the 6th January. Simeon places his death two days later. In the Sax. Chron. it is stated to have happened on the 13th.

[2] *Philippo.*] He died the 29th July; his successor Louis VI. on the 1st August 1137.

[3] *Anselmus.*] He died, according to Florence, on the 22nd of May.

archiepiscopus et Christi philosophus, in quadragesima diem clausit supremum, cujus vitam laudabilem, cujus actus eximios, cujus transitum ab hac luce cælestem ad patriam, crebra ejus miraculorum insignia persequuntur et ad opera misericordiæ ejus successores invitant. [1]Eodem anno missi sunt [2]nuntii solemnes ab imperatore Romanorum Henrico in Angliam, filiam regis Matildem in domini sui conjugium postulantes. Tenuit itaque rex apud Westmonasterium in Pentecostes curiam suam, qua nunquam tenuerat splendidiorem, et sacramenta de conjugio filiæ suæ ab imperatoris legatis petiit et accepit; data est igitur filia regis imperatori sicut decuit, ut breviter dicatur, et rex cepit ab unaquaque hida terræ totius Angliæ tres solidos, sicut mos erat regibus Anglorum. Eodem anno convenerunt, rege jubente, Londini in ecclesia beati Pauli, Richardus Londoniensis, Willelmus Wintoniensis, Radulphus Roffensis, Herebertus Norwicensis, Radulphus Cicestrensis, Ranulphus Dunelmensis, et Herveus [3]Bangornensis episcopi quinto kalendas Julii, die Dominica, ad consecrationem Thomæ Eboracensis electi; ubi ecclesiæ Cantuariensi et episcopis ejus catholice ordinatis facta canonica obedientia, consecratus est a Richardo Londoniensi. Eodem anno rex Henricus Eliensem abbatiam ad episcopalem transtulit sedem, et [4]Herveum ibi fecit episcopum ordinari; nam defuncto Richardo, qui ultimus

A.D. 1109. Death of Anselm.

Consecration of Thomas, archbishop of York.

[1] *Eodem anno.*] Paris inserts here an account of a letter sent from heaven to a prelate against the enormities of the Romish church.

[2] *Nuntii.*] The ambassadors came into England in this year; but the princess did not proceed to Germany, nor did the marriage take place, until the year following. Flor.; H. Huntingdon.

[3] *Bangornensis.*] 'Baggornensis,' *C.*

[4] *Herveum.*] He died the 1st September 1133; see Angl. Sacr. i. p. 616.

A.D. 1109. fuit abbas in insula, et comitatu de Cantabregge episcopo Lincolniensi subtracto, huic novo pontifici lege diocesana subjicitur comitatus. Eodem tempore in parochia Legiensi porca porcellum enixa est faciem hominis habentem, et pullus gallinæ quadrupes natus est.

Quod Boamundus terram Alexii imperatoris depopulatur.

Expedition of Bohemond. Circa[1] hos denique dies Boamundus, Antiochenorum princeps, memor injuriarum quas Alexius imperator, vir maliciosus et nequam, peregrinis Hierosolymam transire volentibus sine intermissione irrogabat, communem volens ulcisci querimoniam, equitum quinque millia et peditum quadraginta millia virorum fortium congregavit, et terram dicti imperatoris hostiliter ingressus universas pæne maritimas urbes in direptionem dedit, omnemque Epirum depopulatus est tam primam quam secundam; et tandem Durachium obsidens, Epiri primæ metropolim, regionem undique incendiis consumpsit et rapinis. Quod audiens imperator cum ingenti militia in succursum venit; sed, intervenientibus amicis, imperator fœdus iniit cum eo, interpositis juramentis, quod ultra Christi fidelibus in orientem transire volentibus sine fraude consilium ad iter peragendum et auxilium ministraret, et, sic fœdere confirmato, idem Boamundus in Apuliam descendit, familiaribus negotiis evocatus. Sequente vero æstate dum Antiochiam redire disponeret, copiis militaribus undique collectis, valida ægritudine correptus in fata concessit; relicto filio, nomine Boamundo, quem ex Constan-

[1] *Circa hos . . . dies.*] Compare William of Tyre, who says that the expedition was commenced upon the 9th of October, p. 798, with Gibbon, vol. xi. p. 99.

tia genuerat, filia regis Philippi Francorum. Obiit[1] autem eodem tempore idem rex Francorum Philippus, vir illustris, et successit ei filius ejus Lodowicus viginti octo annis. Per idem tempus Baldewinus comes Edessanus et Jocelinus consanguineus ejus, datis pro redemptione sua obsidibus, a Turcorum vinculis liberantur; et post dies paucos iidem obsides ad propria sunt reversi, custodibus interfectis. Eodem anno [2]Bertrannus comes Tholosanus, comitis Reimundi filius, apud urbem Tripolitanam cum classe Januensium applicans, Biblum, urbem maritimam Phœnicis regionis, obsedit et cepit et Christianæ restituit unitati; deinde post dies paucos rex Hierusalem Baldewinus, auxilio ejusdem comitis et classis prædictæ, Tripolim subjugavit et eam comiti Bertranno donavit.

A.D. 1109. Death of Philip king of France.

Quod rex Henricus quosdam inimicos suos exulavit.

Anno Domini MCX. rex Anglorum Henricus exhæredavit[3] Philippum de Brausia, Willelmum quoque Malet et Willelmum Binard, et alios proditores suos, atque Heliam, Cenomanniæ comitem, qui comitatum illum de rege tenebat, vita privavit; quod audiens comes Andegavensis Gaufridus suscepit filiam ejusdem Heliæ cum comitatu illo, et tenuit illum contra regem Henricum. Eodem anno Richardus, abbas ecclesiæ sancti Albani, pretiosas beatissimi regis et martyris [4]Oswini reliquias cum magno cleri et populi tripudio in novam Dei genitricis Mariæ transtulit basilicam apud Tinemutham, ab antiquo ejusdem Dei genitricis oratorio, in quo

A.D. 1110. Philip de Brause and others banished.

[1] *Obiit autem.*] See above, p. 184, *note* [2].

[2] *Bertrannus.*] 'Bertramus;' Will. Tyr. p. 800.

[3] *Exhæredavit.*] So Henry Huntingdon, who gives only as the reason for this act of the king, 'qui ei nocuerant;' p. 379.

[4] *Oswini.*] See his passion in the first volume, p. 145.

A.D. 1110. corpus ejus sanctissimum fuerat prius inventum, et in novo feretro collocatum ; facta est autem hæc translatio in die passionis ejusdem martyris, decimo kalendas Septembris. Eodem etiam anno sanctus Godricus apud Finchale vitam heremeticam inchoavit, quam per annos quadraginta laudabiliter complens, carne tandem solutus, cæli palatium conscendit, æternalibus delitiis ibidem fruiturus cum sanctis. Hoc etiam anno cometa apparuit more insolito, nam, cum ab oriente surgens in firmamentum ascendisset, non progredi, sed regredi videbatur. Eodem vero tempore rex Hierusalem Baldewinus Beritum, civitatem Phœnicis regionis maritimam, potenter subjugatam catholicæ restituit unitati ; est autem sita inter Biblum et Sidonem civitates.

Quod rex Henricus terram comitis Andegavensis gravi depopulatione contrivit.

A.D. 1111. Henry wastes Anjou. Anno Domini MCXI. rex Anglorum Henricus pergens in Normanniam contra comitem Andegavensem, qui Cenomanniam ab eo tenebat invito, werræ leges contra eum ferro simul et incendio constanter exercuit, ipsumque et terram ejus totam gravi depopulatione contrivit.

De sancta Frethesuuitha et ejus ecclesiæ fundatione.

Legend of St. Frideswithe. Eodem tempore [1]Rogerus, Sarisberiensis episcopus, dedit locum in Oxonia, in quo corpus beatæ Fretheswithæ virginis requiescit, cuidam canonico nomine Wimundo, qui, multos ibi canonicos regulariter viventes Deoque famulantes devotissime instituens, super illos vices gerebat prioris. Fuerat autem antiquitus pro reverentia beatæ virginis sanctimonialibus deputatus, quæ Sponsi

[1] *Rogerus, Sarisberiensis episcopus.*] Compare Malmsbury, de Gest. Pontif. p. 291.

cælestis amore sponsum contempsit terrenum; A.D. 1111.
nam cum regis cujusdam filius ad virginis nuptias animum applicuisset, precibus tandem et blanditiis inaniter consumptis, violenter contendit rem agere cum puella, quo comperto, Fretheswitha in silvam quandam latenter confugit; nec tamen latibulum latere potuit amatorem, quia desidia non defuit quin quæreret fugientem. Virgo igitur, iterato juvenis furore comperto, per occultos tramites, Deo comitante, Oxoniam de nocte fugiens pervenit; cumque mane illuc curiosus amator advolasset, puella de fuga jam desperans, simulque de lassitudine nusquam progredi valens, Dei tutelam sibi et persecutori pœnam anxia imprecatur; jamque juvenis ille cum comitibus portas urbis subibat, cum, cælesti plaga irruente, cœcitatem incurrit. Intellecto igitur pertinaciæ suæ delicto, juvenis luce privatus, et Fretheswitha ut misereretur per nuntios exhortata, eadem facilitate lumen recepit, qua, imprecante puella, incurrerat cœcitatem. Hinc regibus Angliæ timor inolevit illius urbis ingressum et hospitium cavere, quod feratur pestifera esse illis, cum non velint rei veritatem suo damno periculum experiri. Tunc virgo beata, constructo ibidem monasterio, virginibus congregatis, usque ad exitum vitæ suæ Deo placens illis præfuit nomine abbatissæ. Hoc autem monasterium tempore Anglorum regis Ethelredi, Danis neci adjudicatis et causa salutis in illud confugientibus, discurrentibus flammis, cum eis consumptum est, sed non multo post ab eodem rege constructum et competentibus est prædiis ampliatum. Obiit hoc anno Robertus, comes Flandrensis, qui itineri Hierosolymitano præclarissimo interfuit, unde memoria ejus non transiet in æternum; factus est autem

A.D. 1111. consul post eum filius ejus Baldewinus. Eodem anno Sidon, civitas in maris margine posita, obsidetur et capitur a rege Hierusalem magnifico Baldewino.

Quod dissensio oritur inter papam et imperatorem.

A.D. 1112. Contention between the pope and emperor.

Anno Domini MCXII. facta est[1] contentio Romæ inter papam Paschalem et Henricum imperatorem, hac de causa; Imperator uti voluit privilegio antecessorum suorum habito annis trecentis sub Romanis pontificibus sexaginta, qui licite dederant episcopatus et abbatias per annulum et baculum pastoralem; e contra censebant Romani pontifices, nec posse nec debere dari per virgam vel annulum episcopatum, vel aliquam institutionem ecclesiasticam a manu recipere laicali. Facta est autem pax inter imperatorem Henricum et papam Paschalem, ita ut episcopi deinceps et abbates institutionem accipiant ab imperatore et suis successoribus per virgam et annulum, et prius faciant episcopo, ad quem pertinuerit, canonicam obedientiam, et consecrationem accipiant consuetam: acta vero sunt hæc ante altare apostolorum Petri et Pauli in oculis omnium, et sic papa corpus Christi dedit imperatori. Obiit eodem anno Tancredus, vir illustris et in actibus Hierosolymitanis magnificus, qui princeps erat Antiochiæ et comes Edessanus; cui successit Rogerus filius Richardi, vir nobilis, ea conditione, ut, quandocunque Boamundus junior Antiochiam reposceret, illi sine contradictione resignaret.

---

[1] *Contentio Romæ.*] Baronius has collected the circumstances connected with this controversy, and the reconciliation of the pope and emperor, which appears to have taken place on the 11th April 1111.

De discordia inter archiepiscopos Cantuarienses et Eboracenses.

Anno Domini MCXIII. rex Henricus dedit archiepiscopatum Cantuariensem Radulfo, [1]Londoniensi episcopo, et illum per annulum et pastoralem baculum investivit. Obiit eodem anno Thomas, Eboracensis archiepiscopus, et ei Turstanus successit. Orta est autem inter Radulfum Cantuariensem et Turstanum Eboracensem archiepiscopos magna dissensio, eo quod Eboracensis subjici noluit archiepiscopo Cantuariensi de more, sicut ejus antecessores facere solebant; causa autem sæpe coram rege et domino papa ventilata est, sed nondum fine debito terminata. Eodem anno rex Henricus exercitum ducens in Walliam subdidit sibi Wallenses pro arbitrio regiæ voluntatis. Eodem anno, mense Maio, cometa ingens apparuit; et, post paulum, terræ motus partem urbis [2]Mamistre prostravit, non longe ab Antiochia, cum duobus castellis, [3]Triphalege scilicet et Mariscum. Ipso etiam anno Menduc, Persarum princeps, fines Christianorum ingressus, tantam secum traxit armatorum copiam ut nequirent sub numero comprehendi; qui, regionibus multis transcursis, circa pontem, sub quo Jordanis effluit, castra composuit. Quod audiens rex Hierusalem Baldewinus, Rogerum principem Antiochenum in suum subsidium evocavit; sed rex temerarius, antequam ejus auxilia convenissent, impetuose nimis et de sua virtute præsumptuose confidens, hostibus obviam cum paucis processit; nam

A.D. 1113. Dissension of the archbishops of Canterbury and York.

Affairs in Syria.

[1] *Londoniensi;*] sc. Roffensi.

[2] *Mamistre.*] Will. Tyre places the earthquake of Mamistra in the following year; p. 810.

[3] *Triphalege.*] Trialeth, near the Euphrates; Fulcher. Carnot. p. 424.

A.D. 1113. insidiis, quas ei paraverant, nescienter intrusus, ex hostium multitudine repente oppressus in fugam compellitur, necessitate compulsus, in loco certaminis relicto vexillo; Arnulfus quoque patriarcha et alii principes, qui cum illo erant, relictis castris ac rebus omnibus, turpiter aufugerunt; ceciderunt ibi ex nostris equites triginta et pedites mille quingenti. Turci vero scientes reliquas regni partes militia carere, missis de suis copiis, cœperunt in variis partibus universam terram perlustrare, cædes passim et incendia operari, effringere suburbana, captivare colonos, in villis et oppidis prædas secum et manubia contrahentes. Rex autem Baldewinus castellum quoddam, quod sui juris erat, fugiens ingressus, tamdiu in eo ab hostibus obsidione vallatus est, quousque eo pacto redderet illud eis, ut cum suis ad propria liber sineretur abire.

Quod rex Henricus fecit fidelitatem jurare filio suo.

A.D. 1114. Oath of fealty to the king's son. Anno Domini MCXIV. rex Anglorum Henricus fecit omnes suæ potestatis magnates fidelitatem jurare Willelmo filio suo, quem pepererat ei Matildis regina sua. Eodem anno, mense Decembris, cælum repente rubens apparuit ac si arderet; luna eclipsim passa est.

De consecratione Radulfi, Cantuariensis archiepiscopi.

A.D. 1115. Consecration of Ralph, archbishop of Canterbury. Anno Domini MCXV. consecratus est [1]Radulfus, Cantuariensis archiepiscopus, Cantuariæ, ab Anselmo[2] domini papæ legato, quinto kalendas Julii, et pallium ab eo suscepit; et eodem die idem archiepiscopus Theophilum Wigorniensem et Bernardum Menevensem antistites consecravit.

[1] *Radulfus.*] He held the see eight years and six months, dying on the 20th Oct. 1122.

[2] *Anselmo.*] He was archbishop Anselm's nephew, according to Eadmer; Hist. Nov. p. 112.

Deinde post dies paucos, cum Turstanus, Eboracensis electus, ab archiepiscopo Cantuariensi moneretur, ut more solito benedictionem ab eo susciperet, et sibi obedientiam faceret et ecclesiæ Cantuariensi, respondit, se benedictionem ab ipso suscepturum libenter, sed professionem, quam exigebat, se nullo modo facturum. Quod audiens rex Henricus, protestatus est manifeste, quod, nisi ecclesiæ Cantuariensi, juxta morem antecessorum suorum, faceret quod debebat, ipsum Eboracensi episcopatu cum benedictione funditus cariturum. Sicque ab archiepiscopo Cantuariensi interposita appellatione, ne ab alio quam a se consecrationem acciperet, ab invicem recesserunt. A.D. 1115.

De dedicatione ecclesiæ sancti Albani.

Anno[1] Domini MCXVI. rex Henricus ad natale Domini, die sanctorum Innocentium interfuit dedicationi ecclesiæ beati Albani prothomartyris, quam dedicavit Robertus, Lincolniensis antistes, ab abbate ejusdem loci Richardo viro venerabili requisitus. Interfuerunt autem huic dedicationi cum rege et regina ejus Matilde, Rothomagensis archiepiscopus Gaufridus, Londoniensis episcopus Richardus, Sarisberiensis Rogerus, Dunelmensis Ranulphus, cum comitibus Angliæ et Normanniæ multis, Richardo abbate ipsi regi et aliis omnibus necessaria largiter procurante; et rex Henricus dedit ecclesiæ præfatæ Bissopescote in dotem perpetuam, et [2]charta sua solemniter confirmavit. Eodem anno [3]surrexit discordia A.D. 1116. Dedication of S. Alban's abbey.

[1] *Anno Domini* MCXVI.] According to Matthew Paris, 'in contermino præteriti et subsequentis anni;' who also adds, that the office of the dedication was commenced by Geoffrey, archbishop of Rouen, who continued it until obliged to desist from fatigue.

[2] *Charta sua.*] Printed in Dugdale, ii. p. 228, § xv.

[3] *Surrexit discordia magna.*] Tyrrell has an account of this war from Suger, ii. p. 151.

A.D. 1116. magna inter reges Francorum et Anglorum hac de causa; Theobaldus comes Blesensis, nepos Henrici regis, contra regem Francorum arma promoverat; in cujus auxilium rex Henricus militiam suam misit, et regem Lodowicum non mediocriter afflixit. Turbatus ergo rex Francorum convocavit in suum auxilium comites Andegavensem et Flandrensem, qui pariter juraverunt se regi Henrico Normanniam ablaturos, et eam Willelmo filio ducis Roberti fratris Henrici regis daturos, cui justius competebat. Rex autem Anglorum, ut vir sapiens et providus, adscivit in suum præsidium comitem Britanniæ et Theobaldum prædictum, cum Anglis, Normannis, et Britannis, et adversariorum suorum præstolabatur adventum. Rex vero Francorum cum præfatis conjuratoribus et exercitu copioso Normanniam ingressus, cum in ea vix pernoctasset, regis Anglorum formidans adventum, imbellis ad propria remeavit. Eodem anno, pro necessitate regia, Anglia fuit variis exactionibus depressa.

De commotione elementorum.

A.D. 1117. Earthquakes in Lombardy. Anno Domini MCXVII. tonitrua, grandines, et terræ motus in Longobardia ecclesias, turres, arbores, ædificia, et homines contriverunt. Eodem anno venerabilis vir vitæ Ivo, Carnotensis antistes et in scripturis sacris ad plenum eruditus, diem clausit extremum.

Scisma orta est Romæ propter Gelasium antipapam.

A.D. 1118. Death of Matilda. Anno Domini MCXVIII., defuncto papa Paschali, [1]Gelasius antipapa anno uno successit. Obiit etiam eodem anno [2]Matildis regina Anglo-

[1] *Gelasius.*] He died on the 29th January 1119.

[2] *Matildis.*] She died on the 30th of April; see her character by Malmsbury, § 418.

rum, cujus corpus apud Westmonasterium quie- A.D. 1118.
tem sepulturæ accepit, et anima ejus se cælum possidere evidentibus signis et miraculis crebris ostendit. Hæc autem regina beatissima apud urbem Londoniarum domum ædificavit leprosorum, cum oratorio et ædificio competenti, quod usque hodie Hospitale Matildis nuncupatur.

De origine ordinis militiæ Templi.

Circa[1] dies istos viri quidam nobiles de equestri ordine, religiosi ac Deum timentes, in manus patriarchæ Hierosolymitani, Christi se servitio mancipantes, more canonicorum regularium, in castitate et obedientia propriæque voluntati renuntiantes, perpetuo vivere sunt professi; quorum primi fuerunt viri venerabiles, Hugo de Paganis et Godefridus de Sancto Audemaro. Qui cum certe non haberent domicilium, rex Baldewinus in palatio suo, quod secus templum Domini ad australem habebat plagam, eis habitaculum concessit; canonici vero templi Domini platæam, quam circa prædictum habebant palatium, ad officinas construendas concesserunt; patriarcha quoque et rex, cum suis proceribus et aliis ecclesiarum prælatis, de propriis dominicis suis pro victu et vestitu certa eis beneficia contulerunt. Prima eorum professio erat, ut, in remissionem peccatorum suorum, vias et itinera ad salutem peregrinorum contra latronum insidias pro viribus conservarent; tandem, post novem annos, in concilio Trecis celebrato instituta est eis regula, et habitus albus a papa Honorio assignatus, et decursis fere novem annis, qui prius novem fuerunt tantummodo, cœpit eorum numerus augeri, et possessiones in immensum. Post- Order of Knights Templars founded.

[1] *Circa dies istos.*] The account following is from William of Tyre, p. 819; compare with it Miræus, Ord. Equestr. lib. i. § iv. etc.

A.D. 1118. Order of Templars instituted.

modum vero, tempore Eugenii papæ, cruces de panno rubeo suis assuerunt mantellis, ut a cæteris possent hoc signo discerni; numerus autem eorum in brevi ita multiplicatus est, ut in conventu plusquam trecentos habeant equites, exceptis fratribus aliis, quorum fere numerus cernitur infinitus. Possessiones vero tam citra quam ultra mare adeo immensas habere dicuntur, ut jam non sit in orbe Christiano provincia, quæ eis bonorum suorum portionem non contulerit, et regiis hodie divitiis præstantiores existant. Qui, quoniam juxta templum Domini mansionem habent, fratres militiæ Templi dicuntur; et, cum diu in honesto starent proposito, nunc adeo [1]professionis suæ humilitate neglecta, domino patriarchæ, a quo ordinis institutionem et prima beneficia susceperant, se subtraxerunt, obedientiam et ecclesiis Dei decimas subtrahentes, facti sunt cunctis valde molesti. Eodem anno [2]obiit rex Hierusalem Baldewinus primus, vir magnificus, qui urbes Achon, Cæsaream, Beritum, Sidonem, Tripolim, Arluth, cum terris Arabum usque ad Mare Rubrum, suo imperio potenter adjecit. Successit ei [3]alius Baldewinus comes Edessanus, et coronatus est in regem mense Aprilis, secunda die mensis.

Quod, defuncto papa Gelasio, Calixtus successit.

A.D. 1119. Council of Rheims.

Anno Domini MCXIX., defuncto papa Gelasio, successit ei [4]Calixtus annis decem, mensibus to-

[1] *Professionis suæ humilitate neglecta.*] 'Yea the king and patriarch of Jerusalem dandled this infant order so long in their laps till it brake their knees, it grew so heavie at last; and these ungratefull Templars did pluck out the feathers of those wings which hatched and brooded them.' Holy Warre, p. 66. See Baron. ad an. 1127.

[2] *Obiit ... Baldewinus.*] He was buried in Golgotha on Palm Sunday; Will. Tyr. p. 816.

[3] *Alius Baldewinus.*] 'Baldwinus de Burgo, cognomento Aculeus;' Will. Tyr. p. 817.

[4] *Calixtus,*] the second; he oc-

tidem et diebus tredecim; fuerat autem episcopus Viennensis, Wido prius vocatus, et in papam consecratus vocatus est Calixtus. Hic [1]Remis concilium tenuit, ad quod rex Henricus quosdam Angliæ et Normanniæ episcopos destinavit. Turstanus quoque Eboracensis electus illuc veniendi a rege licentiam impetravit, interposita fide, quod benedictionem ab eo non reciperet; qui ad concilium veniens Romanos, sicut mos est, in suum favorem largitatis beneficio transtulit, et per eos, ut a papa consecraretur, impetravit; quod ut regi Anglorum innotuit, omnem ei locum suæ dominationis interdixit. In hoc concilio idem papa errorem magistri Gilberti [2]Poretæ, qui in capitulis quatuor errasse dicitur, condemnavit. Primo dixit, quod divina natura, quæ divinitas dicitur, Deus non sit, sed forma qua Deus est; sicut humanitas non est homo, sed forma qua est homo: Concilium; 'Credimus simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin divinitas sit Deus; sic vero, ubi dicitur Deum sapientia sapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, divinitate esse Deum, credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse; non nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse; non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse; non nisi ea unitate, quæ est ipse, esse unum; non nisi ea divinitate Deum, quæ in ipso est; id est, in se ipso sapientem, magnum, æternum, unum Deum.' Secundo dixit, quod non unus Deus, vel una substantia, aut unum

A.D. 1119. Council of Rheims.

cupied the papal chair only half the time here allotted him, having died in Dec. 1124.

[1] *Remis concilium.*] A council was held at Rheims in this year, but the errors of Gilbert were not censured until that held by Eugene III. in 1148, in the same place. Harduin. tom. vi. col. 2199.

[2] *Poretæ.*] 'Poræ;' C.

A.D. 1119. aliquid sit personæ, id est, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; ipsæ vero tres personæ tria sunt differentia et numero, ac si tres homines humanitatem unam numero habere invenirentur: Concilium; 'Cum de tribus personis loquimur, Patre, Filio, et Spiritu Sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur, et e converso; cum enim de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum et unam divinam substantiam esse tres personas profitemur.' Tertio dixit Gilbertus, quod proprietates personarum, relationes quædam æternæ sint, quæ non sunt quod ipsæ personæ, sed divisæ numero, et divisa substantia, et habeant tres unitates; et sic multa æterna sunt, quorum nullum sit Deus: Concilium; 'Credimus solum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum æternum esse; nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, vel unitates dicantur, adesse Deo, quæ sunt ab æterno, quæ non sint Deus.' Quarto dixit, quod divina natura non sit incarnata: Concilium; 'Credimus ipsam divinitatem sive substantiam divinam, sive naturam divinam dicas, incarnatam esse, sed in Filio.'

De prælio campestri inter reges Francorum et Anglorum.

Battle of Brenville. Eodem anno actum est [1]campestre prælium inter Lodowicum, regem Francorum, et Henricum, regem Anglorum, in hunc modum. Rex autem Francorum, duabus aciebus ordinatis, posuit in prima acie Willelmum, filium ducis Ro-

[1] *Campestre prælium.*] The account following of the battle of Brenville, near Noyons, is taken from Henry of Huntingdon, p. 380. Ordericus Vitalis asserts, that there were only three knights killed in the action.

berti fratris regis Henrici, ipse vero rex cum viribus maximis erat in sequenti agmine constitutus; rex vero Anglorum Henricus, tribus aciebus dispositis, in prima proceres Normanniæ collocavit, in secunda ipse rex cum propria residens familia, in tertia filios suos cum summis viribus pedites ordinavit. Concurrentibus igitur hinc inde catervis, prima Francorum acies proceres Normannorum penetrans, ab equis eos depellens, dispersit; deinde in aciem, cui rex Henricus præerat, erumpens, ipsam etiam potenter dissipavit, sed rex Anglorum, agminibus suis potenter resarcitis, [respiravit]; fit conflictus gravissimus, concurrentibus hinc inde regalibus turmis, hastæ confringuntur, mutuo gladiis res agitur. Willelmus Crispinus, consul Ebroicensis, quem, culpis suis exigentibus, paulo ante rex Henricus exulaverat, caput ejusdem regis gladio bis percussit; et licet lorica et galea essent impenetrabiles, ictuum tamen pondere lorica ipsa capiti regis inserta est, ita ut sanguis erumperet abundanter; rex vero læsum se sentiens ira incanduit vehementi, et percussorem suum ita percussit, quod equum et equitem uno ictu in terram prostravit, et mox ante pedes regios captus est et vinculis mancipatus. Tunc acies pedestris, in qua filii regis erant, quæ intacta adhuc fuerat, lanceis inclinatis, ex adverso prorupit in hostes, cum impetu adeo ponderoso, quod Galligenas acies omnes coegit in fugam; at illi subito liquefacti, terga ostendentes, regi Henrico victoriam concesserunt, qui potenter in campo perstitit donec optimates hostium, rege Francorum fugiente, capti sunt et regi victori præsentati. Comes vero Flandrensis lethaliter vulneratus ad sua est in lectica adductus. Rex vero Henricus

A.D. 1119. Battle of Brenville.

A.D. 1119. Rothomagum reversus, in signorum sonitu et cleri concentu receptus, devotissime Deum exercituum benedixit.

De morte Richardi abbatis sancti Albani.

Death of Richard, abbot of S. Alban's.

Eodem anno [1]Richardus de Albeneio, abbas ecclesiæ sancti Albani, diem clausit extremum; cui successit Gaufridus de Gorham, prior ejusdem ecclesiæ, abbas decimus sextus. Eodem anno [2]obiit Herebertus, Norwicensis antistes, et comes Flandrensis Baldewinus, per vulnus quod cepit [3]apud Aucum in Normannia, cui successit Carolus, Cnutonis filius regis Danorum. Eodem tempore papa Calixtus venit in Normanniam ad regem Henricum, et collocuti sunt apud Gisortium magnus rex et summus sacerdos.

Quod princeps Antiochenus interficitur.

Affairs in Palestine.

Per idem tempus [4]Rogerus, princeps Antiochenus, cum equitibus trecentis et peditibus tribus millibus, contra tres principes, Turcorum scilicet, Damascenorum et Arabum, qui secum trahebant armatorum sexaginta millia, prælium nimis inæquale committens interfectus est cum suis omnibus, ita quod nec unus evasit, qui casum fidelibus nuntiaret; indeque progredientes Turci oppida Cerepum et Sardonas potenter ceperunt. Hoc quoque factum cum fuisset a Baldewino Hierosolymarum rege compertum, hostibus obviam audacter processit, atque in

[1] *Richardus de Albeneio,*] called above Richard de Exaquio; he died the 16th May; Mat. Par. p. 56.

[2] *Obiit Herebertus.*] His successor, Everhard, was not consecrated until 1121; Annal. Norwic. Angl. Sacr. i. p. 397.

[3] *Apud Aucum;*] at the siege of Eu. The place and time of his death are not known with any certainty; see Malmsb. p. 630, *note* 4.

[4] *Rogerus, princeps Antiochenus.*] Compare Hist. Hierosol. inter Gesta Dei, p. 614, with Will. Tyr. p. 820.

loco, qui [1]mons Dani dicitur, contra multos cum paucis decertans ex hostibus quatuor millia peremit, et tres principes prædictos in fugam compellens oppida Cerepum et Sardonas in suis usibus revocavit, hostesque fugientes insecutus usque ad noctis initium prosternere non cessavit. A.D. 1119.

Quod multi de familia regis Henrici submersi sunt in mari.

Anno Domini MCXX. rex Henricus, omnibus in Gallia domitis et cunctis in Normannia pacificatis, cum gaudio ad Angliam transfretavit; sed filii ejus Willelmus et Richardus, et filia ejus ac neptis, Richardus quoque consul Cestrensis, dapiferi, camerarii, pincernæ regis, ac multi proceres cum eis, in mare [2]naufragium pertulerunt, qui omnes vel fere omnes sodomitana labe impliciti dicebantur; ita igitur miserabiliter cuncti perierunt, quod communi fidelium sepultura caruerunt, atque mors improvida immundos absorbuit, mari tranquillissimo existente. A.D. 1120. Death of Prince William.

Quod rex Henricus uxorem duxit.

Anno Domini MCXXI. rex Henricus duxit Adeliciam,[3] ducis Lovaniæ filiam, causa pulchritudinis et excellentis decoris; quæ a Radulfo, Cantuariensi archiepiscopo, regina consecrata in Pentecosten apud Londonias cum rege ad mensam resedit magnifice coronata. Inde autem cum rex ad Walliam tenderet cum exercitu copioso, [4]Wallenses ei suppliciter obviantes con- A.D. 1121. Marriage of the king.

[1] *Mons Dani;*] sc. mons David.

[2] *Naufragium pertulerunt.*] Compare Malmsbury, p. 653, *seq.* with Florence, who gives the names of several of those who perished.

[3] *Adeliciam.*] Adelais or Adeliza, daughter of Geoffrey duke of Louvain. Huntingdon has some verses in her praise; p. 381.

[4] *Wallenses ei suppliciter obviantes.*] Compare Malmsb. § 401.

A.D. 1121. cordati sunt cum ipso juxta suæ magnificentiam voluntatis. Eodem anno papa Calixtus Mauricium quendam, quem Henricus imperator antipapam constituerat, cepit, et eum monachum ordinavit.

De morte Radulfi, Cantuariensis archiepiscopi.

A.D. 1122. Death of Ralph, archbishop of Canterbury. Anno Domini MCXXII. Radulfus, Cantuariensis archiepiscopus, et Johannes, Bathoniensis antistes, humanæ naturæ debita persolverunt; et eodem tempore Balac Amiralius cepit Jocelinum, comitem Edessanum, et ejus consanguineum Galeranum.

Quod quidam regis cancellarius male mortuus est.

A.D. 1123. The king at Dunstable. Anno Domini MCXXIII. rex Anglorum Henricus ad natale Domini apud Dunestapliam, festo celebrato apud Berchamstede, inde perrexit. Erat autem ibi cum rege quidam cancellarius ejus, nomine [1]Ranulfus, per annos jam viginti gravi infirmitate decoctus, sed tamen ad omnia scelera promptus, qui, innocentes libenter opprimens, terras multorum diripiens occupabat; erat ei pro magno, quod, dum corpore languit, animo desæviret. Cum igitur regem duceret ad secum hospitandum, in ipso montis vertice, unde castellum regis prospiciebatur, elatus mente ex equo corruit, et [2]monachus quidam de sancto Albano, cujus possessiones male occupaverat, improvide equitavit super eum, ita quod miser ille post dies paucos vitam flagitiosam terminavit. Eodem anno [3]Robertus, Lincolniensis epi-

[1] *Ranulfus.*] Huntingdon, p. 382.

[2] *Monachus . . . . equitavit.*] 'Monachus super eum equitavit;' Huntingd.

[3] *Robertus.*] Robert Bloet; he was seized with a fit whilst riding with the king in Woodstock park, and died almost immediately, on the 10th Jan.; Sax. Chron.

scopus, obiit, et Alexander successit. Eodem anno rex Henricus dedit archiepiscopatum Cantuariensem [1]Willelmo de Corbolio, priori de [2]Chicche, et episcopatum Bathoniensem [3]Godefrido, reginæ capellano; quo etiam tempore Robertus de Medlent comes recessit a rege, et rex obsedit et cepit castellum ejus, quod Puntaudemer appellatur; et tempore eodem circa turrim Rothomagensem murum latum et altum cum propugnaculis construxit, et turrim castri Cadomensis firmavit; castra etiam de Archis, de Gisortio, de Falesia, de Argentomo, de Daufronte, de Oximo,[4] de Ambretas, de Waverii, de Vira, et turrem Vernonis inexpugnabiliter communivit. A.D. 1123.

Quod rex Jerusalem captus est a Balac principe Turcorum.

Eodem[5] anno rex Hierosolymarum Baldewinus cum exercitu in terram comitis[4] Edessani descendens, dum nocte quadam incautus et agmine incederet dissoluto, Balac princeps Turcorum in insidiis constitutus in eum subito irruit et ipsum cepit, et in castro, cui [6]Quartapi nomen erat, vinculis mancipavit; detinebantur etiam in eodem præsidio comes Jocelinus Edessæ civitatis et ejus consanguineus Galerannus, pro quorum liberatione ad partes illas rex descendit. Principes autem regni Hierosolymitani, audito casu miserabili capti regis, constituerunt regni procuratorem quendam Eustachium Grenet, virum providum et discretum, qui in regis absentia Affairs in Palestine.

[1] *Willelmo de Corbolio.*] He died in November 1136.

[2] *Chicche.*] An abbey of Austin canons in Essex.

[3] *Godefrido.*] He died the 16th August 1135.

[4] *Oximo . . . Vira.*] Hiesmes, Avranches, Vauville and Vire.

[5] *Eodem anno.*] The author of the Histor. Hierosol. apud Gest. Dei, p. 616, places these events in 1123: Will. of Tyre, in the previous year, p. 825.

[6] *Quartapi.*] 'Quartapiert,' Will. Tyr.; 'Cartapeta,' Hist. Hierosol. p. 618.

A.D. 1123. regni negotia ordinaret. Balac interea, princeps prædictus, cum sedecim armatorum millibus Joppen obsidione vallavit; quo audito, patriarcha Hierosolymitanus et regni procurator Eustachius cum aliis principibus, prævia Domini misericordia, cum septem millibus armatorum supervenientes, hostes omnes in fugam coegerunt et ex eis septem millia peremerunt, atque spolia impretiabilia ibidem obtinentes inter se æqualiter diviserunt. Eodem anno Willelmus, Cantuariensis electus, Romam profectus pallium suscepit, et reversus in Angliam consecratus apud Cantuariam a Willelmo, Wintoniensi episcopo, quia paulo ante obierat Richardus, Londoniensis antistes, ad quem illa consecratio de jure spectabat.

Quod quidam regis inimici capiuntur.

A.D. 1124. Affairs in Normandy. Anno Domini MCXXIV. [1]Robertus de Medlent comes, associatis sibi Hugone de Muntfort, sororio suo, et Hugone Gervasii filio, hostiliter Normanniam intravit; Willelmus vero de Tankarvilla, regis camerarius, aciebus dispositis contra illos decertans cepit eos, et regi Henrico, et rex carceri, præsentavit. Eodem anno defuncti sunt [2]Theophilus Wigorniensis et [3]Ernulfus Roffensis episcopi. [4]Eodem anno Tyrus, Syriæ metropolis, a Michaele duce Venetiæ obsidione vallata est per mare atque per terram a principibus regni Hierosolymarum quinto kalendas Martii, et tertio kalendas Julii capta est et Christianitati feliciter restituta. Eodem anno rex Jerusalem Baldewinus, datis obsidibus, a

[1] *Robertus de Medlent.*] Robert, earl of Meulant.

[2] *Theophilus;*] called in the Annals of Winchester, and by Eadmer, 'Theobaldus:' he died on the 20th of October 1123.

[3] *Ernulfus.*] His death is recorded in the Annal. Roff. in 1123.

[4] *Eodem anno.*] Will. Tyr. p. 828, *seqq.*

vinculis Turcorum liberatus est et incolumis ad propria remeavit. A.D. 1124.

De legato quodam in fornicatione deprehenso.

Anno Domini MCXXV. [1]Johannes Cremensis, apostolicæ sedis cardinalis, de licentia regis Anglorum veniens in Angliam, perendinavit per episcopatus et abbatias, et non sine magnis donariis, ad nativitatem beatæ Mariæ apud Londonias solemne concilium celebravit; ubi igitur cum de concubinis sacerdotum severissime tractasset, dicens summum esse scelus de latere surgere meretricis ad corpus Christi conficiendum, ipse, cum die illa corpus Christi consecrasset, post vesperam fuit in meretricio interceptus; res notissima negari non potuit, dum magnum decus in summum dedecus commutavit. Eodem anno rex Henricus dedit [2]Simoni, clerico reginæ, Wigornensem, [3]Johanni, archidiacono Cantuariensi, Roffensem, [4]Sifredo, abbati Glastoniensi, Cicestriæ præsulatum; quo utique anno disceptati sunt Willelmus Cantuariensis et Turstanus Eboracensis archipræsules, de primatu, quis eorum esse dignior videretur. [5]Obiit eodem anno rex Scotorum Alexander, et successit ei David frater ejus, vir magnæ sanctitatis et mirificæ largitatis. Illo præterea anno rex Henricus omnes Angliæ monetarios, eo quod monetam furtive corruperant, fecit turpiter ementulari et manus dextras præcidi. A.D. 1125. Cardinal John of Crema holds a council in London.

[1] *Johannes Cremensis.*] Compare Huntingdon, p. 382, with Ciacon. Vit. Pontif. i. col. 319.

[2] *Simoni.*] He died at the close of the year 1149; Angl. Sacr. i. p. 475.

[3] *Johanni.*] He died the 20th June 1137; Annal. Roff. p. 343.

[4] *Sifredo.*] He was deposed in 1145, and died in 1151; Chron. Petrob.

[5] *Obiit . . . . Alexander,*] according to Florence, on the 25th April 1123; or 1124, in the Sax. Chron. and Mailros.

Rex Jerusalem Baldewinus contra Turcos dimicans feliciter triumphavit.

A.D. 1125. Affairs in Syria.

Circa eosdem dies [1] Borsequinus, princeps quidam orientis potentissimus, adjuncto sibi Damascenorum rege Doldequino, transito Euphrate fluvio, partes depopulans Antiochenas, Caphardan castrum obsedit et cepit, indeque progressus Harsad oppidum obsidione vallavit; quo audito, rex Baldewinus, qui tam regni Hierosolymitani quam Antiochiæ principatus curam gerebat, cum copiis militaribus illuc cum festinatione descendit; repertisque in obsidione præfata hostibus memoratis, dispositis aciebus in ipsos irruit vehementer, et divina annuente clementia, omnibus in fugam compulsis, feliciter triumphavit; ceciderunt ibi ex hostibus ad duo millia virorum et sepulti sunt in inferno. Rex autem de pecunia illic viribus obtenta filiam suam quinquennem, quam pro sua liberatione prius obsidem posuerat, a Turcorum vinculis liberavit, et inde reversus circa Ascalonem prædas egit, ubi Turcos non paucos, quos obviam habuit, interfecit et victor ad propria remeavit.

Quod, mortuo imperatore, imperatrix reversa est ad patrem suum.

A.D. 1126. Death of the emperor Henry.

Anno Domini MCXXVI. Henricus, Romanorum imperator, diem clausit extremum; cui succedens Lotharius [2] annis duodecim imperavit. Tunc imperatrix Matildis ad patrem suum regem Henricum reversa habitavit in thalamo ejus cum regina; diligebat enim eam rex valde, quia unicam illam habebat hæredem; et circa festum

[1] *Borsequinus.*] Will. Tyr. p. 842.

[2] *Lotharius,*] the second; he began his reign in 1125, and died in December 1137.

sancti Michaelis rediens in Angliam duxit secum filiam suam, tanto viro, ut prædictum est, viduatam; et continuo, jussu regis, omnes Angliæ et Normanniæ ei optimates, tam regni Angliæ quam ducatus Normanniæ, juraverunt, et primus omnium comes Bononiæ Stephanus, ex Adala, sorore regis Henrici, et Blesensi comite generatus. A.D. 1126.

Quod contentio facta est inter archiepiscopos Cantuariensem et Eboracensem.

Anno Domini MCXXVII. rex Henricus ad Natale tenuit curiam suam apud Windleshoram; ubi cum Turstanus, Eboracensis archiepiscopus, in præjudicium Willelmi, Cantuariensis archiepiscopi, regem vellet coronare, judicio omnium repulsus est, et lator crucis ejus, quam in capellam regis ante se fecit deferri, extra capellam cum cruce ejectus est. Venerunt autem ibidem ad regem legati dicentes, [1] 'Carolus, comes Flandrensis, tibi dilectissimus, a proceribus suis proditione nefanda est occisus in templo apud Breges; et rex Francorum dedit comitatum Willelmo filio Roberti fratris tui, nepoti tuo et inimico, in quo jam valde roboratus diversis cruciatibus omnes proditores Caroli interfecit.' Super his itaque rex Henricus nimis anxius, eo quod esset juvenis ille strenuus satis et animosus, et comminaretur se regi Henrico tam Angliam quam Normanniam ablaturum, quæ sibi, ut dicebat, jure hæreditario debebantur. Eodem tempore, defuncto Richardo, Londoniensi episcopo, Gilebertus [2] Universalis successit et a Willelmo, A.D. 1127. Contention between the archbishops.

[1] *Carolus.*] Charles the Good, count of Flanders, was killed in the church of St. Donatian, at Bruges, the 2nd of March, by Burchard van Straten and other conspirators; Rec. des Hist. xiii. p. 352; xiv. 18.

[2] *Gilebertus.*] He died on his way to Rome, 10th Aug. 1134; Ann. Winton.

A.D. 1127. Cantuariensi archiepiscopo, munus consecrationis suscepit.

Quod Matildis imperatrix comiti Andegavensi Gaufrido nupsit.

Marriage of the empress Matilda with Geoffrey of Anjou.

Eodem anno Fulco, comes Andegavensis, Hierosolymam sine animo revertendi profecturus dedit comitatum suum Gaufrido filio suo, cognomento Plantagenest, adolescenti elegantissimo, et peregre profectus Hierosolymam cum prosperitate pervenit; de cujus adventu rex Hierusalem valde lætus dedit ei [1]filiam suam primogenitam, cum spe regni post mortem suam. Quod cum a rege Anglorum Henrico compertum fuisset, transfretavit in Normanniam et filiam suam imperatricem præfato Gaufrido, Andegavensium comiti, matrimonio copulavit. Tunc obiit[2] Richardus, Herefordensis antistes. Eodem tempore Boamundus, magni Boamundi filius, in Syriam transiens a rege Hierosolymarum Baldewino Antiochiam paternam hæreditatem suscepit, et rex dedit ei filiam suam secundam matrimonio copulatam; deinde idem Boamundus Caphardan castrum obsidens cepit, et Turcos omnes in illo inventos trucidavit.

A.D. 1128. Expedition into France.

Anno Domini MCXXVIII. rex Anglorum Henricus hostiliter perrexit in Franciam, eo quod rex Francorum Lodowicus tuebatur comitem Flandrensem, nepotem regis, hostem, perendinansque [3]apud Hespardum octo diebus tam secure, ac si in regno proprio fuisset, regem Francorum comiti Flandrensium auxilia negare coegit; ubi cum a quodam clerico de gente Fran-

[1] *Filiam.*] Milicent; Will. Tyr. p. 847.

[2] *Obiit Richardus*;] at Ledbury, the 15th Aug.; Flor.

[3] *Apud Hespardum.*] 'Apud Sparnum;' Huntingd. 383: probably Epernon; Fr. Transl.

corum perito originem et procursum regis Lodowici quæreret, respondit, 'Regum potentissime,' inquiens, 'sicut pleræque gentes Europæ, ita Franci, a Trojanis originem duxerunt;' et cum a gemino ovo omnem regum Franciæ genealogiam texendo replicasset, ad ultimum subjunxit, 'Philippus, rex Francorum, genuit Lodowicum qui regnat in præsenti, qui, si probitatis antecessorum suorum vestigia teneret, tam secure in regno ejus non quiesceres;' tunc rex subridens in Normanniam remeavit. Advenit autem eodem tempore a partibus Germaniæ dux quidam Theodoricus, rege Henrico procurante, hostiliter in Flandriam, quosdam proceres Flandrenses secum trahens; sed comes Willelmus obviam venit cum paucis agminibus ordinatis. Pugnatum est utrinque viriliter, sed consul Flandrensis numerum suorum, cum pauci essent, invincibili probitate supplebat; cruentus enim in armis ense fulmineo cuneos hostium findebat, nec potuerunt hostes perferre terribile pondus brachii juvenis, fugæ dediti et horribiliter dissipati. Victoriosus igitur comes Willelmus, dum castrum [1]Augi contra regem Henricum obsedisset et in crastino reddi debuisset, hostibus jam pæne subjugatis, parvo vulnere idem juvenis in manu telo percussus interiit, sed tamen mortuus famam promeruit æternam. Eodem anno [2]Ranulfus Dunelmensis et Willelmus Wintoniensis episcopi obierunt, et magister [3]Hugo de Sancto Victore chronica sua huc usque digessit. A.D. 1128.

[1] *Augi,*] or Eu. William died of a wound received in Alst or Alost, besieged by the duke of Louvain, the 12th July. Rec. des Hist. xiii. p. 390.

[2] *Ranulfus Dunelmensis.*] Upon his death the see remained vacant five years; Turgot.

[3] *Hugo de Sancto Victore.*] He died in 1140 or 1142, scarcely forty-four years of age; Pagi ad an. 1140, § ix.

Quod rex Henricus concilium tenuit de concubinis sacerdotum.

A.D. 1129. Council of London.

Anno Domini MCXXIX. [1]Honorius sedit in cathedra Romana annis quinque et mensibus duobus. Eodem anno rex Anglorum [2]Henricus tenuit concilium magnum apud Londonias, in kalendis Augusti, de sacerdotum focariis prohibendis. Adfuerunt concilio illi Willelmus Cantuariensis et Turstanus Eboracensis archiepiscopi cum suis suffraganeis, quos omnes simplicitate Cantuariensis archiepiscopi rex Henricus decepit; concesserunt namque regi justitiam de focariis sacerdotum, quæ res postea cum summo dedecore terminavit, accepit enim rex pecuniam infinitam de presbyteris pro suis focariis redimendis: tunc, sed tarde, pœnituit episcopos de concessa licentia, cum pateret in oculis omnium deceptio prælatorum et depressio subjectorum. Eodem anno [3]Henricus, abbas Glastoniensis, creatus est episcopus Wintoniensis, [4]Robertus Herefordensis, et [5]Robertus Lincolniensis. Eodem anno [6]Philippus, filius regis Francorum, qui nuper, patre defuncto, diademate fuerat insignitus, dum equum ludens agitaret, obvium habuit porcum, qui cum pedes equi currentis offenderet, cecidit rex novus in terram et fractis cervicibus exspiravit. Eodem anno venit in Normanniam

[1] *Honorius sedit,*] from the 21st Dec. 1124 to the 14th Feb. 1130.

[2] *Henricus tenuit concilium magnum.*] It lasted during five days, from Monday to Friday; Sax. Chron. ad an.

[3] *Henricus.*] Henry of Blois, the king's nephew, son of his sister Adela, by Stephen of Blois.

[4] *Robertus Herefordensis,*] prior of Lanthony; consecrated in 1131, and died in 1148.

[5] *Robertus Lincolniensis.*] An error. The see of Lincoln was at this time held by Alexander, who occupied it from 1123 to 1147.

[6] *Philippus.*] Philip was associated with his father in the kingdom on Easter-day, 14th April 1129, and was killed at Paris the 13th Oct. 1131. Compare Rec. des Hist. xiii. p. 329, with Malmsb. Hist. Nov. p. 698.

avium innumerabilis multitudo, quæ gregatim volantes et longissima aeris spatia occupantes horribiliter sese deplumantes pugnabant, portendentes fortasse schisma futurum inter duos paulo post apostolicos de papatu contendentes. A.D. 1129.

De schismate inter duos apostolicos.

Anno Domini MCXXX., defuncto papa Honorio, Romani in duo divisi duos elegerunt, quidam Innocentium, et alii Anacletum; sed [1] Anacletus, propter fratres suos, qui erant viri potentes et castri Crescentionis habebant principatum, in urbe remansit; Innocentius vero ad Cisalpinos transivit expulsus a Romanis, qui veniens in Galliam apud Carnotum a rege Anglorum Henrico honorifice receptus est, et post Pascha iterum recepit papam eundem apud Rothomagum, et auxilio[2] ejus per totam Galliam admissus est et papa ab omnibus acclamatus; et sic, rege Anglorum procurante, Lodowicum, fratrem Philippi Francorum regis defuncti, Remis coronavit in regem. Deinde, in nativitate beatæ Mariæ, reddidit rex filiam suam imperatricem viro suo comiti Andegavensi Gaufrido. A.D. 1130. Divisions at Rome.

De morte Boamundi, principis Antiocheni.

Eodem anno [3] Rodoam, Halapiæ princeps, fines Antiochenos hostiliter ingressus, Boamundum Antiochiæ principem sibi occurrentem, ut ipsum reprimeret, in Cilicia gladio confossum peremit. Rex Hierusalem ab Antiochenis vocatus, ut tantæ calamitati ferat auxilium, festi- Death of Bohemond.

[1] *Anacletus.*] Anacletus died on the 28th Jan. 1138, when Innocent held the see in undisputed possession until his death in 1143.

[2] *Auxilio ejus.*] It was chiefly owing to the influence of S. Bernard at the council of Etampes, that Innocent was recognised in France.

[3] *Rodoam, Halapiæ princeps.*] Will. Tyr. p. 849.

A.D. 1130. nato itinere illuc pervenit, et, Rodoam potenter fugato, dedit filiæ suæ pro dote Laodiceam et Gabulum civitates; filiæ vero Boamundi parvulæ post mortem suam fecit jurare Antiochiæ principatum, et sic Hierosolymam remeavit.

De morte Baldewini, regis Hierosolymarum.

A.D. 1131. Death of Baldwin II. Anno Domini MCXXXI. rex Hierusalem Baldewinus, miles egregius, in gravem ægritudinem prolapsus, cum sensisset sibi diem mortis imminere, vocatis ad se genero suo et filia, cum filio eorum jam bimulo, nomine Baldewino, regni curam et plenam eis tradidit potestatem; ipse vero, exsecutis omnibus quæ Christiani sunt, tradidit[1] spiritum, cum piis prædecessoribus suis præmia percepturus æterna; coronatus est autem in regem Fulco, gener ejus, miles magnificus, et in die exaltationis sanctæ Crucis regni diadema suscepit.

Quod rex Anglorum fecit novum episcopatum apud Karleolum.

A.D. 1132. Carlisle made an episcopal see. Anno Domini MCXXXII. rex Anglorum Henricus novum fecit episcopatum apud Carleolum in limbo Angliæ et Galwalliæ, et posuit ibi primum episcopum nomine [2]Athelulfum, sancti Oswaldi priorem, cui peccata erat solitus confiteri; hic autem creatus antistes in ecclesia sedis suæ canonicos posuit regulares et jam multis honoribus ampliavit. Eodem anno natus est Gaufrido, comiti Andegavensi, ex filia regis Henrici filius, et vocatus est Henricus; quod cum rex cognovisset, convocatis regni principi-

Birth of Henry of Anjou, afterwards Henry II.

[1] *Tradidit spiritum.*] He died the 21st of August, and was buried in Golgotha; Will. Tyr. p. 851.

[2] *Athelulfum,*] called also Adelwald or Aethelwald; the time of his death is not known.

bus, filiam suam et hæredes ex ea nascituros sibi constituit successores. Eodem anno defunctus est [1]Robertus, Cestrensis episcopus, cognomento Peccam, qui, rege Henrico concedente, sedem cathedralem transtulit ad Coventreiam et locum illum caput constituit Merciorum; successit ei Rogerus, archidiaconus Lincolniensis. Habet autem episcopatus ille usque hodie tres sedes, Cestrensem, Lichesfeldensem et Coventrensem. A.D. 1132.

Quod Fulco, rex Hierosolymarum, tria Turcorum millia interfecit.

Eodem anno infinita Turcorum copia, transito Euphrate fluvio, castra statuerunt in partibus Antiochenis; contra quos Fulco, rex Hierusalem, ab Antiochenis vocatus exercitum ducens, subito impetu in hostes facto, tria ex eis millia interfecit, et qui vivi evaserant in fugam sunt compulsi; nostri igitur victores ex hostium spoliis usque ad nauseam sunt onusti, Antiochiam remeantes; patriarcha vero Hierosolymitanus interea cum civibus suis juxta Nobe, quæ vulgari appellatione [2]' Betonoble' dicitur, castrum Bernardi construxit. Per idem tempus Reimundus, Pictavensium comes, Constantiam, Boamundi junioris filiam, ducens effectus est princeps Antiochenus; et eodem tempore reædificatur a rege Hierusalem, Fulcone, Bersabea urbs antiqua, quæ ab Ascalona duodecim milliaribus distare videtur. Victory of the king of Jerusalem.

[1] *Robertus . . . cognomento Peccam.*] He died, according to Florence, in 1127, and was succeeded by Roger de Clinton, in 1129, who died at Antioch in 1148.

[2] *Betonoble.*] ' Bettenuble ;' Will. Tyr. p. 856.

De quodam clerico per Dei genitricem curato.

A.D. 1133. Legend. Anno Domini MCXXXIII. scholaris quidam gravi ægritudine afflictus, diebus ac noctibus ut mulier parturiens flens et ejulans, beatam Dei genitricem anxius jugiter invocavit; qui, nocte dum quadam graviter angeretur, vidit sibi adsistere beatam virginem Dei matrem, quam quia invocaverat, adfuit ei albis induta vestimentis, et manum porrigens laboranti tetigit membra paventis et pristinæ eum restituit sanitati. Eodem anno, [1]defuncto Herveo, Eliensi episcopo, dedit rex episcopatum Nigello, et Dunelmensem [2]Gaufrido cancellario.

Quod Matildis imperatrix peperit filium, quem vocavit Gaufredum.

A.D. 1134. Affairs in Normandy. Anno Domini MCXXXIV. Matildis imperatrix peperit filium, quem vocavit [3]Gaufridum; unde rex Henricus primus in Normanniam transiens moratus est ibi præ gaudio nepotum suorum. Eodem tempore defuncti sunt in itinere Romano episcopus[4] Landavensis et Gilebertus, episcopus Londoniensis. [5]Obiit eodem anno Robertus Curtehose, frater regis Henrici, et apud Gloverniam sepulturam [6]accepit. Jacuit autem eo tempore imperatrix filia regis graviter infirmata propter difficultatem partus filii sui, quem nuper genue-

[1] *Defuncto Herveo.*] He died in 1131, when the see remained vacant two years. Nigel died in May 1169.

[2] *Gaufrido.*] He died in his castle at Durham, in May 1140.

[3] *Gaufridum.*] He died at Nantes, the 22nd July 1158.

[4] *Episcopus Landavensis.*] Urban bishop of Llandaff. Huntingdon places the death of these prelates in the preceding year, p. 385.

[5] *Obiit ... Robertus Curtehose.*] He died at Cardiff Castle, Glamorgan.

[6] *Accepit.*] Paris inserts here the cause of the duke's death; the absurd story, namely, of the scarlet cloak with the torn hood sent him by the king from Normandy.

rat; [1] sed matrona prudens, viduis, orphanis, ecclesiis ac monasteriis larga manu distribuens, periculum mortis evasit. A D. 1134.

De morte Henrici, regis Anglorum.

Anno Domini MCXXXV. [2] rex Henricus moratus in Normannia, cum die quodam a venatu rediisset, apud sanctum Dionysium in silva Leonum carnes comedit murænarum, quæ ei semper nocebant, et eas semper supra modum amabat; et, cum medici eas comedere prohiberent, non adquievit rex consilio salutari. Hæc igitur comestio, pessimi humoris illatrix et consimilium vehemens excitatrix, senile corpus lethaliter refrigidans subitam et summam perturbationem effecit; contra quam natura renitens febrem excitavit acutam, ad impetum materiei gravissimæ dissolvendum; cum autem resistere vi nulla potuisset, decessit rex magnus, cum regnasset triginta quinque annis ac tribus mensibus, prima die Decembris. [3] Illius autem obitum ventus vehemens præsignavit, qui [4] in vigilia apostolorum Simonis et Judæ turres et ædificia dejecit et arbores usquequaque subvertit; luna etiam eclipsim passa est eodem anno quarto kalendas Augusti. Cœnobia fecit rex, de Radingis, de Cirencestre, de Prato ante Rothomagum, et de Mortuo-mari; municipia vero, præter turres et castella, viginti quinque opere sumptuoso construxit. Corpus autem regis apud Rothomagum diu jacebat insepultum, ubi viscera ejus, A.D. 1135. Death of Henry I.

[1] *Sed matrona prudens.*] Compare Robert de Monte, Chron., Rec. des Hist. xiii. p. 286.

[2] *Rex Henricus.*] From Henry of Huntingdon, p. 385.

[3] *Illius autem obitum.*] Compare Malmsb. p. 700, who speaks of an earthquake on Friday 4th, and an eclipse of the sun on the 2nd of August. The eclipse of the moon fell upon the 22nd of December; Calvisius, i. 759.

[4] *In vigilia apostolorum Simonis et Judæ.*] The 27th October.

A.D. 1135. cerebrum et oculi sunt humata; reliquum vero corpus, cultellis incisum, et multo sale respersum causa fœtoris, qui magnus erat et circumstantes inficiebat, in coriis reconditum est taurinis; unde et medicus ille, qui magno pretio conductus caput ejus securi diffiderat, ut cerebrum extraheret nimio jam fœtore corruptum, quamvis lintheaminibus multis involutum esset caput ejus, causa tamen fœtoris extinctus est, pretio sibi pacto male gavisus; [1]hic autem ultimus fuit ex multis, quos rex Henricus occidit. Inde quoque corpus regium deportatum est apud Cadomum, ubi pater ejus requiescit; cum autem esset in ecclesia positum ante patris tumbam, cœpit continuo humor niger et horribilis coria tauri penetrare, qui in vasis sub feretro a ministris susceptus magnum intuentibus inculcavit horrorem. Tandem cadaver regis in Angliam allatum, in diebus Natalitiis apud Radingum, in ecclesia, quam ipse fundaverat, regaliter est sepultum, præsentibus archiepiscopis, episcopis et magnatibus regni.

Quod Stephanus, filius Theobaldi comitis Blesensis, coronatur rex.

Coronation of Stephen. Defuncto, ut dictum est, rege Henrico, antequam corpus ejus sepulturæ traderetur, Stephanus, nepos ejusdem regis ex sorore [2]Adala, uxore scilicet Theobaldi, comitis Bononiæ, et frater Theobaldi[3] junioris, comitis Blesensis, vir magnæ strenuitatis et audaciæ, quamvis sacramentum fidelitatis imperatrici de regno Angliæ jurasset,

[1] *Hic autem ultimus fuit.*] Huntingdon, p. 386.

[2] *Adala, uxore scilicet Theobaldi.*] Adela was the wife of Stephen, son of Theobald the third, of Blois. Stephen succeeded Eustace the third, of Boulogne, in 1125.

[3] *Theobaldi junioris.*] Theobald the fourth, surnamed 'Le Grand,' seventh count of Blois.

diadema tamen Deum tentans invasit. Con- A.D. 1135.
gregatis enim Londoniis regni magnatibus, meliorationem legum promisit juxta voluntatem et arbitrium singulorum; Willelmus quoque, Cantuariensis archiepiscopus, qui primus sacramentum ex omnibus imperatrici fecerat de regno Angliæ, Stephanum in regem consecravit. Quid ergo? Omnes, ut breviter dicatur, tam præsules quam comites et barones, qui filiæ regis et suis hæredibus juraverant fidelitatem, consensum Stephano præbuerunt, dicentes fore nimis turpe, si tot nobiles fœminæ subderentur. Hugo præterea Bigod, Henrici regis senescallus, præstito juramento, probavit coram archiepiscopo Cantuariensi, quod, dum rex ageret in extremis, imperatricem exhæredavit et Stephanum sibi constituit successorem. Igitur in die sancti Stephani prothomartyris, omnium favore, Stephanus sæpe dictus per ministerium Willelmi, Cantuariensis archiepiscopi, apud Westmonasterium diadema suscepit, et rex est ab omnibus acclamatus, et regale festum splendide celebravit. [1]Coronatione itaque magnifice completa, homagiis receptis, perrexit rex Stephanus ad Oxoniam, [et] ibi confirmavit pacta, quæ Deo et populo atque ecclesiæ sanctæ in die coronationis suæ concesserat, quæ hæc fuerunt; Primo, cum jura- His oaths.
mento vovit, quod, defunctis episcopis, non retineret ecclesias in manu sua, sed statim electioni canonicæ consentiens electos continuo investiret; Secundo vovit, quod nullius clerici vel laici silvas in manu sua retineret, sicut rex Henricus fecerat, qui singulis annis eos implacitaverat, si vel venationem cepissent in silvis propriis, vel si eas ad proprias necessitates distraherent vel minuerent; quod nefandi genus placiti adeo fue-

[1] *Coronatione.*] Huntingdon, p. 387.

A.D. 1135. rat execrabile, quod si visores alicujus silvam, quem esse pecuniosum sciebant, a longe conspicerent, statim vastum in ea perhiberent, sive esset sive non, ut eum sine merito redimere potuissent; Tertio vovit, quod Danegeld, id est de qualibet hida terræ duos solidos, quos antecessores ejus accipere consueverant, in æternum annis singulis condonaret. Hæc autem specialiter, et alia multa generaliter, se servaturum juravit; sed nihil horum, quæ Deo promiserat, observavit.

De concordia facta inter regem Stephanum et regem Scotorum.

Alliance with Scotland. Per[1] idem tempus David, rex Scotorum, qui imperatrici fidelitatem fecerat, in Angliam hostiliter veniens, Carleolum et Novum-castellum super Tynam cepit et suos imposuit. Promovit igitur rex Stephanus contra eum exercitum copiosum, et regi Scotorum apud Dunelmum occurrens [2]concordatus est cum eo, quia reddidit ei rex David Novum-castellum, et Carleolum retinuit regis Stephani voluntate. Rex tamen Scotorum homagium regi Stephano non fecit, quia fidelitatem fecerat filiæ regis Henrici et nepti suæ; filius autem regis David homo regis Stephani effectus est, et dedit ei rex jure perpetuo Huntendonam de se tenendam. Rediens vero rex ad propria tenuit curiam suam apud Londonias in solemnitate Paschali, qua nunquam in Anglia fuerat splendidior, tam in auro et

[1] *Per idem tempus.*] Wendover follows the Sax. Chron. and Huntingdon in placing these events in the first year of Stephen's reign, unless we believe that the scribe has accidentally omitted the year at the commencement of this chapter, with a notice of the funeral of Henry I. as given by Paris.

[2] *Concordatus est.*] On the 5th of February; Jo. Hagustal. ad an. 1136.

argento, quam in gemmis et vestibus pretiosis. A.D. 1135.
Deinde in festo Dominicæ ascensionis divulgatum fuit per Angliam, regem esse mortuum, unde maxima perturbatio surrexit in regno; nam Hugo Bigod castellum Norwici ingressus noluit reddere illud nisi regi, et hoc invitus. Cœpit ergo deinceps Normannorum proditio pullulare, sed rex eis viriliter resistens cepit primo castellum de Batintona cujusdam Roberti proditoris sui; indeque [1]Exoniam obsidens, quam tenebat [2]Baldewinus de Redvers contra eum, sed sero tamen et cum difficultate, redditum est ei castellum cum civitate. Rex autem, pravo usus consilio, non exercuit vindictam in proditores suos, unde postea restiterunt ei et plurima contra eum castra nequiter firmaverunt; perrexit autem inde ad Wectam insulam et abstulit eam Baldewino de Redvers prædicto, et ipsum ab Anglia exsulavit. Rex igitur, his prospere gestis, venit venatum apud Brantonam, non longe ab Huntendona, et ibi de forestis procerum suorum et venationibus placitavit, et votum, quod Deo et populo fecerat, violavit. Report of the king's death.

Quod Gaufridus, comes Andegavensis, municipia Normanniæ subjugavit.

Eodem tempore Gaufridus, comes Andegavensis, et uxor ejus Matildis sine difficultate aliqua castella Normanniæ obtinuerunt, cum firmitatibus cunctis [3]Willelmi Talevaz, quas rex habuerat in manu sua, exsulato Willelmo. Inde, mense Augusto, cum apud Rothomagum pervenissent, peperit Matildis ibi comiti Gaufrido State of affairs in Normandy.

[1] *Exoniam.*] So the Sax. Chron. and Huntingdon; Paris reads 'Oxford.'

[2] *Baldewinus de Redvers.*] Baldwin de Rivers, earl of Devonshire.

[3] *Willelmi Talevaz.*] 'Guliel-mus Talavacius, comes Pontivi;' Ord. Vit. p. 903.

A.D. 1135. filium suum tertium, quem vocavit Willelmum. Proceres[1] vero Normanniæ super hoc indignantes miserunt propter Theobaldum, comitem Blesensem, fratrem regis Stephani seniorem, ut veniret ad eos Normanniam recepturus; qui veniens Luxonias, in jejunio decimi mensis, audivit ibi Stephanum fratrem suum jam in regem Angliæ coronatum; unde comes Gloverniæ Robertus reddidit Theobaldo Falesiam, asportata prius pecunia non modica de thesauro regis Henrici. Eodem anno Willelmus, Cantuariensis archiepiscopus, Willelmus Exoniensis et Johannes Roffensis episcopi, obierunt.

Quod rex Francorum cepit homagium Eustachii, filii regis Stephani, de Normannia.

A.D. 1137. Affairs in Normandy. Anno Domini MCXXXVII. rex Anglorum Stephanus transfretavit in Normanniam, fugiente a facie ejus comite Andegavensi; ubi, martiis actibus indulgens, omnia quæ incepit feliciter consummavit, hostium cuneos depulit, [2]hostilia castella subruit, et egregie resplenduit inter summos; concordiam cum rege Francorum composuit, et filius ejus Eustachius homagium ei de Normannia fecit. Hoc videns consul Andegavensis Gaufridus, cujus uxori idem rex sacramentum fecerat, Angliam ab eo requirebat; sed tamen, cum vidisset se vires regias ad præsens non posse superare, cepit inducias, acceptis ab ipso rege pro bono pacis quinque millibus marcis singulis annis; Theobaldo etiam fratri suo, comiti Blesensi, conquerenti quod injuste Angliam invaserat, cum esset ætate minor, duo millia marcas pepigit annuatim, et sic fratres pacifi-

[1] *Proceres.*] Cf. Rob. de Monte, Rec. des Hist. xiii. p. 288.

[2] *Hostilia castella subruit.*] He took Lillebone and Granville; Rec. des Hist. xiii. p. 288.

cati ab invicem recesserunt: cunctis igitur ibi- A.D. 1137.
dem prospere gestis, ad Angliam transfretavit. Eodem anno obiit rex Francorum Lodowicus, et successit ei filius ejus [1]Lodowicus; hic duxit uxorem Alienor, filiam ducis Aquitanniæ, ex qua duas filias generavit, quas duo filii magni comitis Theobaldi Flandrensis, Henricus et Theobaldus, duxerunt uxores, primogenitus primogenitam et minor natu minorem.

Quod Scoti in regem Stephanum sæviebant.

Anno Domini MCXXXVIII. [2]Conradus Romanum A.D. 1138.
adeptus imperium annis quindecim imperavit. War with Scotland.
Eodem anno rex Anglorum Stephanus, in ipsis diebus Natalitiis, [3]Bedefordense castrum obsedit, dicens nulla hora pacem esse hostibus concedendam; sed, antequam ei castrum redderetur, rex Scotorum in Northanhumbriam exercitum ducens, tam ipse, quam sui, rem nimis execrabilem peregerunt. [4]In ultionem enim imperatricis, cui idem rex fidelitatem juraverat, mulieres gravidas findebant, et fœtus anticipatos ab uteris extrahebant, parvulos super lancearum acumina projiciebant, presbyteros super altaria trucidabant, crucifixorum capita præcidebant et super cæsorum corpora reponebant, capita occisorum mutuantes super crucifixos collocabant; quæcunque igitur Scoti contingebant, plena horroris et inhumanitatis erant, aderat clamor mulierum, ejulatus senum, desperatio vivorum. Rex igitur Stephanus exercitum grandem promovit in Scotiam; sed, antequam illuc perveniret, rex Sco-

[1] *Lodowicus.*] Louis VII. or 'Le Jeune;' he died in September 1180.

[2] *Conradus,*] the third; he died in February 1152.

[3] *Bedefordense castrum obsedit;*] held against him by Milo de Beauchamp.

[4] *In ultionem.*] Huntingdon, p. 388.

A.D. 1138. torum sese in sua recepit et inexpugnabilia loca petivit, et rex Anglorum australes Scotiæ partes igne cremavit et sic in Angliam remeavit. Exarserat namque tanta rabies procerum contra eum, ut fere ab omnibus quateretur; Willelmus enim Talebot Herefordense castrum tenuit contra regem; Robertus, consul Gloverniæ, Ledes et Bristollum, hic erat filius nothus regis Henrici; Willelmus[1] Luvell tenuit contra eum castrum de Cari; Paganellus, Ludechlauue; Willelmus de Moiun, castellum de Dunestor; Robertus de Lincolnia, castrum de Warham; Eustachius filius Johannis, castellum de Meltona; Willelmus filius Alani, Salopesberi, quod rex per vim cepit et captorum in eo nonnullos suspendit; quod audiens Walkelinus, qui castrum Dovorense tenebat, illud reginæ reddidit obsidenti.

Quod rex Scotorum Northanhumbriam hostiliter sit ingressus.

Battle of the Standard. Occupato itaque rege Stephano circa partes australes Angliæ, David rex Scotorum innumerabilem exercitum in Northanhumbriam promovit; contra quem proceres regni boreales, jussu et admonitione Turstani, Eboracensis archiepiscopi, fixo apud [2]Alvertonam standardo regio insigni, viriliter restiterunt. [3]Hujus autem pugnæ principes fuerunt consul Willelmus Albemarliæ, Willelmus de Notingeham, Walterus Espec et Gilebertus de Lasci. Archiepiscopus vero, cum ægritudinis causa huic pugnæ interesse non posset, misit loco suo [4]Radulfum,

[1] *Willelmus,*] 'al. Radulfus;' Huntingd. *in marg.*

[2] *Alvertonam.*] Northallerton.

[3] *Hujus autem pugnæ.*] For an account of the battle of the Standard see Joh. Hagustald. col. 262, and Ric. Hag. 321.

[4] *Radulfum,*] bishop of the Orkneys; Huntingd. Geoffrey Rufus was at this time bishop of Durham.

Dunelmensem episcopum, ad populum exhortandum, qui, stans in acie media in loco eminenti, usus est hujusmodi incentivo; [1]'Proceres Angliæ clarissimi, Normannigenæ, contra quos audax Francia contremiscit, ferox Anglia a vobis capta succumbit, dives Apulia vos sortita refloruit, Hierusalem famosa et insignis Antiochia utraque se vobis supposuit, nunc Scotia, vobis rite subjecta, repellere conatur, inermem præferens temeritatem, aptior rixæ quam pugnæ. Nullus igitur sit verendi locus, sed potius verecundiæ, quod illi, quos semper in patria sua petivimus et vicimus, nunc in patriam nostram, ritu transverso, dementes et ebrii convolarunt; quod tamen ego præsul vobis divina factum providentia denuntio, ut hi, qui in hac patria templa Dei violarunt, altaria polluerunt, presbyteros occiderunt, nec pueris nec prægnantibus pepercerunt, in eadem condignas sui facinoris luant pœnas. Attollite igitur animos, viri elegantes; hostes nequissimos patria virtute, immo Dei præscientia, confligite, qui se nesciunt in bello armari, nec casus belli dubios suspicetis. Tegitur vobis lorica pectus, galea caput, ocreis crura, et clypeo totum corpus; ubi feriat hostis non reperit, quem septum armis undique cernit. Quid igitur inermes dubitatis et inertes? Sed jam finem loquendi conferunt hostes inordinate proruentes, dispersi confluentes, quod animo meo satis placet. Si quis denique vestrum pro Deo pugnans et patria occubuerit, absolvimus eum ab omni pœna peccati in nomine Patris, cujus creaturas fœde et horribiliter peremerunt, et Filii, cujus altaria polluerunt, et Spiritus Sancti, cujus gratiam immania perpetrantes et enormia

A.D. 1138. Battle of the Standard.

[1] *Proceres.*] The speech of the bishop is here abridged from Huntingdon, p. 388.

A.D. 1138. contempserunt.' Ad hæc autem respondit omnis populus gentis Anglorum, et resonuerunt montes et colles, 'Amen, amen.'

De campestri prælio inter Scotos et Anglos.

Battle of the Standard. Hunc clamorem audientes Scoti vociferati sunt omnes in modum muliercularum insigne patrium 'Albani, Albani;' sed extinctus est clamor ictuum immanitate et horrore concurrentium acierum. [1]Turma Loenensium, qui gloriam primi ictus a rege vix impetraverant, augmentatis missilibus et lanceis longissimis, super aciem equitum Anglorum loricatorum potenter irruunt, ad quos quasi muro ferreo offendentes impenetrabiles invenerunt. Viri autem sagittarii gentis Anglorum, equitibus permixti, imbre sagittarum Scotos obnubilantes, penetrabant eos, quos repererunt inermes; tota namque gens Anglorum et decus Normannorum, circum standardum conglobata, manebat immobilis quasi in acie una; percussoque casu sagitta summo Loenensium duce, corruit ipse et gens ejus tota est in fugam conversa. Offensus namque Deus excelsus erat in eis, unde omnis virtus eorum, tanquam aranearum tela, confracta periit et defecit; quod videns acies Scotorum major, quæ ex parte altera acerrime confligebat, animo defecit et fugæ incunctanter indulsit. Regalis autem acies, quam ex diversis gentibus constituerat, simul ut hæc vidit, cœperunt primo sigillatim, deinde vero catervatim fugere, rege solo adhuc persistente; quod amici regis intuentes coegerunt eum equo ascenso fugere, cujus filius in armis strenuus, aliorum fugam non attendens, sed soli gloriæ virtuti inhians, acies hostium impetu ardenti percussit; licet illius agmina con-

[1] *Turma Loenensium.*] The men of Lothian.

tra equites loricatos resistere non valerent, sed tandem armatorum violentia potenter in fugam nimis damnosam sunt compulsi et turpiter in diversa dispersi. Undecim Scotorum millia fama refert occisa, exceptis illis, qui in segetibus et silvis inventi sunt lethaliter vulnerati; nostri vero, sanguine vix fuso, feliciter triumpharunt, licet ex omnibus equitibus frater Gileberti de Lasci solus inveniebatur occisus. Actum est autem bellum hoc mense [1]Augusto ex comprovincialibus Transhumbranæ gentis. Eodem anno, mense Octobris, Gaufridus, comes Andegavensis, Oximenses subjugavit et Baiocenses et Falesiam obsidione vallavit. A.D. 1138.

De electione Theobaldi, Cantuariensis archiepiscopi.

Eodem anno Albericus, Hostiensis episcopus et ecclesiæ Romanæ legatus, in Angliam veniens, in adventu Domini Londoniis concilium celebravit in ecclesia sancti Pauli, ubi, ipso jubente legato, Henricus, Wintoniensis episcopus, Richardum de Beaumeis diaconum ordinavit; et ipsa die, dum ordines celebrarentur, [2]Theodbaldus, abbas Beccensis, in archiepiscopum Cantuariensem ab episcopis electus est, priore ecclesiæ Cantuariensis Hieremia præsente, qui ab ipso consecratus legato Romam profectus est, ubi a papa Innocentio pallium suscepit. Council of London.

Quod rex Stephanus Scotiam hostiliter ingressus cum filio regis obside recessit.

Anno Domini MCXXXIX. rex Anglorum Stephanus, post natale Domini, castello de Ledes capto, [3]perrexit in Scotiam, et cum rem ibi ageret, A.D. 1139. Stephen enters Scotland.

[1] *Augusto.*] On the 22nd of the month; Ric. Hagust. col. 322.

[2] *Theodbaldus.*] He died the 18th April 1161; Gervas. Dorob.

[3] *Perrexit in Scotiam.*] Huntingdon, p. 389.

A.D. 1139. ducibus Marte et Vulcano, rex Scotorum coactus est concordari cum ipso. Henricum igitur filium regis obsidem secum ducens in Angliam Ludehlawe castellum obsedit; ubi idem Henricus, ab inclusis unco ferreo equo abstractus, pæne intra muros projectus est, sed rex ipse ab hostibus eum, ut miles egregius, laudabiliter retraxit. Inde ad Oxoniam, subjugato castello, profectus cepit ibi in curia sua nimis perniciose Rogerum,[1] Sarisberiensem episcopum, et Alexandrum Lincolniensem, ipsius nepotem, violenter, nihil rectitudinis recusantes. Ponens igitur ibi in carcerem antistitem Alexandrum Sarisberiensem secum duxit ad castellum ejus, quod [2]Divise vocatur, quo non erat splendidius intra fines Europæ. Afflictus igitur fame, et collo filii ejus, qui cancellarius fuerat, laqueum annectens ut suspenderetur, hac arte castellum obtinuit, atque arte eadem Sireburnense oppidum in sua potestate recepit; [3]accipiensque thesauros pontificis comparavit inde Eustachio filio suo Constantiam, sororem Lodowici regis Francorum, matrimonio copulandam. Inde quoque recedens rex similiter egit de Alexandro, Lincolniensi episcopo, donec reddidit ei castella de [4]Neowere et Latforda.

Returns by Ludlow and Oxford.

Quod Matildis quondam imperatrix venit in Angliam.

Eodem[5] vero tempore Matildis, filia regis Henrici, quæ fuit imperatrix, cui Anglia jurata erat, cum comite Roberto fratre suo in Angliam

The empress Matilda arrives at Arundel castle.

[1] *Rogerum.*] Malmsbury has given an account of the occasion of this quarrel of Stephen with the bishops; Hist. Novel. p. 716.

[2] *Divise.*] Devizes; Camd. i. 198.

[3] *Accipiensque thesauros pontificis.*] Huntingdon, p. 389. Compare Ordericus Vitalis, p. 919.

[4] *Neowere et Latforda.*] Newark and Sleaford.

[5] *Eodem . . . tempore.*] Compare Gesta Stephani, pp. 946, *seqq.* with Malmsbury, p. 726.

venit, et ad portum Arundel applicans a Willelmo de Albenio, qui reginam duxerat Adelizam, quæ castellum de Arundel et comitatum a rege Henrico pro dote habebat, recepta est cum lætitia et exultatione. Comes autem Gloverniæ Robertus, cum decem militibus et totidem sagittariis equestribus per mediam terram regis Stephani transiens, Wallingefordiam pervenit et inde Gloverniam annuntians adventum imperatricis Brieno filio comitis et Miloni de Glovernia, et quod eam apud Arundel reliquerat cum uxore sua et aliis impedimentis; qui lætati sunt valde de adventu illius, et sese solerter præparaverunt ad pugnam. Eodem anno obiit Rogerus, Sarisberiensis antistes, tam senio quam mœrore confectus; post mortem cujus rex Stephanus exsulavit Nigellum, Eliensem episcopum, quia nepos erat Rogeri, Sarisberiensis episcopi, [1]a quo in ejus perniciem traxerat incentivum. Cessaverunt autem ab hoc tempore in Anglia curiæ regis et festivitates solemnes, pax nulla erat, cædibus et incendiis omnia exterminabantur, clamor, luctus et horror undique resonabant. Tunc defuncto [2] Turstano, Eboracensi archiepiscopo, Willelmus,[3] ejusdem ecclesiæ thesaurarius, successit. A.D. 1139.

Quod rex Stephanus castellum Lincolniæ obsedit.

Anno Domini MCXL. rex Anglorum Stephanus infra dies Natalitios urbem Lincolniæ obsedit, A.D. 1140.

[1] *A quo . . . incentivum.*] 'A quo die incentivum in progeniem ejus traxerat.' Huntingd. p. 390.

[2] *Turstano.*] He had retired to the abbey of Pomfret eleven days only previous to his death.

[3] *Willelmus.*] After much division in the chapter he was elected to the see in 1142; his election declared void by pope Eugenius III. in 1145, and Henry Murdah chosen in his stead; upon whose death he was restored by Anastasius IV. in 1154, in which year after a few days' illness he died. See Joh. Hagust. coll. 260, 272.

A.D. 1140. Siege of Lincoln.

cujus firmitates [1]Ranulphus, Cestrensis comes, receperat paulo ante, qui regem Stephanum arcuit a civitatis ingressu usque ad purificationem sanctæ Mariæ. Tunc comes præfatus cum Roberto, filio regis Henrici et comite Glovernensi, socero suo, et militia magna nimis Lincolniam venit, ut obsidione solveret, atque paludem fere intransmeabilem audacter transivit, et ipsa die, aciebus dispositis, regi bellum indixit. Ipse autem cum suis, ut vir admirandæ probitatis, aciem primam conduxit; secundam illi, quos rex Stephanus exsulaverat; tertiam comes Glovernensis Robertus cum suis regebat. Rex interea Stephanus missam in tanta solemnitate devotus audivit, ubi cum de more [2]cereum, regio honore dignum, Deo offerens manibus Alexandri episcopi imponeret, subito confractus est et extinctus, quod regi contritionis signum fuit; cecidit etiam super altare eucharistia cum corpore Christi, rupto filo, præsente episcopo, quod regiæ ruinæ pronosticum erat. Porro rex magnificus cum summa sollicitudine acies disposuit, ipse pedes omnem loricatorum multitudinem circa se, abductis equis, instructissime collocavit, consules omnes cum suis in duabus aciebus equis instituit pugnaturos, [3]sed acies eorum admodum parvæ existentes paucos secum ficti et factiosi comites habuerunt; acies tamen regalis maxima erat, unico vexillo solummodo insignita. In principio autem pugnæ, acies exhæredatorum, quæ præibat, aciem percussit regalem, in qua erant comes Alanus, comes Robertus de Meslent, Hugo

[1] *Ranulphus.*] Orderic. Vital. p. 921; Huntingd. p. 390.

[2] *Cereum.*] 'Cereo' in MS.

[3] *Sed acies.*] 'Sed admodum parvæ illæ equestres acies comparuerunt; paucos enim secum ficti et factiosi consules adduxerunt; acies autem regalis maxima erat uno tantum, scilicet ipsius regis, insignita vexillo.' Huntingd. p. 391.

Bigod, comes Estanglorum, comes Symon cum illo de Warenna, tanto impetu, quod alii eorum occisi, alii capti, alii sunt per fugam elapsi; acies quoque, cui præerat comes Albemarlensis et Willelmus Yprensis, percussit Wallenses, qui a latere procedebant, et eos adegit in fugam; sed et acies comitis Cestrensis irruit in cohortem prædictam, et sicut acies prior dissipata est in momento. Fugerunt igitur omnes equites regis; et Willelmus Yprensis, vir consularis, atque alii, qui fugere non potuerunt, omnes capti sunt et vinculis mancipati. Accidit autem res mira et præ omnibus admiranda, dum rex Stephanus, ut leo rugiens, solus in campo persisteret et nullus ad eum accedere auderet, stridens dentibus et apri silvestris more spumans, turmas in se irruentes cum bipenni, quam tenebat, repellens, ac hostium præcipuos potenter consternens, laudem sibi perpetuam comparavit. O, si centum ei similes adessent, non captionis jacturam rex incurrisset, cum ipse solus vix potuit a tot hostibus superari! Capitur autem rex Anglorum Stephanus in die purificationis beatæ Mariæ et ad imperatricem ducitur, atque in turri de Bristollo custodiæ mancipatur.

A.D. 1140. Battle of Lincoln.

Capture of Stephen.

Quod Matildis imperatrix in Dominam recipitur a multis.

His itaque gestis, imperatrix pæne ab omni Anglorum gente [1] suscipitur in Dominam, exceptis Kentensibus, ubi regina regis Stephani et Willelmus Yprensis contra eam pro viribus decertabant. Suscepta est prius ab Alberico, legato

Matilda acknowledged as 'Domina.'

[1] *Suscipitur in Dominam.*] Malmsbury and the continuator of Florence agree that Matilda was not recognised as queen, but only as lady or mistress, by the archbishop of Canterbury and others.

A.D. 1140. Romano, et post a [1]Willelmo, Wintoniensi episcopo, et Londoniensium civitate; sed mox, sive subdolorum instinctu, sive Dei nutu, [2]a Londoniensibus expulsa regem Stephanum in compedibus poni præcepit, et sic post dies paucos, cum avunculo suo rege Scotorum, et fratre suo comite Roberto, et aliis armatorum copiis, turrem Wintoniensis episcopi obsedit; sed episcopus mittens pro regina et Willelmo Yprensi, ac cæteris Angliæ, qui Stephano regi favebant, proceribus, eos in suum auxilium evocavit, et, facto gravi impetu in exercitum imperatricis, compulerunt omnes, qui in obsidione erant, in fugam, et fugientes viriliter insecuti ceperunt inter cæteros Robertum comitem et fratrem imperatricis, in cujus custodia rex Stephanus tenebatur, cujus sola captione rex poterat a carcere liberari.

Stephen released. Captus[3] est autem in die exaltationis sanctæ Crucis, sed incontinenti datus est rex pro eo, et sic ambo sunt a vinculis absoluti. Per idem tempus Walerannus,[4] comes de Meslent, qui omnibus Normanniæ præerat proceribus, concordiam fecit cum comite Andegavensi Gaufrido, et dedit ei castellum Montis-fortis et castellum Falesiæ, et sic subdiderunt se ei omnes viri potentes citra flumen Sequanæ usque ad ripam Risle, et fidelitatem ei fecerunt. Eodem anno Gileberto, Londoniensi episcopo, qui Universalis dicebatur, Robertus[5] de Sigillo successit.

---

[1] *Willelmo,*] sc. Henrico; Henry of Blois, brother of Stephen. The terms were agreed upon by the legate, bishop and the empress, in a plain near Winchester, on the 2nd March. Malmsb. p. 743.

[2] *A Londoniensibus expulsa.*] Upon the conduct of the Londoners compare Malmsbury, p. 749.

[3] *Captus est.*] Malmsb. p. 753.

[4] *Walerannus.*] Brother of Robert de Meulant spoken of above.

[5] *Robertus de Sigillo.*] S. Bernard speaks of him as 'antiquus amicus, fidelis servus, devotus filius;' Opp. Paris. 1690; tom. i. p. 197.

Quod comes Robertus obsides quosdam duxit in Normanniam.

Anno Domini MCXLI. Robertus, comes Glo- A.D. 1041. Affairs in Normandy.
vernensis, transfretavit in Normanniam, ducens secum quosdam obsides magnatum Angliæ, qui imperatrici favebant, ut comes Andegavensis eos custodiret, et insuper ad subjugandum regnum Angliæ transfretaret; [1]quod comes ad tempus facere renuit, propter rebellionem Andegavensium et aliorum hominum suorum, qui illum infestabant, sed tamen tradidit ei Henricum, primogenitum filium suum, ut cum ipso ad Angliam transfretaret. Ipse vero, præsente adhuc Roberto comite, cepit [2]Alnei et Moritonium, Tenerchebrai et Cerenches, castella comitis Moretonii, et Abrincacenses et Constantinienses sese subdiderunt ei. Eodem anno, cum rex Anglorum Stephanus[3] apud Wintoniam castellum quoddam firmaret, supervenit hostium suorum innumerabilis multitudo, et impetum facientes in eum coegerunt illum in fugam; in hac autem pugna captus est Willelmus Martel, dapifer regis Stephani, et apud Wallingeford adductus sub custodia Brieni filii comitis fuit deputatus, qui, antequam exiret de carcere, reddidit imperatrici Sireburnense castellum pro liberatione sua.

Quod Matildis imperatrix obsessa regem Stephanum delusit.

Audiente autem eodem tempore rege Stephano

[1] *Quod comes . . . renuit.*] Compare Orderic. Vital. 923.

[2] *Alnei . . . Cerenches.*] Aunay, Mortain, Tinchebray, and Cérences.

[3] *Stephanus.*] Wendover appears to have confounded here the return of the king to Winchester after his release, and his fortification of the nunnery at Wilton, where he was attacked by the earl of Gloucester and defeated, and where William Martel was taken, in 1143. Gervas. Chron. col. 1358.

A.D. 1141. Matilda escapes from Oxford castle.

imperatricem esse apud Oxoniam in castello cum parvo comitatu, collegit exercitum copiosum, et post festum sancti Michaelis illuc profectus dictam imperatricem usque ad adventum Domini continua obsidione vallavit. [1] In tanto autem termino cum vidisset imperatrix ab amicis se fuisse neglectam et omni succursu alienam, exploratores regis castrum obsidentes arte feminea deludens, nocte per Thamensem fluvium, glacie constrictum ac nive dealbatum, albis circumamicta vestibus cum quibusdam sodalibus de castello exivit, atque reverberatione nivium et similitudine vestium oculos se intuentium fefellit; abiit ergo nocte illa ad castellum de Wallingeford ad Brienum filium comitis, ut se salvaret ab hostibus, et sic castellum Oxoniense regi redditum est.

De concilio necessario Londoniis celebrato.

A.D. 1142. Council of London.

Anno Domini MCXLII. [2] Willelmus, Wintoniensis episcopus et sedis apostolicæ legatus, in media Quadragesima apud Londonias concilium, rege præsente et episcopis, celebravit; nullus enim honor vel reverentia ferebatur Dei ecclesiæ vel ejus ordinatis a prædonibus sceleratis, sed æque clerici et laici capiebantur, redimebantur, et in vinculis tenebantur. Sancitum est ergo ibi et generaliter constitutum, ne aliquis, qui ecclesiam cœmeteriumque violaverit, vel in clericum aut virum religiosum manus injecerit violentas, ab alio quam ipso papa possit absolvi; statutum est etiam, ut aratra in campis, cum ipsis agricolis, talem pacem habeant in agris, qualem haberent si in cœmeterio exstitissent; excommu-

---

[1] *In tanto.*] Compare Huntingd. p. 393, with Gesta Stephani, p. 959. The Saxon Chronicle states that she was let down from a tower by ropes, and so escaped.

[2] *Willelmus,*] sc. Henricus; see above, p. 230, *note* [1].

nicaverunt autem omnes, qui contra hoc decre- A.D. 1142.
tum venirent, candelis accensis, et sic milvorum rapacitas aliquantulum conquievit. Eodem tempore rex Stephanus cepit [1] Willelmum de Mandevilla apud sanctum Albanum, unde reddidit regi turrem Londoniarum cum castellis de Waledene et de Plessiz antequam a vinculis solveretur, qui carens possessionibus paternis invasit abbatiam Ramesiensem, atque, monachis expulsis, raptores immisit; erat autem vir magnæ strenuitatis, sed maximæ in Deum obstinationis.

De morte Fulconis, regis Hierosolymitani.

Eodem tempore Fulco, rex Hierosolymitanus, Death of Fulk, king of Jerusalem.
campos [2] pertransiens Acconenses, contigit ut leporem excitaret sedentem; quem cum clamor omnium insequeretur fugientem, rex, arrepta lancea, ut leporem insectaret, equum calcaribus inconsulte urgebat, qui præceps corruens in terram regem casu ita contrivit, ut cerebrum ejus tam per aures quam per nares terribiliter emanaret; universi autem qui aderant opem ferre volentes accedunt, sed regem exanimem invenerunt. Obiit quoque idibus Novembris, corpusque ejus Hierosolymas delatum sepultum est in ecclesia Dominici sepulchri, cum lachrymis adstantium populorum, per ministerium patriarchæ Willelmi. Cum autem regis obitus in finibus infidelium disseminatus fuisset, [3] Sanguineus, Turcorum vir potentissimus, cum innumera armatorum copia Edessam obsidens civitatem, diuturno eam labore subegit, atque Christianos omnes in ea

[1] *Willelmum de Mandevilla,*] sc. Galfridum; Malmsb. p. 752, and below.

[2] *Campos pertransiens Acconenses.*] He was riding out with his queen, at her request, 'subleyandi gratia fastidii;' Will. Tyr. p. 887, *seq.* He was succeeded by Baldwin III.

[3] *Sanguineus.*] 'Sanguinus;' Will. Tyr. p. 891.

A.D. 1142. inventos sine misericordia trucidavit, non parcens sexui vel ætati; sic itaque urbs antiquissima et Christiano nomine insignita, ac Thadæi apostoli prædicatione conversa, nunc, proh dolor! sub infidelium est potestate redacta. In hac enim dicitur corpus beati Thomæ apostoli una cum corporibus sancti Thadæi supradicti et beati regis Abgari sepultum; hic autem est Abgarus ille, toparcha illustris, cujus epistolam ad Dominum missam [1]Eusebius Cæsariensis commemorat in Historia Ecclesiastica, quem et Domini dignum rescripto docet, utriusque ponens epistolam et in fine ita subjungens; 'Hæc in archivis publicis Edessæ urbis, in qua tunc prædictus Abgarus regnavit, ita descripta reperimus, in his chartis, quæ gesta regis Abgari servata antiquitus continebant.' Hæc præterea civitas sæpe legitur postmodum a Christianis subacta, et iterum a Saracenis possessa.

De morte duorum pontificum Romanorum.

Succession of popes. Eodem anno, defuncto papa Innocentio, [2]Cælestinus successit, qui, cum sedisset in cathedra Romana mensibus quinque, diem clausit extremum; cui succedens [3]Lucius Romanam rexit ecclesiam mensibus undecim et diebus tredecim. Eodem anno obiit [4]Willelmus, Wintoniensis præsul, et Henricus successit; huic vero Henrico Lucius papa pallium misit, volens apud Wintoniam novum archiepiscopum constituere et septem ei episcopos assignare. Hoc quoque anno

[1] *Eusebius.*] Edit. Cantabrig. 1720, pp. 37, 38. The letters are also printed by Fabricius in his Codex Apocryphus Novi Testamenti.

[2] *Cælestinus.*] Celestine the second, chosen pope 6th September 1143, died in March 1144.

[3] *Lucius,*] the second; he died in February 1145.

[4] *Willelmus.*] William Giffard died in 1128, and was succeeded by Henry of Blois in the following year.

magister [1] Willelmus, Malmesberiensis monachus, A.D. 1142. Anglorum historiam terminavit.

Quod rex Stephanus frustra Lincolniam obsedit.

Anno Domini MCXLIII., defuncto papa Lucio, A.D. 1143. Eugenius[2] sedit in cathedra Romana annis octo, mensibus quatuor et diebus viginti uno. Eodem anno rex Anglorum [3] Stephanus Lincolniam obsedit, et cum construeret municipium contra castellum, quod tenebat comes Cestrensis Ranulphus, operarii ejus fere octoginta a comite præfato interfecti sunt, et sic re imperfecta recessit. Eodem anno Robertus Marmiun, vir bellicosus, qui monachos Coventrenses a suo monasterio expulerat et de ecclesia illa castellum fecerat, dum contra hostes decertaret, inter prædones suos ante ipsum monasterium solus peremptus est, et excommunicatus morte depascitur sempiterna. Eodem vero tempore Gaufridus, consul de Mandevilla, qui idem scelus patraverat in monasterio Ramesiensi, ante ipsam ecclesiam inter consertas suorum acies a pedite quodam vilissimo solus sagitta percussus occubuit interfectus; ecclesia autem illa, dum pro castello teneretur, a suis parietibus sanguinem ubertim emisit, indignationem divinam manifeste declarans. Arnulfus etiam, ejusdem comitis filius, qui post mortem patris ecclesiam illam pro castello tenebat, a rege captus est et exsulatus; princeps quoque militiæ ejus ab equo corruens fuso cerebro exspiravit. Magister peditum [4] Reinerius, qui

Siege of Lincoln.

[1] *Willelmus.*] He is generally supposed to have died in this or the following year. See Mr. Hardy's preface, p. viii.

[2] *Eugenius,*] the third; he died in July 1153. As to the time of occupation of the papal chair by these three popes, the text is correct; the error is in the year in which they are entered.

[3] *Stephanus Lincolniam obsedit.*] Henry of Huntingdon, p. 393.

[4] *Reinerius.*] 'Reimerus;' Huntingd.

A.D. 1143. monasteria incendere solebat et frangere, cum proscriptus mare transiret, navis inter undas immobilis permanebat, qui, tertio sorte data et sibi sortita, missus est in scapham cum uxore et liberis et pecunia sua tota, sed navicula statim fluctibus submersa est et miseri perierunt ; magna vero navis, mari pacato, æquora sine impedimento sulcavit. Eodem anno Gaufridus, comes Andegavensis, a civibus Rothomagensibus solemniter susceptus est et exinde dux Normanniæ appellatus est.

Quod rex Stephanus Farendune castellum cepit.

A.D. 1144. Faringdon taken. Anno Domini MCXLIV. rex Anglorum Stephanus comitem Gloverniæ, cum multis aliis inimicorum suorum, a constructione Farendunensis castri [1] fugavit et municipium illud in sua potestate recepit.

Quod rex Stephanus cepit comitem Cestrensem.

A.D. 1145. Ralph, earl of Chester, taken. Anno Domini MCXLV. rex Anglorum Stephanus cepit [2] Ranulfum, Cestriæ comitem, ad se pacifice venientem apud Northamptonam, et eum in carcere tenuit, quousque reddidit ei castellum Lincolniense cum cæteris, quæ suæ fuerant ditionis, et sic rex apud Lincolniam solemniter coronam portavit.

Quod Henricus rex futurus in Normanniam transivit.

A.D. 1146. Anno Domini MCXLVI. [3] Henricus, ducis Andegaviæ filius et imperatricis Matildis, in Normanniam transiens, in die Dominicæ ascensionis

[1] *Fugavit.*] He took with him an army of Londoners numerous and terrible ; Huntingd. p. 393.

[2] *Ranulfum.*] He had been reconciled and had assisted the king at the siege of Wallingford ; Huntingd. p. 394.

[3] *Henricus.*] Compare Chron. Gervasii, 1361.

apud Beccum honorifice receptus est a conventu; quo utique anno [1]Willelmus de sancta Barbara, decanus Eboracensis, factus est episcopus Dunelmensis. A.D. 1146. Eodem anno obiit reverendæ memoriæ Gaufridus, abbas ecclesiæ sancti Albani protomartyris Anglorum, postquam annis viginti sex laudabiliter rexerat monasterium præfatum. Vacavit autem ecclesia a pio pastore viduata a quinto kalendis Martii usque ad Rogationes proxime sequentes, quo tempore monachi elegerunt [2]Radulfum Gubium, monachum de gremio ecclesiæ suæ, virum literatum et bonis moribus adornatum; facta igitur electione, rex Stephanus in die Dominicæ ascensionis apud sanctum Albanum veniens assensum præbuit et gratanter Radulfum memoratum in abbatem suscepit. Eodem anno defuncti sunt pontifices, Ascelinus Roffensis, [3]Rogerus Cestrensis et Robertus Herefordensis; Ascelino autem successit [4]Walterus, archidiaconus Cantuariensis, Rogero [5]Walterus, prior Dorobernensis, Roberto [6]Gilebertus, abbas Glovernensis. Eodem anno, post Turstanum, Eboracensem archiepiscopum, Henricus, Cisterciensis monachus, illum obtinuit præsulatum. Circa idem tempus cometa multis diebus apparuit in occidente, vicinum aerem spatiis circumquaque diffusis coruscantibus radiis illuminans in immensum.

Election of an abbot at S. Alban's.

[1] *Willelmus de sancta Barbara.*] According to Hagustald, he was consecrated in 1143, and died in 1152.

[2] *Radulfum Gubium.*] He died in 1151; see his life by Paris, p. 64.

[3] *Rogerus Cestrensis et Robertus Herefordensis,*] wanting in *C.*

[4] *Walterus.*] There is a letter to him, when eighty years old, from Peter of Blois, urging him to give up hunting; ep. 50. He held the see nearly 35 years.

[5] *Walterus.*] Walter Durdent did not succeed until 1149; he died in 1161; Gervas. Chron.

[6] *Gilebertus.*] Gilbert Foliot; afterwards translated to London.

De discordia orta inter papam Eugenium et regem Francorum.

A.D. 1146. Differences between Eugene III. and Louis VII.

Eodem anno papa Eugenius Parisius veniens consecravit Petrum quendam, Aimerici ecclesiæ Romanæ cancellarii nepotem, in archiepiscopum Bituricensem contra Lodowici, regis Franciæ, voluntatem. Quod rex in injuriam suæ dignitatis factum vehementer indignans, propositis publice sacrosanctis reliquiis, in præsentia multorum juravit, quod archiepiscopus præfatus, quamdiu ipse viveret, civitatem Bituricam non intraret. Sic per triennium regis persona subjacuit interdicto; in quamcunque civitatem, vicum vel castellum intrabat, suspendebatur celebratio divinorum. Tandem [1]Bernardo, abbate Claræ vallensi, persuadente ad hoc, est cor regis inclinatum, ut archiepiscopum reciperet, et pro transgressione perjurii Hierosolymam se promitteret profecturum. Igitur per totam Galliam fit exactio generalis, nec sexus, vel ordo, aut dignitas quempiam excusare potuit quin auxilium regi conferret; unde factum est, ut ejus peregrinatio multis imprecationibus persequeretur, sicut sequens relatio declarabit.

Quod Eugenius papa Remis concilium celebravit pro negotio terræ sanctæ.

Eodem tempore, in majore Letania, cum papa Eugenius apud sanctam Genovefam solemni fuisset processione receptus, servientes ecclesiæ clericos domini papæ ac ministros fustigaverunt et infra parietes ecclesiæ eorum sanguinem effuderunt; in ultionem igitur illius excessus servientium ecclesiæ ædificia sunt subversa, et,

[1] *Bernardo.*] Compare his works, ed. Paris, 1690, i. coll. 202. 245.

expulsis canonicis sæcularibus, loco eorum regulares sunt canonici introducti. Papa vero inde Remos profectus tenuit ibi [1]concilium, in quo damnata est hæresis Eudonis pseudoprophetæ, de cujus incantationibus et phantasiis melius est silere quam loqui. In hoc quoque concilio constituit prædicatores de negotio terræ sanctæ, quæ eo tempore adeo erat a Saracenis oppressa, quod liberis discursibus et sine contradictione eam ubilibet pervagarent; igitur ad prædicationem Bernardi, abbatis Claræ-vallensis, Conradus, Romanorum imperator, cruce signatus est et cum eo innumera hominum multitudo. Mense autem Maio proximo sequente dictus imperator iter peregrinationis arripiens duxit secum ad septuaginta millia equitum loricatorum, exceptis peditibus et parvulis, mulieribus, equitibusque levis armaturæ. Secutus est quoque illum Lodowicus, rex Francorum, cum non minori numero armatorum, qui propositum habentes segregatim invadere, ut commodius sibi vitæ necessaria et jumentis pabula non deessent, [profecti sunt.] [2]Transcursa itaque Bavaria et Danubio flumine, Austria, Hungaria et utraque Pannonia, Bulgarorum etiam provinciis, Mœsia et Dacia, tandem in Thraciam descenderunt. Inde Constantinopolim pervenientes cum imperatore Manuele colloquium habuerunt; deinde transito Hellesponto, Europæ termino, in Bithyniam, quæ prima est ex Asianis provinciis, in pago Calcedonensi castra statuerunt. Tunc imperator Romanorum Conradus, transjectis Bosphorum legionibus suis, et relinquens a læva

A.D. 1146.

Council of Rheims.

Crusade under Conrad III. and Louis VII.

[1] *Concilium.*] There were two councils held in this year on the subject of the crusades, the one at Vezelay, the other at Chartres; Baron. Annal. ad an. § 1. 11. The council of Rheims was not held until two years afterwards.

[2] *Transcursa.*] Will. Tyr. p. 901.

A.D. 1146. Galatiam et Paphlagoniam et utrumque Pontum, a dextris autem Phrygiam, Lydiam et Asiam minorem, per mediam Bithyniam iter agens, Nicæamque a dextris deserens, Lycaoniam pervenit.

De proditione detestanda Constantinopolitani imperatoris.

Treachery of Manuel. Soldanus[1] autem Yconensis, audito tantorum principum adventu, a multo retro tempore ex ultimis orientis finibus militaria convocaverat auxilia, et, quomodo ab imminentibus hostium periculis se possit eximere, curam propensiorem gerit. Congregatis igitur militibus suis, in finibus Lycaoniæ exspectabat, ut loco et tempore hostibus transeuntibus impedimentum, ne procederent, procuraret. Tradiderat quoque Constantinopolitanus imperator imperatori Romanorum viæ duces, propter locorum abusum et itineris difficultatem, qui ipsum præcederent; sed illi consueta Græcorum usi malitia, de mandato, ut dictum est, imperatoris, qui semper Latinorum successibus invidebat, cœperunt ex industria trahere legiones per devia in quibus locus esset hostibus regionis ignaros et simplices populos opprimendi. At Soldanus videns Christianos in angusta solitudinis loca demersos irruit in eos, scilicet non præmeditatos, qui tam ipse quam sui acrius instantes in equis velocibus, quibus pabula non defuerant, Romanos lentos et armis onustos, equos habentes fatigatos et afflictos fame, nec hostibus resistere, nec cum eis congredi, valentes, vicerunt et stragem ex eis miserabilem confecerunt. Factum est autem occulto sed justo tamen Dei judicio, quod de septuaginta

[1] *Soldanus.*] The text follows Nicetas in attributing the defeat of the Christians to the treachery of the emperor Manuel; Villani casts all the blame upon the Greeks; compare Will. Tyr. p. 902.

millibus equitum loricatorum et de tanta pedi- A.D. 1146.
tum manu, quorum erat quasi numerus infinitus, ut vix decima pars evaderet, aliis fame, aliis gladio, nonnullis etiam vinculis mancipatis. Evasit tamen imperator cum paucis principibus suis et cum difficultate nimia Nicæam usque pervenit ad urbem, indeque Constantinopolim profectus ibi usque ad sequentis initium veris perendinavit.

Quod idem imperator regem Francorum et ejus exercitum circumvenit.

Anno Domini MCXLVII. imperator Conradus, A.D. 1147. Conrad arrives at Jerusalem.
hyeme transversa, navibus devectus cum suis portum attigit Achonensem, et inde Hierosolymam profectus a rege Baldewino, clero civitatis ac populo, cum hymnis et laudum canticis in sanctam perducitur civitatem. [1]Quo utique tempore Lodowicus, rex Francorum, imperatorem secutus, post longos viæ labores ad vada Menandri cum septuaginta millibus loricatorum militum, præter classem quæ eum sequebatur, pervenit; ubi, Francis accedere ad aquas volentibus, ex adversa fluminis ripa hostes inveniunt infideles, qui aquæ usum eis et transitum interdicere satagebant, sed vadis demum inventis, hostibus invitis et pluribus neci traditis ac vinculis quibusdam mancipatis, omnes in fugam compellunt, et eorum spolia rapientes facti sunt de victoria lætiores. Inde Laodiceam transeuntes montem quendam arduum et ascensu difficilem in itinere repererunt; erat autem consuetudo Francorum, ut quosdam de illustribus viris assignarent, qui agmina præirent, et, qui a tergo sequerentur, ad custodiam imbellis populi sar-

[1] *Quo utique tempore.*] Will. Tyr. p. 905; who places the events of this chapter under the year 1145.

A.D. 1147. Defeat of the French.

cinarum, qui etiam cum principibus de modo viæ et diætæ quantitate tractarent. Præibat autem illa die vir nobilis Gaufridus de Rancona, qui cum agminibus montem ascendens ad ejus fastigium pervenit, quod Turci cognoscentes, qui exercitum illum a latere insidiantes sequebantur, in Francos non præmeditatos potenter irruunt et eorum legiones dissolvunt; cecidit autem die illa, casu miserabili, gloria Francorum et virtus, qui forte peccatorum tenebris involuti mystica secum Domino munera non ferebant. Nec tamen rex propter casum adeo sinistrum a proposito potuit revocari, quin peregrinationem prosequeretur inceptam, sed ardenti desiderio cum regina sua Alienor ad iter se accingens Hierosolymam tandem pervenit; ubi a rege honorifice susceptus et populo, de casu, qui acciderat ei, non mediocriter condolebant.

De obsidione Damasci a principibus prædictis, et de proditione orientalium magnatum.

Siege of Damascus.

Completis tandem de more orationibus, convenerunt ad colloquium imperator Romanus cum regibus Hierosolymarum et Francorum, ut de fructu tantæ peregrinationis et terræ sanctæ agerent incremento. Tandem omnes in hoc communiter consenserunt, ut Damascum, urbem fidelibus nimis damnosam, obsiderent; et, sicut fuerat prælocutum, [1]ad urbem accedentes pomeria occupant suburbana, quibusdam ibi ex hostibus interfectis. Inde ad flumen quod urbem lambebat accedentes, ut sitis angustias relevarent, invenerunt secus ripam tantam hostium multitudinem, qui eis aquæ usum auferre vacabant,

[1] *Ad urbem accedentes.*] The meeting had been held at Acre, whence they departed for Damascus on the 25th May 1147; Will. Tyr. p. 910.

quod nec regem Hierosolymarum vel Francorum cum eorum legionibus accedere permiserunt. Quo cognito, imperator Conradus ira vehementi succensus per medias Francorum acies cum suis principibus ad certaminis locum pervenit, et cuidam ex Turcis, fidelibus viriliter resistenti et strenue dimicanti, caput galeatum, collum et humerum loricatum, brachium sinistrum cum subjecto latere, a reliquo corpore educto gladio separavit; quod factum hostes ita deterruit, quod versus urbem, flumine relicto, fugere decertarent. Obtento itaque flumine, fideles ad urbem liberius accedentes eam obsidione cinxerunt, unde cives post longam obsidionem fidelium virtutem metuentes et numerum, compositis sarcinis, clam et de nocte de civitate fugere decreverunt; sed prius nostrorum animos, quorum corpora vincere nequibant, corrumpere tentantes dederunt quibusdam principibus ex nostris de partibus orientis pecuniam infinitam, qui inde proditoris vicem gerentes obsidionem solvere conarentur. Instantibus autem ad hoc proditoribus memoratis, loquentes cum imperatore et rege Francorum in dolo inceptæ obsidionis difficultatem allegabant, et ob hoc aliis erant de proditione suspecti. Unde eorundem principum malitiam manifestam attendentes, et fraudem orientalium detestantes, omnes quotquot erant de partibus occidentis, prævio imperatore et Francorum rege, ad regna sua, eadem via qua venerant, sunt reversi; qui deinceps non solum illos, qui huic proditioni interfuerunt, sed et omnium orientalium principum abominabantur consortia, et alios ad hujus peregrinationis amorem minus efficiebant ferventes. Eodem anno Robertus de [1]Chaisneio, archidiaconus Legeces-

A D. 1147 Siege of Damascus.

[1] *Chaisneio,*] or de Querceto; he died in January 1167.

A.D. 1147. trensis, post Alexandrum creatus est Lincolniensis antistes per manum Theodbaldi, archiepiscopi Cantuariensis, post jejunium mensis septimi episcopus consecratus.

Quod Reimundus, princeps Antiochiæ, a Turcis interfectus est.

A.D. 1148. Death of Raymond, prince of Antioch. Anno Domini MCXLVIII., post discessum imperatoris et Francorum regis de partibus terræ sanctæ, Noradinus, Sanguinii filius, princeps Turcorum potentissimus, fines Antiochenos ingressus Nepam castrum obsidione vallavit; contra quem Reimundus, Antiochenus princeps, exercitum ducens inconsulte nimis et prælio inæquali decertavit, unde contigit quod ipse cum aliis quibusdam viris nobilibus [1]occubuit interfectus. Noradinus autem, nullo obstante progressus, [2]Hareng castrum obsidens occupavit, et sic libere in partibus illis universa depopulando percurrit, donec rex Hierosolymarum superveniens ipsum hostiliter recedere et sua repetere potenter coegit. Eodem anno in solemnitate Pentecostes, David, rex Scotorum, [3]militaribus decoravit armis Henricum, filium primogenitum Gaufridi Plantegenest, nunc ducem Normannorum, et neptis suæ olim imperatricis Matildis.

Quod dux Gaufridus dedit Normanniam Henrico filio suo.

A.D. 1149. Affairs of Normandy. Anno Domini MCXLIX. Gaufridus, dux Normanniæ, reddidit Henrico filio suo Normanniam,

[1] *Occubuit.*] He was killed between Apamia and Rugia, (Hamah and Rouiah,) at a place called Fons Muratus; Will. Tyr. p. 915.

[2] *Hareng.*] Harenc, or Harem, about ten miles from Antioch; Will. Tyr. p. 916.

[3] *Militaribus decoravit armis,*] at Carlisle; compare Huntingd. p. 395.

hæreditatem suam ex parte matris suæ, contra prohibitionem regis Francorum, unde discordia inter ipsum regem et comitem orta est. A.D. 1149.

Quod rex Lodowicus cepit homagium ducis Henrici.

Anno Domini MCL. rex Francorum Lodowicus et [1]Eustachius filius regis Stephani cum militia copiosa venerunt ante turrem de Archis ob discordiam memoratam, ubi etiam adfuit dux Normanniæ Henricus et pater ejus comes Andegavensis Gaufridus cum ingenti exercitu Andegavensium, Britonum et Normannorum; sed videntes utriusque partis principes, quod legiones illuc nequibant sine magna sanguinis effusione hostiliter convenire, cœperunt de pace tractare, et, intervenientibus utrorumque amicis, rex Francorum cepit homagium ducis Henrici de Normannia, et sic pacifice recesserunt. Dux igitur Henricus, dum tractaret cum optimatibus suis de itinere suo in Angliam, pater ejus apud castrum Leri graviter infirmatus septimo idus Septembris ab hac vita migravit, et sic Henricus filius ejus factus est comes Andegavensium et dux Normannorum. Eodem anno Radulfus, abbas ecclesiæ sancti Albani, decidens in languorem Robertum[2] de Goreham, priorem ecclesiæ suæ, suum procuratorem constituit per consilium conventus, et totius abbatiæ rectorem. A.D. 1150. Affairs of Normandy.

De hæreticis Assisinis.

Eodem anno Reimundus, comes Tripolitanus, vir potens et in armis strenuus, ab Assisinis interfectus est; planxerunt autem eum rex Hierusalem Baldewinus et terræ promissionis populus universus, ut qui erat valde formida- Account of the Assassins.

[1] *Eustachius.*] Compare Chron. Norman. p. 984.

[2] *Robertum de Goreham.*] See below, p. 249, *note*.

A.D. 1150. The Assassins.

bilis infidelibus et principibus Saracenis. [1]Est autem in provincia Tyrensi et Phœnicis regionis quidam populus circa episcopatum [2]Antaradensem in montibus habitans, et decem castella habens cum suburbanis multis, quorum numerus ad sexaginta millia virorum vel eo amplius excrescit. Hi non hæreditaria successione, sed meritorum prærogativa, sibi solent magistrum præficere et eligere præceptorem, quem, spretis aliis dignitatum nominibus, Veterem de monte sive Senem appellant, cui tantæ subjectionis solent et obedientiæ vinculo obligari, ut nihil sit tam durum, tam difficile, tam periculosum, quod ad magistri imperium ardentibus animis non aggrediantur implere; nam inter cætera, si quos habent principes odiosos aut genti suæ suspectos, data uni de suis sicha vel pluribus, non considerato rei exitu vel quæ eis pœna sequatur, illuc contendunt, quibus mandatum est, et tam diu pro complendo imperio anxii circumeunt et laborant quousque peragant sibi homicidium imperatum; hos tam Saraceni quam Christiani [3]Assisinos appellant, [4]etymologiam nominis penitus ignorantes. Hii etiam quasi annis

[1] *Est autem.*] The following account, taken from William of Tyre, has been inserted here apparently too early by at least twenty years, since it is found in the 20th book of the archbishop's history, under the reign of Almaric or Amaury; the mistake has probably originated in the fact that both the counts of Tripoli, father and son, of the same name, were murdered by the Assassins, the one in 1151, the other in 1172: compare Will. Tyr. pp. 922, 994.

[2] *Antaradensem.*] Antaradus, now Tortosa, in the patriarchate of Antioch; a list of the bishops is given by Le Quien, Oriens Christ. iii. col. 1171.

[3] *Assisinos.*] They paid an annual tribute of two thousand ounces of gold to the knights Templars; Will. Tyr. p. 994: they were eventually conquered by the Tatars in 1257; Spondan. ad an. § 5.

[4] *Etymologiam.*] Supposed by some to have been derived from the Persian word 'Hassissin,' signifying a dagger; by others from 'Haschichi,' an herb used by fanatics to produce excitement. Fr. Transl. of Paris, i. p. 345, *note.*

quadringentis Saracenorum legem et eorum traditiones tanto zelo coluerunt, ut respectu eorum prævaricatores omnes alii viderentur; habuerunt autem his temporibus modernis magistrum, virum facundum valde, subtilem et discretum, qui, præter morem majorum suorum, cœpit penes se evangeliorum libros habere et codicem apostolicum, quibus continuo incumbens studio miraculorum Christi et præceptorum seriem, sed et apostolicam doctrinam, multo labore fuerat consecutus; indeque conferens se ad honestam Christi et doctrinam suavem, recessit ab his, quæ seductor Mahumetus ac miser suis complicibus tradiderat, et cœpit abominari illius immunditias seductoris; oratoria etiam, quibus ejus subjecti prius usi fuerant, dejiciens juxta morem Christianorum fecit eos vivere et orare, ad fidem Christi se conferre suspirans. Misit ergo unum ex fratribus suis, virum providum et [1]discretum, ad regem Hierosolymarum Baldewinum, ut per ejus consilium baptismatis susciperet sacramentum, sed diabolus, ecclesiæ semper invidens incrementis, hoc fieri non permisit; nam legatus populi memorati, antequam ad regem perveniret, a fratre quodam de militia templi in magnum fuit ecclesiæ scandalum interemptus, per quod negotium pie inchoatum usque in diem hodiernum dilationem accepit. Eodem anno celebratum est divortium inter Lodowicum, regem Francorum, et Alienor[2] reginam suam; erant enim consanguinei in quarto gradu.

A.D. 1150. The Assassins.

[1] *Discretum*,] 'nomine Boaldelle;' to Almaric, not Baldwin, that they might be released from their tribute; Will. Tyr.

[2] *Alienor*,] daughter of William, duke of Aquitaine. Her conduct in Syria is said to have been the real occasion of the divorce; Chron. Norm. in calc. Ord. Vital. p. 985.

Quod dux Normanniæ Henricus Alienor duxit uxorem.

A.D. 1151. Marriage of the duke of Normandy, and its consequences.

Anno Domini MCLI. dux Normannorum Henricus duxit Alienor quondam reginam, quam Lodowicus rex anno præterito propter consanguinitatem dimiserat, et sic factus est dux Aquitaniæ et comes Pictaviæ, qui prius fuerat dux Normannorum et consul Andegavorum; [1]quo audito, rex Francorum Lodowicus commotus est vehementer contra ducem Henricum, eo quod genuerat duas filias ex prædicta Alienor, quapropter noluit ut illa ab aliquo filios susciperet, per quos exhæredarentur filiæ memoratæ. Post festum vero sancti Johannis, cum dux Henricus esset apud Barbefluvium, ut ad Angliam transfretaret, convenerunt in unum rex Francorum, Eustachius filius regis Stephani, comes Robertus Perticensis, comes Henricus Campanensis et Gaufridus frater ducis Henrici, cum ingenti copia armatorum, ut duci Henrico Normanniam, Andegaviam cum ducatu Aquitaniæ, et omnem terram suæ dominationis auferrent, quam etiam hi quinque viri potentes inter se præpropere diviserunt. Convenientes igitur omnes apud Novum-mercatum, castrum obsidione cinxerunt, et fratrem ducis Gaufridum miserunt cum manu armata, ut contra ducem Andegaviam expugnaret. Hæc audiens dux Henricus recessit a Barbefluvio, obsesso castello pro viribus subventurus, sed, antequam dux illuc veniret, redditum est castellum regi Francorum fraude illud observantium, ac si esset violenter præreptum. Tunc dux Henricus castrametatus est juxta fluvium Andellæ, et partem illam Wilcasini afflixit, quæ est inter Iccam flumina et Andellam. Hæc

[1] *Quo audito.*] Chron. Norman. p. 985, § c.

provincia ad ducatum Normanniæ pertinebat; sed Gaufridus, comes Andegavensium, post mortem Henrici regis Anglorum ad tempus eam concesserat Lodowico. Tradidit etiam igni castella inimicorum suorum Baschervillam, Chitreium et Stirpineium, cum castello Hugonis de Gornaco, quod Feritatem appellant; denegabat enim idem Hugo debitum famulatum. Castella etiam de Brueboles et aliud, quod Villa nominatur, igne cremavit, et inde in Normanniam veniens Richerum de Aquila graviter afflixit, qui hostibus suis subsidium ferebat, et municipium ejus Bonnvilius flammis discurrentibus conflagravit. Circa vero finem mensis Augusti, statutis militibus ad custodiam Normanniæ, dux Andegaviam pergens obsedit castrum montis Sorelli, ubi obsidione jugi coarctans inclusos Willelmum, dominum castri, qui partes fratris sui fovebat, cum aliis militibus multis cepit; hoc quoque infortunio Gaufridus frater ejus compulsus est cum ipso concordari. Rex interea Francorum, de ducis absentia occasionem nactus, Normanniam intravit et partem Burgi Regulariensis cum vico quodam castri Vernolii voracibus flammis consumpsit; sed confestim, intervenientibus viris religiosis, statutæ sunt treugæ inter regem et ducem. A.D. 1151.

Hoc quoque anno, rege Anglorum Stephano ad sanctum Albanum veniente, suggestum fuit ei de languore Radulfi abbatis, ubi, mediantibus episcopis ac cæteris prælatis, concessit ut in eligendo abbate liceret monachis uti privilegiis suis; cui cum rex gratanter annuisset, communi totius congregationis assensu [1]Robertum de Gorham, priorem ecclesiæ suæ, elegerunt, qui postea decimo quarto kalendas Julii abbatis

Election of an abbot at S. Alban's.

[1] *Robertum de Gorham.*] He died in October 1166; see his life by Paris, p. 66.

A.D. 1151. benedictionem suscepit. Supervixit autem prædecessor ejus post ipsius promotionem diebus novendecim, et tunc defunctus sepultus est in capitulo in aliorum abbatum ordine reverenter. Eodem anno dictum est cuidam in somnis, ut manus suas truncaret et pedes et sic salvus fieret, quod cum fecisset statim exspiravit. Illo anno obiit [1]Matildis, uxor regis Stephani, die inventionis sanctæ Crucis apud Haingeham, castellum comitis Alberici de Ver, et in abbatia de Feversham, quam rex Stephanus fundaverat, traditur sepulturæ. Eodem anno Johannes, monachus Sagiensis, factus est [2]secundus antistes Moniæ insulæ, quæ est inter Angliam et Hiberniam, propinquior tamen Angliæ; unde et episcopus ille archiepiscopo subjacet Eboracensi. Primus autem ibi fuerat episcopus Wimundus, monachus Saviniensis, sed propter ejus importunitatem privatus fuit oculis et expulsus. Eodem anno obiit Willelmus, episcopus Dunelmensis. Eodem anno Gaufridus[3] Arthurus factus est episcopus sancti Asaph in Norwallia, qui historiam Britonum de lingua Britannica transtulit in Latinam. [4]Quo etiam anno in capitulo Cisterciensi statutum est, ne de cætero aliqui novam construerent abbatiam, quia numerus abbatiarum illius ordinis usque ad quingentas excrevit. Johannes [5]Papiro, cardinalis, legatione fungens in Hibernia quatuor ibi constituit archiepiscopos; qui, dum per An-

[1] *Matildis.*] She died, according to Gervase, on the 5th May 1152; col. 1372. Hagustaldt places her death in the year following.

[2] *Secundus antistes.*] Chron. Norman. p. 986. He was the second bishop after the union of the see with Sodor.

[3] *Gaufridus Arthurus.*] Geoffrey of Monmouth, the historian; the time of his death is uncertain.

[4] *Quo etiam anno.*] Compare Rec. des Hist. xiii. 295, *note.*

[5] *Papiro.*] Paparonus, or Papyrio; see Pagi, ad an. 1151, § vii.

gliam transitum habuisset, regi Stephano fidelitatem juravit. A.D. 1151

De quadam hæresi miraculose confutata.

Circa dies istos, [1]pullulante perversa doctrina Henrici cujusdam hæretici, et maxime in Wasconia, suscitavit Dominus spiritum puellæ junioris in illa provincia ad illam hæresim confutandam, quam contra articulos fidei prædicabat; jacebat enim puella in unaquaque septimana per triduum absque voce, sensu atque flatu, et postmodum ad se reversa dicebat beatam Mariam orare pro populo Christiano, et beatum Petrum docuisse se fidem orthodoxam; et sic de fide catholica sapienter disputabat, et præcipue hæresim Henrici convincens plurimos ab eo seductos ad sinum sanctæ matris ecclesiæ revocavit. Legend

De facto quodam memorabili Conradi imperatoris.

Eodem anno Conradus imperator, vir prudens et discretus, diem clausit extremum, de quo legitur, quod dum in sancto Pentecoste, præsentibus archiepiscopis, episcopis, et imperii magnatibus, in urbe quadam divinis interesset obsequiis, diabolo instigante, surrexit contentio inter prælatos memoratos, quis deberet esse dignior in primatu cathedrali, ut imperatori propius consideret; altercantibus autem episcopis circa hoc aliisque prælatis, accurrunt eorundem prælatorum ministri cum gladiis et fustibus, et, sic plagis impositis, istos de suis sedilibus extrahentes in eisdem alios intruserunt, et, lite contestata, mitras hinc inde et pastorales baculos confregerunt, sanguinem in ecclesia non minimum effunden- Death of the emperor.

[1] *Pullulante perversa doctrina.*] Compare Pagi, ad an. 1116, § xix. | *seqq.* with Baron. ad an. 1147, § xii.

A.D. 1151. Legend of the death of the emperor.

tes. Quod videns imperator contristatus est vehementer, et jussit ministris suis, ut, expulsis ab ecclesia scismaticis illis, sedarent tumultum; quod cum factum fuisset, imperator prælatos illos graviter increpans jussit ut violatam reconciliarent ecclesiam, ne in tanta solemnitate a missarum obsequiis defraudati Spiritus Sancti præpedirent adventum. Sedato itaque tumultu et ecclesia utcunque reconciliata, inchoatum est missæ officium, et licet temere fuisset attentatum, sicut rerum exitus evidenter ostendit, tamen usque ad evangelii pronunciationem est perductum; sed cum chorus novissimum sequentiæ versum percantasset, 'Hunc diem gloriosum fecisti,' levavit vocem suam diabolus in excelsis, et distincte ad intelligendum, cunctis audientibus, cantare cœpit, 'Hunc diem bellicosum ego feci.' Hanc itaque vocem adeo terribilem cum omnes intellexissent, contuebantur sese ad invicem singuli, admirantes quid hoc esset. Tunc imperator, qui vir erat prudens et devotus Dei cultor, animadvertit vocem esse Sathanæ subsannantis et improperantis tam enorme dissidium prælatorum, et præcepit continuo, ut archiepiscopus, qui missam erat celebraturus, casulam deponeret donec super tanta injuria Spiritui Sancto foret satisfactum, qui ea die solet donis suis mysticis corda fidelium illustrare. Deinde famulos suos mittens per plateas et vicos civitatis fecit convenire pauperes omnes et debiles infra ecclesiam violatam et extra; esurientes pavit, sitientes potavit, nudos vestivit, calceamenta necessitatem habentibus erogavit; de senibus et valetudinariis, qui in grabatis jacebant per urbem, idem fecit, aureum singulis donavit, injungens cunctis, ut divinam implorarent misericordiam, ne populo suo imputaret prælatorum superbiam

Deus, quo minus Spiritus sui præstolarentur adventum. Purpuram præterea deposuit, saccum et cilicium induit, vestigiis nudis per pavimentum incedens pauperibus ministravit, exemplumque aliis præbens omnes ad eleemosynas et lachrymarum effusionem commovit. Tunc magnificus imperator videns ecclesiæ pavimentum lachrymis ubertim perfusum, quod prius sanguine fuerat tabefactum, jussit fiducialiter missæ inchoare officium, et cum summa devotione inceptum obsequium compleverunt. Tandem cum perventum erat ad versum suprądictum, 'Hunc diem gloriosum tu fecisti,' præcepit imperator ut versus a choro tertio repeteretur, in contumeliam Sathanæ; et demum, finito versu, jussit omnes aliquamdiu silere, ut audirent si hostis antiquus, ut prius fecerat, aliquid subsannando proferret; sed, cum aliquantulum exspectassent et nihil audissent, 'Noveritis,' ait imperator, 'quod inimicus noster confusus recessit.' Tunc omnes congaudentes in Domino et exultantes residuum missæ feliciter peregerunt, glorificantes Spiritum Sanctum, qui imperatori tale consilium inspiravit. Successit ei in imperium Romanum Fredericus[1] nepos ejus. A.D. 1151. Legend of the death of the emperor.

Hoc anno obiit papa Eugenius et multi divites cum eo.

Anno Domini MCLII. Eugenius papa diem clausit extremum mense Julio, cui succedens Anastasius[2] sedit in cathedra Romana anno uno, mensibus quatuor et diebus viginti quatuor. Eodem anno Richardus de Beumeis, archidia- A.D. 1152. Anastasius IV. pope.

[1] *Fredericus,*] the first, son of Frederic, duke of Suabia, brother of the emperor Conrad; he died in June 1190.

[2] *Anastasius.*] Anastasius the fourth was elected on the death of Eugene in 1153, and died in December 1154.

A.D. 1152. conus Middelsexensis, [1]consecratus est episcopus Londoniensis. Eodem anno Bernardus, abbas Claræ-vallensis, migravit ad Dominum, et Henricus Murdac, archiepiscopus Eboracensis.

Death of Prince Eustace. Eodem anno cum Eustachius, filius regis Stephani, in [2]die sancti Laurentii terram beati Edmundi martyris prædatum iret, subita morte præreptus est, et apud Feversham in abbatia, quam rex Stephanus pater ejus fundaverat, est sepultus. Obiit eodem anno David, rex Scotorum, et successit ei Malcolmus nepos ejus.

Quod dux Henricus in Angliam potenter applicuit.

Duke Henry arrives in England. Eodem anno dux Normannorum Henricus et Aquitanorum, comes Pictavensis et Andegavensis, cum navibus triginta sex et militia magna nimis in Angliam transfretavit, et infra octavas Epiphaniæ [3]Malmesberiense castellum obsedit et cepit, indeque profectus castellum de Craumerse[4] obsidione vallavit; sed, intercurrentibus viris, inter ducem et regem ita convenit, quod rex Stephanus castrum illud propriis sumptibus complanaret, sicque soluta est obsidio, quæ circa castellum de Wallingforde fuerat, rege Stephano Craumerse subvertente; castella etiam de Radingis et de [5]Bretewelle dux Henricus in sua jura recepit. Gimdreda etiam Warewic comitissa, regis Stephani militibus de castello ejusdem urbis ejectis, tradidit municipium Henrico duci, et sic prosperatum est negotium ejus.

---

[1] *Consecratus est,*] at Canterbury, in the presence of nearly all the bishops; Rad. de Diceto.

[2] *Die sancti Laurentii,*] the 2nd February; compare the account of his death by Gervas. col. 1374.

[3] *Malmesberiense castellum.*] One tower only held out; but not being relieved by Stephen, to whom he had sent tidings of the fate of the castle, the captain, by name Jordan, was obliged to surrender; Huntingd. 397.

[4] *Craumerse.*] Crowmarsh, near Wallingford.

[5] *Bretewelle,*] or Brightwell.

Eodem anno natus est duci Henrico filius ex A.D. 1133
Alienor uxore sua, et vocatus est Willelmus, quod proprium nomen est ducibus Aquitannorum et comitibus Andegavorum.

De concordia facta inter reges Stephanum et ducem Henricum.

Anno Domini MCXLIII. justitia de cælo pro- A.D. 1153
spiciente, et diligentia Theobaldi, Cantuariensis archiepiscopi, et episcoporum regni intercedente, rex Anglorum Stephanus et dux Normannorum Henricus [1]apud Walingeford in talem concordiam convenerunt; Rex Stephanus, omni hærede viduatus præter solummodo ducem Henricum, recognovit in conventu episcoporum et aliorum regni optimatum jus hæreditarium quod dux Henricus in regnum Angliæ habebat, et dux benigne concessit, ut rex Stephanus tota vita sua, si vellet, regnum pacifice possideret. Ita tamen confirmatum est pactum, quod ipse rex et episcopi tunc præsentes, cum cæteris optimatibus regni, jurarent, quod dux post mortem regis, si illum superviveret, regnum sine contradictione aliqua obtineret; [2]et sic nunc illud propheticum Merlini attendatur, quod dicit, [3]'Nocebit possidenti, quod ex impiis pietas, donec sese genitore induerit;' manifestum est regem Stephanum Henricum induisse hæredem, quem non genuit, dum ipsum adoptavit in filium et regni participem, et postmodum successorem; in rege quoque ducem, et

Peace remained between him and the king.

[1] *Apud Walingeford.*] The interview at Wallingford, at which only a cessation of arms was agreed upon, was held before the death of Prince Eustace. The council, at which the treaty of peace here recorded was concluded, was held at Winchester on the 7th November. The charter is printed by Rymer, i. p. 13.

[2] *Et sic nunc.*] 'Et si nunc,' MS.

[3] *Nocebit.*] Compare the interpretation of Alanus de Insulis, p. 94.

A.D. 1153. in duce omnes venerarentur regem; regalia passim a proceribus usurpata rex in sua recipiet; possessiones, quæ ab invasoribus direptæ erant, ad legitimos possessores, quorum fuerant regis Henrici tempore, revertentur; castella adulterina, quæ tempore regis a quocunque constructa sint, diruentur, quorum numerus ad undecies centum et quindecim excrevit; rex colonos prædiis assignabit, ædificia combusta renovabit, replebit pascua armentis, decorabit ovibus montana; clerus debitam tranquillitatem se habere gaudebit, exactionibus indebitis non gravabitur; vicecomites in locis ponentur consuetis, et neminem ex odio persequentur; non gratificabuntur amicis, non indulgentiis crimina sublevabunt, suum cuique ex integro reservabunt; metu pœnarum afficient nocentes, fures et prædones terrebuntur in furca et sententia capitali; milites, juxta Isaiam, gladios convertent in vomeres, et lanceas in ligones; a castris ad aratra, a tentoriis ad ergasteria redibunt clientes, ab excubiis fatigati in communi lætitia respirabunt; relevabitur rusticitas otio innocens et quieta; negotiatores commercium ditabit, celebris et publica moneta una et eadem erit in regno percussa; werra igitur, quæ septendecim annis sævierat, hoc fine quievit.

De milite Hoeno, qui purgatorium vivus intravit.

Legend of the purgatory of S. Patric.

Concordia itaque inter regem Stephanum et ducem Henricum, ut dictum est, confirmata, miles[1] quidam, Hoenus nomine, qui multis annis sub rege Stephano militaverat, licentia a rege impetrata, profectus est in Hiberniam ad natale

[1] *Miles quidam, Hoenus.*] The following legend of the purgatory of S. Patric was originally written by Henricus Salteriensis, about the year, as is supposed, 1151; the reader may find it printed by Colgan in the Trias Thaumaturga, 1647, p. 274. The version in the text has been somewhat abridged.

solum, ut parentes visitaret; qui, cum aliquamdiu in regione illa demoratus fuisset, cœpit ad mentem reducere vitam suam adeo flagitiosam, quod ab ipsis cunabulis incendiis semper vacaverat et rapinis, et, quod magis dolebat, se ecclesiarum fuisse violatorem et rerum ecclesiasticarum invasorem, præter multa enormia, quæ intrinsecus latebant, peccata. Miles igitur pœnitentia ductus ad episcopum quendam illius regionis accessit, cui cum peccata sua devotus per ordinem retulisset, increpavit eum graviter episcopus, asserens illum nimis divinam clementiam offendisse; unde miles multum contristatus Deo condignam facere pœnitentiam cogitavit. Episcopus autem, ut justum sibi videbatur, volens ei infligere pœnitentiam, miles respondit, 'Dum igitur, ut asseris, Factorem meum tam graviter offenderim, pœnitentiam assumam omnibus pœnitentiis graviorem, et, ut peccatorum meorum merear remissionem accipere, purgatorium sancti Patricii volo intrare.' De hoc quoque purgatorio, et ejus origine, quod sequitur tradunt veteres historiæ Hibernenses.

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

De ratione purgatorii supradicti.

Magnus [1] Patricius, dum in Hibernia verbum Dei prædicaret et multis ibi miraculorum signis coruscaret, bestiales illius patriæ homines terrore infernalium tormentorum ac paradisi amore gaudiorum a mortuis studuit operibus revocare; sed ipsi plano sermone affirmabant, se non conversuros ad Christum, nisi oculata fide prius conspicerent, quæ promisit. Unde beatus Patricius dum pro salute populi in jejuniis, vigiliis et orationibus positus Dominum precaretur propen-

[1] *Patricius.*] Compare Act. SS. mens. Mart. tom. ii. col. 589.

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

sius, pius Dei Filius apparens ei duxit eum in locum desertum, et ostendit illi speluncam rotundam et obscuram intrinsecus, et dixit, 'Quisquis veraciter pœnitens et in fide constans hanc speluncam ingressus fuerit spatio unius diei ac noctis, ab omnibus in ea purgabitur peccatis, quibus in tota vita sua Deum offendit; atque eam ingrediens non solum tormenta malorum, sed, si in Dei dilectione constanter perseveraverit, videbit et gaudia beatorum.' Sic, Domino disparente, sanctus Patricius, tam pro Domini apparitione quam pro speluncæ ostensione lætus, sperabat miserum Hiberniæ populum se ad fidem catholicam conversurum; et in loco illo confestim oratorium construens, speluncam, quæ in cœmeterio est ante frontem ecclesiæ, circumdedit et januam cum seris apposuit, ne quis eam sine ejus licentia introiret. Canonicos regulares loco illo introduxit, et priori ecclesiæ clavem custodiendam commisit statuens, ut, quicunque purgatorium ingredi voluerit, ab episcopo loci licentiam habeat, et cum literis episcopi accedat ad priorem, et ab eo instructus purgatorium intret. Multi autem in diebus beati Patricii purgatorium intraverunt, qui reversi testati sunt se tormenta gravia pertulisse, et gaudia magna ibidem et inenarrabilia conspexisse.

Quod miles Hoenus de licentia episcopi loci purgatorium intravit.

Miles itaque supradictus, cum angustiose nimis ab episcopo memorato licentiam postularet purgatorium experiendi, cum illum cognovisset episcopus inflexibilem, tradidit ei literas suas ad priorem loci, mandans ut cum illo ageret sicut fieri solet cum illis, qui purgatorium ingredi deposcunt; prior autem, visis literis, militem in ec-

clesiam perduxit, ubi per dies quindecim orationibus devotus instabat, et illis sic diebus elapsis, mane missa a priore celebrata, sacra communione militem communivit, adductumque speluncæ introitum aqua eum benedicta aspersit, et aperto ostio dixit, 'Ecce nunc intrabis in nomine Jesu Christi, et per concavitatem speluncæ tamdiu ambulabis, donec in unum campum exiens aulam invenies artificiosissime fabricatam; quam cum ingressus fueris, statim ex parte Dei nuntios habebis, qui tibi pie quid facies indicabunt.' Vir autem ille virilem gerens animum ad pugnam dæmonum audacter prorupit, atque omnium se orationibus commendans frontem suam vivificæ crucis signo munivit et intrepidus portam intravit, et, ostio post eum obserato, prior cum processione ecclesiam repetivit. A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

Quod miles ad aulam perveniens eam intravit.

Miles itaque per speluncam audacter progrediens lumen paulatim totius claritatis amisit, sed tandem, parvo lumine apparente, ad campum prædictum pervenit et aulam; lux ibi non erat, nisi qualis in vespera hic habetur, aula parietes non habebat, sed columnis erat per gyrum subnixa, ut claustrum solet monachorum. Ingressusque eam, et intus sedens, oculos studiose huc illucque convertit, admirans illius pulchritudinem et structuram; ubi cum paululum solus sedisset, ecce quindecim viri quasi religiosi et nuper rasi, albisque vestibus induti, regiam intraverunt, et salutantes eum in nomine Domini consederunt. Tunc, aliis tacentibus, unus loquebatur cum ipso dicens, 'Benedictus sit Deus omnipotens, qui bonum tibi propositum inspiravit, ut pro peccatis tuis purgatorium hoc intrares; sed, nisi te viriliter habeas, corpore et anima

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

simul peribis. Mox enim ut hanc domum fuerimus egressi, multitudine replebitur spirituum immundorum, qui tibi gravia inferentes tormenta minabuntur inferre graviora; promittent te ducturos ad portam qua intrasti, si te decipere possint, ut revertaris, sed si tormentorum afflictione victus, vel minis territus, seu promissione deceptus assensum eis præbueris, in corpore pariter et anima peribis; si vero fortis in fide spem totam in Domino posueris, ut nec tormentis, nec minis, nec promissionibus eorum adquieveris, sed corde integro eos contempseris, ab omnibus purgaberis delictis, et tormenta malorum videbis et requiem similiter bonorum; et quotiescunque te cruciaverint, invoca Dominum Jesum Christum, et per invocationem hujus nominis statim liberaberis a quocunque tormento in quo eris. Tecum hic amplius esse non possumus, sed Deo te omnipotenti commendamus.'

Quod dæmones militem graviter afflixerunt.

Miles itaque a viris solus relictus ad novi generis militiam est instructus; cumque intrepidus pugnam dæmonum exspectaret, subito cœpit circa domum tumultus audiri, ac si omnes homines, qui in mundo sunt, cum animalibus ac bestiis strepuissent, et post horridum sonum sequitur terribilior visus dæmonum; cœpit enim undique dæmonum deformium innumera multitudo in aulam irruere et militem deridendo salutare; 'Alii homines,' inquiunt, 'qui nobis serviunt, non nisi post mortem ad nos veniunt, sed tu nostram societatem, cui studiose deservisti, in tantum honorare desideras, quod vivens corpus tuum decernis et animam commendare; huc venisti, ut pro peccatis tuis tormenta sustineres? Habebis nobiscum pressuras et dolores; veruntamen,

pro eo quod nobis curiose ministrasti, si reverti volueris ad portam quam intrasti, te ducemus illæsum, ut gaudens in mundo vivas et omne, quod corpori tuo suave est, penitus non amittas.' Hæc ideo dæmones dixerunt, quia aut terrore aut blanditiis decipere voluerunt; sed miles Christi nec terrore concutitur, nec blandimento seducitur, dum æquo animo ita eos contempsit, quod tacite sedens nec unum verbum respondit. At dæmones se contemni indignantes rogum in aula ingentis incendii succenderunt, et manus militis pedesque colligantes in ignem eum projecerunt, uncis ferreis huc illucque per incendium detrahentes; et ille in ignem missus, cum prius grave tormentum sensisset, nomen Jesu Christi invocavit, dicens, 'Jesu Christe, miserere mei.' Ad hoc quoque nomen incendium rogi ita extinctum est, ut nec totius rogi scintilla unica appareret; quod cernens miles in animo proposuit, ut eos de cætero non formidaret, quos invocato Christi auxilio vinci conspexit. A.D. 1155. Legend of the purgatory of S. Patric.

De secundo pœnali loco, in quo miles trahebatur.

Relinquentes vero aulam dæmones militem diutius per vastam regionem quandam detraxerunt, nigra erat terra et regio tenebrosa; traxerunt eum dæmones illuc retro tramite, quo sol oritur in æstate; quo convertentes, cœpit miles quasi vulgi totius orbis miseros ejulatus audire. Tandem a dæmonibus tractus in campum pervenit longum et latum, miseriis ac dolore perplenum, cujus longitudo non potuit pervideri; campus ille hominibus utriusque sexus et ætatis diversæ nudis et in terra jacentibus, ventribus deorsum versis, plenus erat, quorum corpora simul et membra, clavis ferreis et ignitis in terram usque transfixis, miserabiliter torquebantur;

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

aliquando autem præ doloris angustia terram comedebant, clamantes et ejulantes, 'Parce, parce, miserere, miserere,' cum qui sui misereretur penitus non adesset. Dæmones etiam super miseros currentes gravibus eos flagris cædebant, et militi dicebant, 'Hæc tormenta, quæ vides, sentiendo patieris, nisi nobis adquiescas, ut ad portam per quam intrasti revertaris, ad quam si volueris pacifice deduceris;' sed ille, ad mentem revocans qualiter ipsum Deus alibi liberavit, credere eis omnino contempsit. Tunc dæmones eum in terram prosternentes ad modum aliorum configere conati sunt; sed, invocato nomine Jesu Christi ab eo, nihil amplius in loco illo ei facere potuerunt. In alium campum militem trahentes dæmones, hanc ibi differentiam conspexit, quod sicut in campo superiori homines afflicti ventres habuerunt deorsum versos, ita in hoc campo dorsa solo hærebant. Dracones autem ignei super quosdam sedentes, et dentibus eos igneis corrodentes, modo miserabili affligebant; aliorum quoque colla, brachia et corpora serpentes igniti circumcingentes aculeos oris sui igneos eorum cordibus infixerunt. Bufones etiam miræ magnitudinis et horroris, super quorundam pectora incumbentes, deformibus rostris suis eorum corda extrahere conabantur; dæmones præterea super singulos cursitantes et flagris asperrimis cædentes miseros graviter cruciabant, nec unquam a fletu et ejulatu afflicti cessabant. Inde trahentes militem dæmones in alium pœnalem campum, invenit ibi tantam utriusque sexus et ætatis diversæ multitudinem, ut totius orbis plenitudinem vincere crederetur; alii ibi pendebant in flammis sulphureis igneis catenis per pedes et tibias, capitibus ad ima demissis, alii per manus et brachia, alii per capillos et capita; alii pendebant in flammis igneis in

uncis ferreis et ignitis per oculos et nares, alii per aures et fauces, alii per testiculos et mammillas, nec inter fletus miseros universorum et ejulatus flagella dæmonum defuerunt ; cumque militem hic, sicut in aliis pœnis, inimici torquere voluissent, nomen Christi invocavit et illæsus evasit. A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

De rota ferrea et ignita.

Ab illo pœnali loco dæmones militem impellentes venerunt ad rotam quandam ferream et ignitam, cujus radii et canthi uncis ferreis et ignitis erant undique circumfixi, in quibus homines pendentes a flamma tetri sulphureique incendii, quæ a terra surgebat, graviter urebantur; hanc enim rotam dæmones tanta agilitate impingebant vectibus quibusdam ferreis, ut nullum omnino hominem ab alio possis discernere, quia præ nimia cursus celeritate nihil nisi ignis incendium apparebat; nec minori tormento vexabantur hi, qui, verubus transfixi, ad ignem assati deguttabantur a dæmonibus ex metallis liquefactis, vel qui fornacibus cremabantur, seu illi qui in sartaginibus frigebantur. Vidit præterea miles, trahentibus eum ministris tartareis, domum innumeris caldariis plenam, quæ, piceis sulphureisque liquaminibus ac diversis repleta bullientibus metallis, homines utriusque sexus omnis conditionis et ætatis continebat; quorum quidam ex toto, quidam usque supercilia et oculos, alii usque ad labia et colla, alii ad pectus usque et femora, alii ad genua usque et crura, alii manum unam vel pedem, alii ambas manus et pedes, in caldariis tenebantur, et omnes præ doloris angustia vociferabant ac miserabiliter ejulabant; et, cum cœpissent dæmones militem cum aliis submergere, liberatus est Christi nomine invocato.

De vento vehementi et flumine fœtido.

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

Unde dæmones militem in montem excelsum impellentes ostenderunt ei utriusque sexus homines et ætatis diversæ multitudinem copiosam, qui omnes nudi sedebant, et super digitos pedum curvati, et ad aquilonem versi, quasi mortem perterriti exspectabant; et ecce subito ventus turbinis vehementis ab aquilone veniens ipsos omnes, et cum eis militem, arripuit et in aliam montis partem, in flumen frigidum et fœtidum, flentes et vociferantes projecit, et, cum de aqua frigidissima surgere conarentur, dæmones super aquam currentes in ipso omnes flumine submerserunt; at miles Christi nomen invocavit, et confestim in alia se ripa invenit. Tunc dæmones illum contra austrum trahentes, et ostendentes flammam teterrimam et fœtore sulphureo plenam de puteo quodam ascendere, et homines nudos et quasi igneos velut scintillas igneas in aerem sursum compelli, et, flammarum vi deficiente, iterum in ignem et puteum relabi; at dæmones militi dixerunt, 'Puteus iste flammivomus introitus est inferni, ubi nostrum est habitaculum, et, quoniam nobis hucusque studiose servisti, hic nobiscum sine fine manebis, et, si hunc puteum ingressus fueris, in anima pariter et corpore peribis, sed tamen, si adhuc nobis consentire volueris et revertaris ad portam qua intrasti, illæsus redibis;' ille autem de Dei adjutorio confisus, qui eum toties liberaverat, eorum exhortationes contempsit. Tunc dæmones indignati sese projecerunt in ignem putei et secum militem intruserunt, et quo miles in eo profundius descendit, eo latiorem puteum conspexit et pœnam in illo graviorem sensit; in puteo quoque illo miles tantam angustiam sensit

et miseriam, ut diu oblitus sit sui Adjutoris, sed, Deo tandem illum respiciente, nomen Jesu Christi invocavit et protinus vis flammæ eum in aerem sursum levavit, ubi in descensione putei aliquamdiu attonitus stetit. Sed ecce novi dæmones ex ore putei prorumpentes dixerunt ei, 'Et tu qui hic stas, cui socii nostri dixerunt hunc esse infernum, non ita fore scias; nam consuetudinis nostræ est semper mentiri, ut, quos decipere non possumus per verum, decipiamus per falsum; hic non est infernus, sed nunc te ad infernum ducimus.' A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

De ponte stricto, lubrico et alto.

Trahentes igitur militem hostes novi cum tumultu horrisono ad flumen quoddam fœtidum latissimum ac totum flamma sulphureo incendio coopertum, dæmonumque multitudine repletum, dicentium ei, quod sub flumine illo esset infernus. Pons vero protendebatur ultra flumen, in quo tria quasi impossibilia videbantur; unum, quod ita lubricus erat, ut, etiamsi latus esset, nullus vel vix aliquis in eo pedem figere posset; aliud, quod adeo strictus erat, quod nullus in eo stare vel ambulare valebat; tertium, quod ita altus est et a flumine remotus, quod horrendum erat deorsum aspicere. 'Oportet te,' inquiunt dæmones, 'super pontem hunc ambulare, et ventus ille, qui te projecit in aliud flumen, projiciet in istud; et confestim a sociis nostris, qui in flumine sunt, capieris et in profundum inferni demergeris;' sed miles, invocato nomine Jesu Christi, pontem audacter ingressus cœpit pedetentim super pontem incedere, et quo amplius processit in eo, tanto viam largiorem invenit, unde pontis latitudo in brevi ita crevit, ut viæ publicæ amplitudinem præferret. Porro dæmones,

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

conspicantes militem tam libere super pontem incedere, vocibus suis profanis ita horride aerem concusserunt, quod stridore illo magis erat attonitus quam illatione tormentorum, quæ prius fuerat a dæmonibus perpessus; alii hostes, qui sub ponte in flumine erant, uncos suos ferreos et ignitos projecerunt ad illum, sed militem tangere nequiverunt, et sic demum secure processit, quia nihil sibi contrarium invenit.

Quod miles a vexatione dæmonum liber effectus sit.

Miles itaque invictus, jam liber factus a vexatione spirituum immundorum, vidit ante se murum altum et in aere devexum, mirabilem et structuræ impretiabilem, in quo portam unam, sed tamen clausam, cernebat; hæc metallis ac pretiosis exornata lapidibus splendore admirabili radiabat, ad quam cum miles appropinquaret, patuit; contra ipsum aquæ tantæ suavitatis odor ei occurrens exivit, ut, viribus corporis resumptis, tormenta quæ pertulerat sibi in refrigerium verterentur. Egressa est enim contra ipsum venientem, cum crucibus, cereis et vexillis, ac velut palmarum aurearum ramis, tam ordinata processio, quod nunquam talis visa fuerat in hoc mundo; sequebantur prædicta de omnibus ordinibus utriusque sexus homines, quorum alii archiepiscopi et episcopi, alii abbates, monachi et presbyteri, ac singulorum ecclesiæ graduum ministri, qui omnes sacris vestibus et suis ordinibus congruis induti militem cum jucunda veneratione susceperunt atque cum concentu harmoniæ inauditæ infra portam secum feliciter conduxerunt. Finito itaque concentu, duo archiepiscopi cum eo loquentes benedixerunt Deum, qui tanta constantia in tormentis, per quæ transiit et quæ pertulit, ejus animam confirmavit.

Illis igitur militem per patriam conducentibus, invenerunt et illi ostenderunt prata amœnissima diversis floribus fructibusque et herbarum arborumque multiformium decorata, ex quorum suavitatis odore in æternum, ut sibi visum est, vivere potuisset; nox illam aliquando non obnubilat, quia semper cælesti quadam claritate et ineffabili splendore coruscat. Tantam ibi hominum bonorum utriusque sexus vidit multitudinem, quantam residuum seculi credidit continere non posse; chori choris per loca adstiterunt, ac dulcis harmoniæ concentu Creatorem omnium laudaverunt; alii quasi reges corona incedebant, alii amictu aureo induti videbantur, nonnulli variis indumentis erant decorati, juxta quod unusquisque in seculo utebatur; singuli de propria felicitate gaudebant, singuli de aliorum liberatione et gaudio exultabant; omnes, qui militem intuebantur, de ejus adventu benedicebant Deum et de ejus ereptione a mortuis congaudebant; non æstum, non frigus ibi aliquis sentiebat, nec quicquam quod offendere posset vel nocere videbat. A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

Quod miles in paradisum productus terrestrem gaudia viderit beatorum.

Tunc sancti pontifices, qui militi patriam tam præclaram ostenderant, dixerunt ei, 'Quoniam misericordia Dei ad nos illæsus pervenisti, rationem a nobis audire debes de singulis quæ vidisti. Patria hæc terrestris est paradisus, unde pro peccatis suis ejectus est homo primus, hinc vero expulsus in miseriam illam projectus est, in qua homines moriuntur; ex cujus carne nos omnes propagati, et in peccato originali omnes nati, per fidem Domini nostri Jesu Christi, quam in baptismate suscepimus, ad hunc paradisum reversi sumus; et, quoniam post fidei susceptio-

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

nem innumeris actualibus sumus implicati peccatis, non nisi per purgationem peccatorum et afflictionem pœnarum huc potuimus pervenire; pœnitentia[1] enim, quam ante mortem vel morientes suscepimus, et in seculo non peregimus, in locis quæ vidisti pœnalibus, juxta modum et quantitatem culparum, per tormenta restat luenda: omnes enim, qui hic sumus, in locis illis pœnalibus fuimus pro peccatis, et omnes, quos in pœnis vidisti, præter eos, qui infra os putei infernalis existunt, ad hanc requiem pervenient, et tandem salvi fient; omni namque die inde aliqui purgati ad nos veniunt, [2]quos in hanc requiem, sicut et te fecimus, introducimus venientes, nec nostrum aliquis novit quamdiu hic fuerit moraturus. Per missas vero, psalmos, eleemosynas et orationes ecclesiæ generalis et per specialia amicorum auxilia, aut purgandorum tormenta mitigantur aut de ipsis suppliciis ad minora transferuntur, donec penitus liberentur. Ecce, ut vides, hic in magna quiete sumus, sed nondum tamen ad supernam cæli lætitiam ascendere sumus digni; transibimus hinc post spatium a Deo singulis constitutum in paradisum cælestem, sicut Deus providerit transitum.'

Quod miles cælesti visione sit recreatus et cibo spirituali refectus.

Deinde præsules venerandi militem in montem declivem ducentes jusserunt ut aspiceret sursum, quo cum aspiceret, interrogabant, cujusmodi coloris cælum esset respectu loci in quo stetit; qui respondit, colori simile esse auri in fornace ardentis. 'Hoc,' inquiunt, 'quod nunc vides,

[1] *Pœnitentia ... restat luenda.*] 'Pœnitentiam ... restant luenda,' in MS.

[2] *Quos.*] In MS. 'et nos,' probably for 'et hos.'

introitus est cæli et cælestis paradisi; quando enim aliqui a nobis recedunt, hinc in cælum ascendunt, et quamdiu hic manemus, quotidie semel pascit nos cibo cælesti Deus, et quali hic pascamur cibo, nobiscum senties jam gustando.' Vix sermone finito, et ecce quasi radius flammæ ignis de cælo descendens patriam totam cooperuit, et quasi per radios super capita singulorum subsidens flamma demum tota in eis intravit; unde miles tantam dulcedinis in corde simul et corpore sensit suavitatem, quod vix intellexit, utrum vivus an mortuus fuisset, sed hora illa in momento transivit. Ibi miles libenter in ævum maneret, si sibi hiis deliciis frui liceret, sed post talia tantaque jucunda ei tristia referuntur, 'Quoniam,' inquiunt sancti præsules, 'et requiem beatorum, ut desiderasti, et tormenta malorum nunc pro parte conspexisti, oportet te jam, ut per eandem viam, qua veneras, revertaris; si autem, quod absit, male vixeris amodo ad seculum reversus, vidisti quanta te exspectant tormenta, si vero bene vixeris et religiose, securus esto, quia huc ad nos pervenies quando de corpore exibis. In isto quoque reditu, quo nunc reverteris, nec dæmonum tormenta formidabis, quia dæmones ad te non audebunt accedere, nec tormenta tibi poterunt, quæ vidisti, nocere.' Tunc miles flens et ejulans ait, 'Hinc discedere non valeo, quia valde timeo, ne per fragilitatem humanæ miseriæ aliquid delinquam, quod me impediat huc redire.' 'Non,' inquiunt, 'sicut tu vis, erit, sed sicut Ille, qui et nos et te fecit, voluerit, ita fiet.' Mœrens igitur et lugens miles ab eis reducitur ad portam, et, eo contra voluntatem suam egresso, clauditur porta post ipsum.

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

Quod miles ad seculum reversus devotus Hierosolymam petierit.

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

Miles igitur Hoenus, via qua venerat, reversus ad aulam præfatam pervenit; sed dæmones, quos in ipso reditu suo vidit, quasi timentes eum fugerunt, et tormenta, per quæ transiit, ei nocere nequiverunt; et, confestim cum aulam intrasset, occurrunt ei quindecim viri supradicti, glorificantes Deum, qui tantam illi contulerat constantiam in tormentis; 'Oportet te,' inquiunt militi, 'ut quantoties hinc ascendas, jam enim in patria tua clarescit aurora; et, nisi portam prior aperiens te invenerit, de reditu tuo desperans, obserata porta, ad ecclesiam revertetur.' Sicque miles, benedictione percepta, ab eis ascendere festinavit, et hora eadem, qua portam prior aperuit, miles ei de intus veniens obviavit; quem cum Christi laudibus prior suscipiens in ecclesiam perduxit, ubi cum [per] dies quindecim in oratione permansisset, signaculum crucis accepit, et in terram sanctam devotus proficiscens sepulchrum Domini cum locis aliis venerabilibus in sancta contemplatione petivit. Et inde, expleto laudabiliter peregrinationis voto, reversus regem [1]Stephanum dominum suum adiit, consulturus, ut ejus consilio in sanctæ religionis ordine reliquum vitæ suæ expleret, ac Regi regum omnium de cætero militaret. Contigit autem eo tempore, ut Gervasius, [2]Ludensis cœnobii abbas, rege Anglorum Stephano donante, locum ad abbatiam construendam in Hibernia obtineret; qui monachum suum nomine [3]Gilebertum ad regem direxit,

[1] *Stephanum.*] Ussher has laboured to prove that this could not have been Stephen, but a king of Ireland; Primord. p. 466.

[2] *Ludensis cœnobii.*] The monastery of Louth.

[3] *Gilebertum.*] 'Qui scilicet Girbertus postea fuit abbas de Basinegeweirth,' Colgan, p. 279; or 'Basingwerk,' a Cistercian abbey in Flintshire.

ut ab eo locum susciperet et ibi construeret abbatiam. At Gilebertus ad regem veniens conquestus est nimis, quod patriæ illius linguam non novit; 'O,' inquit rex, 'bonum tibi interpretem, Deo auxiliante, inveniam;' et, vocato milite Hoeno, jussit rex, ut cum Gileberto iret et cum ipso in Hibernia remaneret; quod miles gratanter annuens cum dicto Gileberto remansit, et satis ei devote ministrans monachalem habitum suscipere noluit, quia servus esse quam dominus præelegit. Transeuntes autem in Hiberniam abbatiam construxerunt, ubi miles Hoenus interpres monachi devotus exstitit et in omnibus agendis minister fidelis. Quandocumque vero monachus solus alicubi cum milite fuit, de statu purgatorii et pœnis mirabilibus, quas viderat et experto didicerat, curiose ab eo quæsivit; at ille, qui nunquam audire potuit de purgatorio loqui, quin prorumperet in fletum amarissimum, cœpit sub sigillo secreti amico pro ædificatione ea quæ audierat, viderat, et experimento didicerat, enarrare, affirmans sese omnia corporeis oculis conspexisse. Hujus autem monachi industria et diligentia hujus militis experientia redacta est in scripturam, simul cum relatione episcoporum regionis et aliorum religiosorum, qui causa justitiæ perhibuerunt testimonium veritati.

A.D. 1153. Legend of the purgatory of S. Patric.

Quod Willelmus, Eboracensis archiepiscopus, veneno periit.

Anno Domini MCLIV. Anastasius papa, defuncto, ut supradictum est, Henrico, Eboracensi archiepiscopo, restituit in sedem eandem Willelmum, quem prius papa Eugenius degradaverat, donans ei pallium Romæ, et in præsentia ipsius consecra-

A.D. 1154. Death of William, archbishop of York.

A.D. 1154. vit Hugonem de [1]Pusat, regis Stephani nepotem, episcopum Dunelmensem; sed paulo post, cum idem archiepiscopus in sua reversus divina celebraret mysteria, hausto in ipso calice, [2]ut aiunt, veneno obiit, et successit ei [3]Rogerus, archidiaconus Cantuariensis. Eodem anno dux Normannorum Henricus transfretavit in Normanniam, et revocavit paulatim in jus proprium dominia sua, quæ pater ejus dederat, et inde profectus in Aquitaniam rebellionem quorundam baronum suorum potenter repressit. Eodem anno, defuncto papa Anastasio, successit ei Nicolaus,[4] Albanensis episcopus, et vocatus est Adrianus, vir quidem religiosus et natione Anglicus, de territorio scilicet sancti Albani procreatus. Eodem tempore facta est concordia inter regem Francorum Lodowicum et ducem Normannorum Henricum, hoc modo; Rex reddidit duci Vernolium et Novum-mercatum, et dux dedit ei duo millia marcas argenti pro resarciendis damnis, quæ rex perpessus fuerat in capiendis ac tenendis et in eisdem firmitatibus muniendis.

De morte regis Stephani et coronatione regis Henrici.

Death of Stephen. Eodem anno rex Anglorum Stephanus, miles egregius et mente piissimus, octavo kalendas Novembris [5]diem clausit extremum; cujus corpus in monasterio de Faveresham, quod ipse a

[1] *Pusat,*] or Pudsey, or Pusar; he died in 1194; see his character by Will. Newburgh, i. p. 250.

[2] *Ut aiunt.*] Gervas. col. 1375. Compare Newburgh, i. p. 86.

[3] *Rogerus.*] He died in 1181; see his life by Newburgh, i. p. 267.

[4] *Nicolaus*] Breakspear, bishop cardinal of Albano, was elected pope in Dec. 1154, and died 1st Sept. 1159; see Paris's life of Robert, abbot of S. Alban's, p. 66.

[5] *Diem clausit extremum.*] He died in Christ-Church monastery, Canterbury.

fundamentis construxerat, traditur sepulturæ, ubi paulo ante Matildis uxor ejus et Eustachius eorum filius sunt sepulti. A.D. 1154.

Dux vero Normannorum Henricus, audito de morte regis veridico nuntio, venit Barbefluvium et ibi per mensem unum ad transfretandum ventum congruum exspectavit. Erat interim in Anglia pax summa, quod raro contingit regibus defunctis, ob amorem et timorem ducis Henrici, quem omnes venturum et regem futurum sperabant. Dux igitur Henricus, octavo idus Decembris in Angliam veniens, cum magno cleri et populi tripudio exceptus est; et [1]decimo quarto kalendas Januarii, die Dominica ante nativitatem Domini, apud Westmonasterium ab omnibus rex acclamatus a Theobaldo, Cantuariensi archiepiscopo, in regem est consecratus, præsentibus archiepiscopis, episcopis et baronibus regni Anglorum et ducatus Normannorum. Qui continuo in regem promotus cœpit in jus proprium revocare urbes, castella et villas, quæ ad coronam spectabant; castra adulterina destruendo, alienigenas, et maxime Flandrenses, de regno expellendo, et quosdam pseudo-comites, quibus rex Stephanus pæne omnia ad fiscum pertinentia minus caute contulerat, deponendo. Eodem anno rex Hierosolymarum Baldewinus, copioso nimis exercitu congregato, [2]Ascalonam Arrival of duke Henry.

[1] *Decimo quarto.*] Gervase reads 'decimo sexto,' but it may be fairly doubted whether the monk originally differed in his statement from that of the other chroniclers, since in the text the passage runs thus; 'Deinde Londoniam petiit, proxima Dominica ante nativitatem Domini coronandus; *igitur* sexto decimo kal. Jan. coronatus est.' The 'igitur' would here certainly appear to indicate that the coronation took place on the Sunday, according to the original intention, and the Sunday in this year fell upon the xiv. kal. Jan. or 19th Dec.

[2] *Ascalonam.*] The history of the siege of Ascalon may be found at length in William of Tyre, p. 923, *seqq.*

A.D. 1154. obsidione vallavit, et diuturna urbem afflictione opprimens tali eam conditione obtinuit, ut Turci, qui in ipsa erant, cum uxoribus, liberis et suis omnibus liberum inde haberent recessum; civitate igitur regi resignata, concessit eam fratri suo Joppensi comiti de se tenendam.

De vita sancti Wlfrici heremitæ.

Life of S. Wilfric. Eodem anno sanctus anachorita et solitarius Wlfricus de [1]Heselberga migravit ad Dominum, postquam viginti et novem annis contra hostes humani generis confligens felici marte victoriam reportavit; de cujus vita et virtutibus, ad historiæ decorem, vel parvam utile duximus facere mentionem. Beatus vir Wlfricus, ex mediocri Anglorum gente oriundus, in Contona, villa a Bristollo octo milliaribus distante, natus, nutritus est et conversatus; ibi etiam per annos aliquot sacerdotis officium exercuit, quod in ætate juvenili levitate potius mentis quam rationis desiderio creditur accepisse, quippe nondum cognoscebat Dominum, unde carne magis quam spiritu ducebatur; nam canum simul et avium curis sollicitus incumbens, dum die quodam in hujus generis exercitio non segniter instaret, adfuit vir subito vultum pauperis gerens et habitum, qui nummum novum ab eo supplex in eleemosynam postulavit; habebat autem tunc temporis Anglia novam monetam in diebus Henrici regis primi, sed adhuc raram, præ numismatis novitate. Cui cum Wlfricus se nescire diceret, si novum nummum haberet, 'Respice,' ait, 'loculum tuum, et invenies in eo duos nummos et semis;' quo ille responso obstupescens inspexit, et, ita ut dictum sibi fuerat reperiens, quod petebatur

[1] *Heselberga*,] perhaps Haselbury, in Wiltshire; Gervase says that it was 'in provincia Dorsetensi.'

devotus donavit; homo autem ille, cum denarium accepisset, ait, 'Retribuat tibi is, pro cujus amore hoc fecisti; et ego tibi in nomine ejus denuntio, quia ex hoc loco in brevi ad alium migraturus es, et inde ad alium transiens requiem tandem invenies, ibi usque in finem in Dei servitio perseverans, et novissime eris ad sanctorum collegium evocandus.' A.D. 1154. Life of S. Wilfric.

De conversione sancti Wlfrici heremitæ et vitæ asperitate.

Deinde post paululum in opus sacerdotale Willelmo, domino villæ in qua natus fuerat, adhærens panem quotidie in mensa ejus comedit, ubi et in fortitudine multa lumbos suos accingens usui penitus carnium abdicavit. At vir Dei toto jam desiderio solitudinem suspirans a domino suo, milite supradicto, ad aliam directus est villam, nomine Haselbergam, quæ ab Exonia versus orientem triginta milliaribus distare videtur, Spiritu Sancto, ut creditur, hoc dictante, ubi, in cellula ecclesiæ contigua Christo se consepeliens, multo labore multaque carnis ac spiritus afflictione Christi sibi gratiam comparavit; nam tanto jejunio et abstinentia, tantaque vigiliarum instantia, membra sua mortificabat super terram, ut pellis in brevi ossibus adhærens, non jam carnalem virum, sed spiritualem in humano corpore, intuentibus exhiberet. Vestitu simplici cilicio intus inhærente contentus erat, quod cum ex consuetudine infra dies paucos induraverat, usum loricæ incipit affectare; quod dominus ejus, miles præfatus, cum cognovisset, loricam unam contulit viro Dei, et vas bellicum cælesti militiæ consecravit. Noctibus in vas quoddam cum frigore et nuditate aqua plenum frigida descendere solebat, in quo psalmos Davidicos Domino offe-

A.D. 1154. Life of S. Wilfric.

rebat, et sic aliquamdiu perseverans carnis incentiva, cujus acerrimos patiebatur stimulos, mortificabat in aquis. Humilis erat cunctis in eloquio et jucundus, cujus sermones cælestem quandam harmoniam audientibus redolebant, licet hominibus semper clausa fenestra loqueretur.

Miraculum memorabile de incisione loricæ ejus.

Inter[1] hæc vir Dei Wlfricus, soli Deo cognitus, in notitiam hominum ad eorum salutem quasi mane novum prorupit; nam lorica, qua induebatur, cum se genibus ejus allideret, et genuflexionum ejus instantiam præpediret, militem sui conscium secreti advocat et apud eum de nimia longitudine loricæ causatur; ad quem miles, 'Mittetur,' inquit, 'Londonias, ut sicut ipse designaveris incidatur.' Respondens vir Dei dixit, 'Nimiam moram haberet res ista, nec posset ostentationis nota carere; sed tu,' inquit, 'has forfices coram Deo apprehende, et manu propria hoc opus absolve;' deditque in manibus ejus forfices de ipsius militis domo allatas, et militi hæsitanti et ipsum delirare existimanti ait, 'Constans esto et vide ne trepides, ego vado pro hac re orare Dominum meum, et interim huic operi fiducialiter incumbe.' Instat uterque miles, unus orationi et alter incisioni, et est opus in eorum manibus prosperatum, putabat enim miles non se ferrum incidere, sed pannum, dum tanta facilitate in ferro forfices incurrerunt; sed, viro Dei ante operis consummationem ab oratione cessante, coactus est ab incisione cessare. Adstitit Wlfricus militi et, qualiter res profecerit, percunctatur; 'Bene,' inquit, 'hactenus, sed nunc, te adveniente, ruptæ forfices substiterunt;' et ille, 'Non te moveat

[1] *Inter hæc.*] The following anecdote of Wilfric is related also by Gervase under the year 1146, col. 1361.

hoc,' inquit, 'sed cum eisdem forficibus perfice quod cœpisti;' miles itaque, resumpta fiducia, facilitate qua prius rem feliciter consummavit, et quicquid inæquale erat sine difficultate aliqua coæquavit. Ex tunc vero vir Dei, absque forficibus, cum digitis suis debilibus non fide minori annulos loricæ, ad varia sanitatum remedia, cunctis caritative petentibus dividens ministrabat; hanc autem miles virtutem videns, admiratione ineffabili stupefactus corruit ad pedes viri Dei, quo facto Wlfricus confusus erectum militem adjuravit, ne dum viveret hæc alicui revelaret; sed rei fama celebris celari non potuit, cum plures viri religiosi de eadem lorica annulos se habere gaudeant, et fama celebris viri Dei totius regni fines circumquaque perlustret. A.D. 1154. Life of S. Wilfric.

De homine, qui diabolo homagium fecerit, a viro Dei liberato.

In aquilonalibus Angliæ partibus homo quidam erat valde miserabilis, qui fortunam paupertatis non æque ferens diabolo manus dedit et homagium ei fecit. Diabolus autem, cum captæ prædæ suæ aliquamdiu incubuisset, miser ille intelligens reatum suum pœnitere cœpit, circumspiciens et deliberans, cui se patrono committeret, qui illum a morte animæ liberaret. Postremo beatum Wlfricum adire deliberavit, in cujus manu salus quiescere dicebatur, et de progressu suo valde sollicitus, cum cuidam suorum id ipsum revelasset, adstitit ei diabolus in effigie consueta et nota, illum proditionis arguens castigatione crudeli se ipsum punire minatur, si quid tale de cætero attentaret; at homo ille sibi silentium imponens vidit manifeste, quod inimicus ejus cogitationes cordis sui non cognovisset, nisi eas prius per verbum prodidisset vel signum. Dissimulato

A.D. 1154. Life of S. Wilfric.

itaque aliquamdiu pœnitentiæ suæ proposito, iter tandem præmeditatum arripuit, ut ad Wlfricum Dei amicum veniret, et, transacto longo viæ spatio, ad vadum quidem illius fluminis, quod extra Heselbergam situm est, accessit, iter suum Domino prosperante; vir autem ille, cum vadum fuisset ingressus et de beati Wlfrici subventione spem certam concepisset, supervenit diabolus ira gravi succensus, et manus in hominem violentas immittens infremuit et ait, 'Quid est,' inquit, 'proditor, quod facere voluisti? Moliris pactum nostrum dissolvere, sed frustra, quia proditionis, qua olim Deo renuntiasti et qua nunc mihi renuntiare cogitas, solvere pœnas modo debes, quia jam miserabiliter submergeris;' et tenens eum diabolus ita immobilem fecit, quod nec procedere nec in latus aliquod valuit declinare. Dum hæc agerentur in flumine, vir Dei Wlfricus, rebus quæ fiebant a Deo sibi per spiritum prophetiæ revelatis, vocavit presbyterum suum ad se, nomine Brithricum, et ait, 'Accelera,' inquit, 'et assumpta cruce cum aqua benedicta occurre homini, quem diabolus in vado, quod extra villam est, captivum tenet, et aspergens eum aqua benedicta adduces ad me;' at ille cum summa celeritate ad imperata iter arripiens invenit, sicut ei dictum fuerat, hominem in vado equo insidentem, ita et in aqua immobiliter fixum, quod de loco non potuit se movere; quem ut vidit Brithricus, protinus in virtutem magistri sui aqua benedicta hominem perfundens in nomine Jesu Christi prædam excussit et prædonem fugavit, sicque captivum de aquis assumens cum lætitia duxit ad virum Dei, qui interim pro miseria ejus orans manus habebat ad Deum. Sequebatur a tergo dæmon quondam hominem suum, quem videns stantem ante virum Dei apprehendit eum cla-

mantem et dicentem, 'Serve Dei, succurre mihi, ecce invadit me inimicus meus.' Sanctus autem apprehendit manum hominis dextram, et diabolus sinistram tenens cum virtute trahebat, et, sic trahentibus illis, vir Domini Wlfricus una manu captivum tenuit, et altera aqua, quam benedixerat, contra faciem inimici aspergens ipsum valde confusum ab ædibus effugavit; at vir Dei hominem tremebundum de faucibus mortis ereptum in interiorem cellam suam duxit, tenens eum ibi donec per confessionem pœnitens ille virus, quod dæmon infuderat ei, ad pedes sancti evomuit. Tunc homo, viribus resumptis, corpus Domini a sancto Wlfrico sibi oblatum in specie carnis conspexit, et interrogatus, si ex toto corde crederet, 'Credo, domine,' inquit, 'quia corpus et sanguinem Domini mei in manibus tuis sub specie carnis video ego miser et peccator;' cui vir sanctus, 'Deo gratias,' inquit; 'nunc simul oremus, ut in specie consueta illud percipere merearis;' sicque communicatum hominem et in fide confirmatum dimisit in pace. Obiit autem amicus Dei sanctus Wlfricus [1]decimo kalendas Martii, et in oratorio suo sepultus est apud Heselbergam, quo in loco, ad laudem Dei et gloriam sancti, innumera fiunt miracula usque in diem hodiernum. A.D. 1154. Life of S. Wilfric.

De genealogia Henrici regis.

Anno Domini MCLV. natus est Londoniis [2]pridie kalendas Martii Henrico, novo Anglorum regi, ex regina Alienor filius legitimus et vocatus est [3]Henricus. Fuit autem magnificus rex Henricus filius Matildis, quæ prius fuerat imperatrix Romanorum et postea comitissa Andega- A.D. 1155. Descent of Henry II.

[1] *Decimo kalendas Martii.*] See Wilson's Martyrologe, edit. 1608, p. 49.

[2] *Pridie kalendas Martii.*] 'Mense Martio;' Gervas.

[3] *Henricus.*] Crowned king by command of his father in 1170; married, in 1173, Margaret, daughter of Louis VII. of France; died in 1182.

A.D. 1155. vensium; cujus mater fuit Matildis, regina Anglorum, uxor regis Henrici primi et filia sanctæ Margaretæ Scotorum reginæ; Margareta filia fuit Eadwardi, quam genuit ex Agatha sorore Henrici imperatoris Romani; Eadwardus fuit filius regis Eadmundi, qui Latus-ferreum dicebatur, cujus pater rex Ethelredus, cujus pater rex Eadgarus pacificus, cujus pater Eadmundus, cujus pater Eadwardus senior, cujus pater nobilis rex Alfredus, qui fuit regis Athulfi, qui fuit regis Egbrihti, qui fuit Alcmundi, qui fuit Eoffa, qui fuit Eoppa, qui fuit Ingels, cujus frater Ine famosissimus rex Anglorum, quorum pater fuit rex Kenredus, qui fuit regis Ceolwaldi, qui fuit Cutha, qui fuit Cuthwini, qui fuit Ceaulini, qui fuit Cuthrici, qui fuit Creodda, qui fuit Certic, qui fuit Elesa, qui fuit Egla, qui fuit Wig, qui fuit Frewine, qui fuit Freothegar, qui fuit Broand, qui fuit Beldai, qui fuit Woden, qui fuit Fretewald, qui fuit Freolater, qui fuit Frethewlf, qui fuit Fringolduff, qui fuit Getha, qui fuit Tatwa, qui fuit Beau, qui fuit Seldwa, qui fuit Heremod, qui fuit Itermod, qui fuit Hathra, qui fuit Wala, qui fuit Bedwi, qui fuit Sem, qui fuit Noe.

Mixed events. Eodem anno rex Anglorum Henricus exhæredavit [1] Willelmum Peverel causa veneficii, quod Ranulfo,[2] comiti Cestriæ, fuerat propinatus; in hujus pestis consortio plures conscii exstitisse dicuntur. Eodem tempore rex Henricus fecit jurare fidelitatem filiis suis de regno Angliæ, Willelmo et Henrico. Eodem tempore defuncto Roberto, Exoniensi episcopo, [3] Robertus, Saris-

[1] *Willelmum Peverel.*] He fled to a monastery in Nottingham where he became a monk; all his possessions fell into the king's hands; Gervas. 1377.

[2] *Ranulfo, comiti Cestriæ.*] Ralph de Gernons; compare Gervas. 1374.

[3] *Robertus.*] Robert Warelwast succeeded Robert Chichester in this year, and died in 1159

beriensis decanus, successit. Per idem tempus Henricus, Wintoniensis antistes, præmisso thesauro suo per abbatem Cluniacensem, absque licentia regis ab Anglia clam recessit, quapropter rex tria ejus complanari fecit [1]castella. Circa eosdem dies Hugo de Mortuo-mari, vir arrogantissimus, castella sua contra regem munivit, turrim scilicet [2]Gloverniæ, Wiggemor et Breges, sed rex superveniens omnia usque ad novissimum cepit et subvertit; sed postea cum rege pacificatus est. Sub eisdem diebus Lodowicus, rex Francorum, duxit filiam Alfonsi, regis Hispaniæ, cujus regni caput civitas est Toletum; quem, quia principatur regulis Arragonum et Galiciæ, imperatorem Hispaniarum appellant. Eodem tempore [3]Thomas, Cantuariensis archidiaconus, Beverlacensis præpositus et canonicus in diversis per Angliam ecclesiis adscriptus, factus est regis cancellarius. A.D. 1155.

Quod papa Adrianus Hiberniæ insulam regi Anglorum dederit.

Per idem tempus rex Anglorum Henricus nuntios solemnes Romam mittens rogavit papam Adrianum, ut sibi liceret Hiberniæ insulam hostiliter intrare et terram subjugare, atque homines illos bestiales ad fidem et viam reducere veritatis, exstirpatis ibi plantariis vitiorum; quod Letters of Adrian to the king.

[1] *Castella.*] He afterwards returned to his see, was reconciled to the king, and died in 1171.

[2] *Gloverniæ ... Breges.*] 'Cleoberi, Wiggemore et Bruges;' Gervas. Gloucester, Worcester, Bridgnorth, Wigmore, and Cleobury.

[3] *Thomas*] Becket. Gervase gives the following interesting account of the character of this celebrated man; 'Cernebat quippe pontifex præfatum Thomam, frequenti experientia jam doctus, in agendis strenuum, in consiliis fidum, in dubiis securum, in adversis magnanimum, in apparatu magnificum, in largiendo munificum, ad jussa promptum, in obsequio sedulum et in omni opere providum et discretum;' col. 1377.

A.D. 1155. papa regi gratanter annuens hoc sequens ei privilegium destinavit;

Adrian to the king, concerning Ireland.

'Adrianus[1] episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio, illustri Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem. Laudabiliter et satis fructuose de glorioso nomine tuo propagando in terris, et æternæ felicitatis præmio cumulando in cælis, tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos ecclesiæ terminos, ad declarandum indoctis et rudibus populis Christianæ fidei veritatem, et vitiorum plantaria de agro Dominico exstirpanda, sicut catholicus princeps intendis, et ad id convenientius exsequendum consilium sedis apostolicæ exigis et favorem; in quo facto quanto altiori consilio et majori discretione procedis, tanto in eo feliciorem progressum te, parante Domino, confidimus habiturum. Significasti siquidem nobis, fili in Christo carissime, te Hiberniæ insulam, ad subdendum populum legibus Christianis et vitiorum inde [2]plantaria exstirpanda, velle intrare, et de singulis domibus annuam unius denarii beato Petro velle solvere pensionem, et jura ecclesiarum illius terræ illibata et integra conservare; nos autem pium et laudabile desiderium tuum favore congruo prosequentes, et petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum et acceptum habemus, ut pro dilatandis ecclesiæ terminis, pro vitiorum restringendo discursu, pro corrigendis moribus et virtutibus inserendis, pro Christianæ religionis augmento, insulam illam ingrediaris et quæ ad honorem Dei et salutem illius terræ spectaverint exsequaris, et illius terræ populus te recipiat et sicut dominum veneretur, jure ecclesiarum illibato et integro perma-

[1] *Adrianus.*] Compare Rymer, i. p. 15; Baron. Annal. ad an. 1159, § xxi.

[2] *Plantaria exstirpanda.*] 'Plantariis exstirpandis' in MS.

nente, et salva beato Petro de singulis domibus annua unius denarii pensione. Sane omnes insulas, quibus sol justitiæ Christus illuxit et quæ documenta fidei Christianæ susceperunt, ad jus beati Petri et sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, quod tua etiam nobilitas recognoscit, non est dubium pertinere; si ergo quod animo concepisti effectu duxeris prosequente complendum, stude gentem illam bonis moribus informare, et agas tam per te quam per illos, quos ad hoc fide verbo et vita idoneos esse perspexeris, ut decoretur ibi ecclesia, plantetur et crescat fidei Christianæ religio, et quæ ad honorem Dei et salutem pertinent animarum taliter ordinentur, ut et a Deo sempiternæ mercedis cumulum consequi merearis, et in terris gloriosum nomen valeas in seculis obtinere.' A.D. 1155.

De inventione tunicæ inconsutilis Domini Salvatoris.

Anno Domini MCLVI. in pago Parisiacensi, monasterio Argentoilo, revelatione divina tunica Salvatoris inconsutilis et subfusci coloris reperta est, quam, sicut literæ cum ea repertæ indicabant, gloriosa mater ejus fecerat ei dum adhuc puer esset. Eodem anno rex Henricus in Normanniam transiens cepit longa obsidione castella [1]Mirebellum et Chinonem, Losdunum vero antea in jus suum receperat; nam et paulo ante cum frater ejus Gaufridus, qui, expulso comite Britanniæ Hoelo, Nanneticam, civibus consentientibus, ceperat civitatem, hac conditione cum rege pacificatus est, ut rex daret ei singulis annis mille libras Anglicæ monetæ et [2]Andegavensium duo millia, A.D. 1156. Legend.

[1] *Mirebellum . . . Losdunum.*] Mirabeau, Chinon, and Loudun.

[2] *Andegavensium.*] 'One penny of Anjovin money was but a fourth part of the value of a penny English, for Hoveden in R. i. p. 384, b. says, One penny English was to go in all markets for four Anjovin pence.' Tyrrell, ii. p. 302.

A.D. 1156. et sic inter eos discordia est sopita mense Julio. Eodem anno rex Siciliæ Willelmus civitatem Barum funditus evertit, Græcos superavit, civitates et castella sibi prius ablata in jus suum revocavit, cum papa Adriano pacem fecit, consecrationes episcoporum regni sui ei concedendo. Tunc Alienor, regina Anglorum, peperit regi filiam, quam [1]Matildem nuncupavit.

De presbytero, qui castitatis amore seipsum castravit.

Legend. Circa dies istos heremita quidam, vir modestus et sanctus, in Hibernia non longe a purgatorio, de quo supradictum est, in loco deserto degebat, in cujus horto omni fere nocte dæmones visibiliter convenerunt, et statim post solis occasum congregati placitum ibi tenuerunt, ante solis inde ortum recedentes; rationem quoque ibi reddebant dæmones principi dæmoniorum, quid mali fecerint in hominibus decipiendis, quorum confabulationes audivit vir sanctus manifeste et eorum figuras deformes visibiliter conspexit. Ad ostium cellulæ ejus conveniunt, sed, quoniam intrare non possunt, nudas illi sæpe mulieres ostendunt; sicque fit ut heremita ille, per confabulationes eorum, vitam illius regionis multorum hominum cognoscat. Erat autem in patria illa sacerdos quidam sanctæ vitæ et honestæ, qui parochiam regebat, cujus consuetudo talis, ut quotidie mane surgens cœmeterium circumiret et pro animabus omnium, quorum ibi corpora quiescebant, septem psalmos devotus cantaret; caste præterea vixit, et bonis operibus atque sanctæ doctrinæ sollicite studium impendit. Dæmones vero in concilio suo multotiens conquesti sunt de eo, quod nullus eorum a proposito ipsum

[1] *Matildem*;] afterwards married to Henry the fifth, surnamed the Lion, duke of Saxony and Bavaria; she died in 1189.

flectere potuisset; increpabat autem satellites suos princeps dæmonum, quod tam diu presbyter inflexibilis perstitisset. Tunc accedens unus eorum, 'Ego,' inquit, 'decipiam eum, quia paravi ei mulierem per cujus pulchritudinem subjicietur nobis, sed hoc facere non potero nisi infra quindecim annos;' 'Si infra hunc terminum,' ait magister, 'illum deceperis, magnam rem faceres.' Contigit autem eo tempore, ut sacerdos juxta consuetudinem mane cœmeterium circumiens, infantulam juxta crucem in cœmeterio positam inveniret; quam accipiens presbyter, pietate motus, nutrici eam commendavit et illam in filiam adoptavit, et, quia sanctimonialem eam facere proposuit, literas discere fecit; quæ, cum annos pubertatis attigisset, erat puella nimis speciosa, unde presbyter cœpit tentari in concupiscentia ejus, et quo secretius, eo frequentius, presbyter tentatus nuper consensum petiit et invenit, nec tamen adhuc de carnis immunditia aliquid agebatur. Nocte itaque sequenti postquam puella actionem presbytero concessisset, dæmones, qui in horto heremitæ ex more convenerant, magnum de consensu facto gaudium conceperunt; dæmon autem, qui sacerdotem decipere promiserat, magistro suo dicebat, 'Ecce presbyter, quem per mulierem me decepturum dixeram, jam feci quod a virgine, quam in filiam adoptaverat et sanctimonialem facere decreverat, consensum stupri petens impetravit, et cras hora meridiana opus nefarium ad effectum perducam;' gratias ergo ei magister egit et viriliter ipsum fecisse dicebat. Die itaque crastino presbyter puellam vocans introduxit illam in cubiculum suum et eam in lecto collocavit, et stans ante lectum in tentatione positus cogitavit quid esset facturus, et tan- A.D. 1156. Legend.

A.D. 1156. Legend.

dem ad se reversus jussit, ut puella exspectaret donec ad illam rediret, et sic ad ostium cubiculi divertens cultrum arripuit et propria membra virilia abscindens foras projecit. 'Quid,' inquit, 'putastis dæmones, quod non intellexerim tentationes vestras? De perditione mea vel filiæ meæ non gaudebitis, quia nec me nec ipsam habebitis.' Sequenti quoque nocte, cum diabolus interrogaret discipulum quid de presbytero actum fuisset, respondit, se omnem laborem amisisse, et qualiter sacerdos seipsum castraverat, cunctis audientibus, enarravit; jussit ergo magister, ut dæmon ille graviter flagellaretur, et sic conventus solvitur spirituum immundorum; sacerdos autem puellam, quam nutriverat, Deo servituram sanctimonialibus [1]commendavit.

Quod reges Anglorum et Scotorum mutua jura sibi ad invicem reddiderunt.

A.D. 1157. Henry's terms with Malcolm of Scotland.

Anno Domini MCLVII. rex Anglorum Henricus transfretavit in Angliam, [2]et rex Scotorum Malcolmus reddidit ei civitatem Karleolum, Bamburgi castrum et Novum-castellum super Tynam, et totum comitatum Lodonensem, et rex reddidit ei Huntendoniæ comitatum. Willelmus similiter, filius regis Stephani nothus, qui erat comes Moretonii et de Warrenna, reddidit regi Pevenesel et Norwicum, et omnes munitiones suas in Anglia et Normannia, quas ex dono regis Stephani possidebat, et rex Henricus dedit ei quicquid pater ejus rex Stephanus habuit die,

---

[1] *Commendavit.*] In this year also, as Paris records, died Prince William, eldest son of Henry the second, when five years old. He was buried at Reading.

[2] *Et rex Scotorum Malcolmus.*] Hoveden says, that Malcolm became the liege man of Henry, 'eodem modo, quo avus suus fuerat homo veteris Henrici, salvis omnibus dignitatibus suis.' On the meaning of the word 'dignitas' in this passage see Dr. Lingard's note.

quo rex Henricus primus mortuus fuit et vivus; et tempore eodem Hugo Bigod castella sua regi resignavit. [1]Eodem anno rex Henricus magnam paravit expeditionem, ita ut duo milites de tota Anglia tertium invenirent, ad expugnandum Wallenses per terram et per mare; intrans ergo Walliam rex, exstirpatis silvis, nemoribusque succisis, atque viis patefactis, [2]castrum Roelent firmavit, alias munitiones antecessoribus suis surreptas potenter revocavit, castellum etiam Basingewerc restauravit, et, Wallensibus ad libitum subjectis, cum triumpho Angliam repetivit. Eodem anno natus est Henrico regi ex Alienor regina filius apud Oxoniam et vocatus est [3]Richardus; et hucusque [4]Robertus, abbas de Monte sancti Michaelis, chronica sua digessit. A.D. 1157.

Quod rex Henricus coronam [5]portavit.

Anno Domini MCLVIII. rex Anglorum Henricus in [6]Dominicæ nativitatis die apud Wigorniam coronatus est, ubi post celebrationem divinorum sacramentorum, coronam super altare posuit, nec ultra coronam portavit. Eodem anno Alienor regina filium peperit, quem [7]Gaufridum vocavit; et eodem anno nova moneta fuit in Anglia fabri- A.D. 1158. Coronation of the king at Worcester.

---

[1] *Eodem anno.*] Compare Will. Neubrig. ii. p. 116; where it appears that the subjection of the Welch cost the king many men and much trouble.

[2] *Castrum Roelent.*] Ruthlan castle in Flintshire.

[3] *Richardus;*] afterwards Richard the first.

[4] *Robertus.*] His chronicle extends to the year 1182, as his prologue testifies; see Rec. des Hist. xiii. p. 326. In Labbe's Nov. Bibl. MSS. i. 390, is an abridged chronicle in continuation of Sigebert, ending with the year 1162, which may afford some clue to the error of the text.

[5] *Portavit,*] for 'posuit;' a later hand has nearly erased the word.

[6] *Dominicæ nativitatis die.*] On Easter-day in the following year, according to Hoveden, p. 491. Eleanor was crowned with him.

[7] *Gaufridum,*] duke of Bretagne and earl of Richmond; he was killed accidentally at a tournament at Paris, in 1186.

A.D. 1158. cata. Eodem anno Thomas, regis cancellarius, in apparatu[1] magno Parisius venit, Margaretam, regis Francorum filiam, Henrico, filio regis Anglorum, in conjugem accepturus. Eodem anno, Gaufrido fratre regis Anglorum defuncto, idem rex transiens Nanneticam civitatem in jus suum recepit; quo etiam tempore rex Henricus a rege Francorum invitatus venit Parisius et receptus est in palatio regis, rege Francorum cum regina sua in claustro canonicorum beatæ Mariæ virginis hospitante.

Quod rex Anglorum Henricus Tholosam obsedit.

A.D. 1159. Siege of Tholouse. Anno Domini MCLIX. rex Anglorum Henricus duxit exercitum versus Tholosam et cepit castella fortia vicina ejus, rege Francorum interim in urbe jugiter commorante; sed rex Anglorum ipsam[2] civitatem non assiluit, ob reverentiam regis Francorum, cujus sororem Constantiam comes Tholosanus duxerat in uxorem et ex ea liberos susceperat, qua de causa reges inimici facti sunt, sicut exitus rerum postmodum declaravit. Eodem anno defuncto papa Adriano, schisma oritur inter duos, [3]Alexandrum scilicet et Octavianum, nam imperator cum clero suo receperat Octavianum, sed a regibus Francorum

---

[1] *Apparatu magno.*] An amusing account of the state in which Becket travelled is given in his life by Fitz-Stephen, p. 20.

[2] *Ipsam civitatem non assiluit.*] It was Becket's advice that the city should be stormed and the king, who was there, taken. Fitz-Stephen says, that the king in not yielding was actuated by 'vana superstitio et reverentia;' p. 22. Becket remained after Henry's departure, and 'ipsemet lorica indutus et galea' took three castles, before considered impregnable.

[3] *Alexandrum,*] the third; he retired to France in 1162, upon Octavian, or Victor, as he called himself, being recognised by the emperor Frederic Barbarossa. In 1165 he returned to Rome, whence he was again obliged to fly in 1167 by the emperor, who besieged and took the city; nor was it until 1178 that he obtained undisputed possession of the chair. He died 30th Aug. 1181.

et Anglorum consensum est in Alexandrum; imperator autem ad dictos reges literas direxit, ut Octavianum reciperent, sed, ipsis contradicentibus, papatum obtinuit Alexander. A.D. 1159.

Quod Henricus, Anglorum rex juvenis, uxorem duxit.

Anno Domini MCLX. rex Anglorum Henricus a Tholosa reversus Margaretam, filiam regis Francorum, quam in sua custodia habebat, Henrico filio suo [1]desponsari fecit, et castellum de Gisors diu desideratum recepit, quod, ut ait rex Francorum, præpropere factum fuerat, [quapropter] indignatus est valde; unde cum auxilio Theobaldi, comitis Flandrensis, ad dedecus regis Anglorum Calvum-montem firmavit, sed rex Anglorum festinus adveniens, rege Francorum et comite fugatis, castrum obsedit et infra dies paucos ad deditionem inclusos coegit: capti sunt autem intus milites quinquaginta quinque. Et sic celebratum est matrimonium inter filium regis Anglorum septennem et filiam regis Francorum triennem, auctoritate scilicet Henrici Pisani et Willelmi Papiensis, presbyterorum cardinalium, et sedis apostolicæ legatorum, quarto nonas Novembris apud Novum-burgum. Eodem anno Theobaldus, Cantuariensis archiepiscopus, diem clausit extremum. A.D. 1160. Marriage of Prince Henry.

De consecratione B. Exoniensis episcopi et de miraculo quod vidit.

Anno Domini MCLXI. [2]Bartholomæus, vir religiosus et in theologicis disciplinis ad sufficien- A.D. 1161. Bartholomew, bishop of Exeter.

[1] *Desponsari fecit.*] The cause of Henry's haste in this marriage was to obtain possession of the princess's dower, which he feared might be eventually lost, in consequence of the marriage of Louis with Adelaide, niece of Stephen, immediately after the death of his queen, Constantia. Compare Neubrig. ii. pp. 182, 183.

[2] *Bartholomæus.*] Bartholomæus Iscanus; he died the 15th Dec. 1184; Martyr. Eccl. Exon.

A.D. 1161. tiam eruditus, a Waltero, Roffensi episcopo, consecratus est antistes Exoniensis. De hoc Bar-
His vision. tholomæo venerabili viro fama refert notissima, quod, dum lucris animarum devotus intendens parochiam visitaret, in villa quadam campestri cum suis clericis pernoctavit. Dormiens igitur de nocte in solario quodam, quod ecclesiæ villæ ac cœmeterio imminebat, cum circa noctis medium ad nocturnam synaxim Deo persolvendam evigilasset, lumen, quod coram illo ardere consueverat, apparebat exstinctum; episcopus autem cubicularium suum graviter objurgans, quod in tenebris dormiret, præcepit ut velociter lumen quæreret et inferret. Interea vero antistes, dum luminis adventum vigilans exspectaret, audivit voces quasi infantum innumerabilium de cœmeterio exeuntes plangentium et dicentium manifeste, 'Væ nobis, væ nobis! Quis amodo pro nobis orabit et eleemosynas dabit, vel pro nostra salute missas celebrabit?' Audiens autem has voces episcopus obstupuit vehementer, supra modum quid significarent admirans. Cubicularius quoque ejus lumen interim quærens, cum neque in aula neque in coquina ignem reperisset, exivit in villam anxius, et, multis jam ædibus perlustratis, lumen optatum non invenit; tandem, cum quærendo huc illuc quandoque diu discurrisset, vidit lumen quasi in ultima domo villæ, et illuc se cum festinatione conferens invenit in domo cujusdam hominis corpus exanime, et cum presbytero villæ multos utriusque sexus homines circumstantes et præ dolore defuncti flentes et capillos sui capitis detrahentes; at cubicularius episcopi, super his quæ vidit non multum sollicitus, lumen posuit in laterna sua, et cum festinatione ad episcopum reversus quæ sibi acciderant per ordinem enarravit. Cantatis igitur matutinis, cum crastina

dies illuxisset, fecit episcopus convenire pres- A.D. 1161.
byterum cum quibusdam hominibus villæ, et sciscitatus ab eis diligenter, quis homo ille nuper defunctus esset et qualis vitæ ante obitum in sæculo exstitisset; qui omnes fatebantur de eo, quod esset vir justus ac timens Deum, pater orphanorum et consolatio miserorum, ut qui omnem substantiam suam in pauperibus, dum viveret, et hospitibus erogavit; tenuit præterea in domo sua presbyterum, cui de proprio omnia necessaria ministravit, qui commendationes animarum et missarum suffragia diebus singulis pro defunctis fidelibus celebravit. Hæc autem cum audisset episcopus, intellexit continuo voces, quas audierat de cœmeterio emissas, nihil aliud esse quam voces animarum illorum corporum, quæ in cœmeterio quiescebant, plangentes de morte hominis et gementes, per quem dum vixerat eleemosynarum et missarum habere suffragia meruerunt. Tunc episcopus, vocato ad se presbytero, qui sub viro defuncto missas pro defunctis celebraverat, dedit ei portionem in ecclesia villæ, statuens et illi injungens, ut, quamdiu viveret, missam et obsequia defunctorum diebus singulis celebraret.

Quod reges Francorum et Anglorum in concordiam convenerunt.

Anno Domini MCLXII. Lodowicus, rex Fran- A.D. 1162. Peace with France.
corum, et Henricus, rex Anglorum, armatorum copiis undique congregatis, cum jam campestre prælium inter eos imminere putaretur prope Fretevallem, [1]amici subito sunt effecti. Eodem anno Alienor, Anglorum regina, apud Rotho-

[1] *Amici subito sunt effecti.*] Rymer has a bull of Alexander III., 'pro pace reformanda inter regem Angliæ et regem Franciæ,' addressed to Henry II. in this year; i. p. 21.

A.D. 1162. magum [1] filiam peperit et ei nomen suum imposuit. Hoc etiam anno Richardus, Londoniensis episcopus, viam universæ carnis ingressus est. Per idem vero tempus rex Henricus fecit jurare fidelitatem Henrico filio suo de hæreditate sua, et inter omnes magnates regni Thomas cancellarius primus fidelitatem juravit, salva fide regis patris quamdiu viveret et regno præesse vellet.

Quod Thomas, regis cancellarius, in archiepiscopum eligitur.

Thomas Becket, archbishop of Canterbury.

Eodem anno, congregato clero et populo totius provinciæ Cantuariensis apud Westmonasterium, Thomas, regis cancellarius, electus est in archiepiscopum solemniter, [2] nemine reclamante; facta itaque electione sabbato in Pentecosten, presbyter ordinatus est a Waltero, Roffensi episcopo, in ecclesia Cantuariensi, et sequenti die Dominica consecratus est ab Henrico, Wintoniensi episcopo, solemniter et inthronizatus. Nuntiis igitur ad papam directis, quem citra Alpes invenerunt ad Gallias descendentem, cum pallio sunt reversi; quod Thomas archiepiscopus, solitis constrictus sacramentis, ab altari suscipiens reverenter summi sacerdotis vestes induit, et habitum sic mutavit ut et animum permutaret, nam curiæ curis interesse renuntians ecclesiæ suæ negotiis et lucris spiritualibus intendebat; siquidem nuntios ad regem in Normanniam direxit, cancellariæ renuntians et sigillum resignans, quod in cor regis altius ascendit, in se

[1] *Filiam peperit.*] Afterwards the wife of Alphonso VIII. king of Castile; she was the great-grandmother of Eleanor, wife of Edward I.

[2] *Nemine reclamante.*] Gilbert Foliot, bishop of London, had complained of the election, that the king had done a wonderful thing, for of a soldier he had made an archbishop; Fitz-Steph. p. 24.

solum causam resignationis tam subitæ retor- A.D. 1162.
quentis. Hæc prima fuit regalis animi perturbatio adversus Thomam, archipræsulem Cantuariensem. Erat autem Thomas iste Londonien- Becket's origin.
sis urbis [1]indigena, a primis adolescentiæ annis gratia multiplici decoratus; ab ineunte enim ætate beatam Dei genitricem, tanquam ducem viarum suarum, dulcius invocare, in illam post Christum totam spem ponere, consuevit; liberalium quoque disciplinarum scholas tandem egrediens ad Theobaldum, Cantuariensem archiepiscopum, se contulit, et, industria promerente, in brevi dignus habitus est, ut ei familiarissimus haberetur. Quot autem et quantos ibi labores pro ecclesia Dei pertulerit, quoties pro expediendis negotiis apostolorum limina visitaverit, quam felici exitu, quæ sibi injuncta fuerant, expedierit, non est facile dictu, præsertim cum in causis perorandis et decidendis ac populis instruendis tota ejus intentio versaretur. Primo igitur a præfato archiepiscopo in archidiaconum Cantuariensem promotus, post modici temporis intervallum cancellarius efficitur, ejus industria promerente; cancellarii autem fungens officio audaciam milvorum sapienter depressit, qui regi adulantes diripere conspiraverant tam provincialium quam ecclesiæ facultates. Hæc de beato Thoma, qualis ante promotionem in archiepiscopum exstiterit, prælibavimus, quatenus ea, quæ de ipso sequuntur, lectori clarius elucescant.

De finali concordia facta inter ecclesiam beati Albani et ecclesiam Lincolniæ.

Hoc anno sopita est discordia et amicabili Final concord between the churches of S. Alban and Lincoln.
fine terminata inter ecclesiam Lincolniensem et

[1] *Indigena;*] son of Gilbert and Matilda, citizens of London; Fitz-Steph. p. 10.

A.D. 1162. cœnobium beati Albani protomartyris Anglorum, Roberto de Chaisneto episcopo agente, et Roberto de Gorham, abbate de sancto Albano, defendente, in præsentia regis Henrici secundi et archiepiscoporum, Thomæ Cantuariensis et Rogeri Eboracensis, et episcoporum, Henrici Wintoniensis, Willelmi Norwicensis, Jocelini Saresberiensis, Bartholomæi Exoniensis, Hilarii Cicestrensis, Hugonis Dunelmensis, Richardi Coventrensis, Gileberti Herefordensis, et Godefridi de sancto Asaph, præsente etiam Roberto comite Legecestrensi, justiciario Angliæ, cum comitibus, baronibus, abbatibus, archidiaconis, et innumera turba regni, apud Westmonasterium, feria quinta proxima ante passionem Domini, in hunc modum; 'Robertus, Dei gratia Lincolniensis episcopus, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis salutem. Notum sit universitati vestræ, quod ego controversiæ illi, quam adversus Robertum, abbatem sancti Albani, et fratres ejus moveram, qua monasterium ipsum sancti Albani et quindecim ecclesias illas, quas in territorio suo privilegiatas habuit, Lincolniensi ecclesiæ et mihi, ut ipsius episcopo, in subjectionem et obedientiam petebam, in præsentia testium prædictorum, assensu capituli mei in perpetuum renuntiavi; et, ut ab ea in perpetuum conquiescam, de manu ipsius abbatis et fratrum ejus villam, quæ dicitur Tinghurste, cum ecclesia et omnibus pertinentiis ejusdem, pro decem libratis terræ, libere et quiete ecclesiæ Lincolniensi in perpetuum de cætero possidendam, assensu domini mei regis et fratrum nostrorum episcoporum jam dictorum consilio, capitulo meo in hoc assensum præbente, recepi; et jus, quod jam dicta abbatia, et in persona Roberti abbatis et successorum ejus, et jam dictis quindecim ecclesiis, ecclesiæ meæ et mihi et suc-

cessoribus meis vendicabam, in manu domini mei regis pro me et successoribus meis in perpetuum resignavi. Sit itaque de cætero liberum [1]monasterio beati Albani et quindecim jam dictis ecclesiis chrisma sibi et oleum et benedictionem et cætera omnia ecclesiæ sacramenta, [2]a quo voluerit episcopo, absque nostra et ecclesiæ nostræ reclamatione, accipere, et de cætero in manu regis, sicut sua dominica ecclesia, libera remanebit; reliquæ vero ecclesiæ ejusdem monasterii passim per episcopatum Lincolniensem constitutæ obedientiam et subjectionem, quam cæteræ debent ecclesiæ, episcopo Lincolniensi et archidiaconis exhibebunt. Quod, ne de cætero possit in litem revocari, scripti præsentis attestatione et sigilli mei et capituli appositione confirmavi, testibus supradictis.' Hanc pacem et concordiam cum rex Henricus et Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, suis confirmaverant munimentis, papa Alexander, eorum vestigia secutus, [3]eam privilegio ecclesiæ Romanæ et subscriptione omnium cardinalium communivit. Eodem anno rex Hierosolymarum [4]Baldewinus humanæ naturæ debitum solvit, cui successit frater ejus Amalricus. A.D. 1162.

Secunda perturbatio contra Thomam, Cantuariensem archiepiscopum.

Anno Domini MCLXIII. rex Anglorum Henricus, finibus transmarinis pro voluntate dispositis, [5]in Angliam rediit, et Thomas, Cantuariensis A.D. 1163. Causes of dissension between the king and Becket.

[1] *Monasterio.*] 'Monasterium' in MS.

[2] *A quo.*] 'Liceat abbati suo' inserted in the MS.

[3] *Eam privilegio.*] 'Per eam privilegium' in MS.

[4] *Baldewinus.*] He died on the 10th February, and was buried in the church of the Holy Sepulchre; Will. Tyr. p. 954.

[5] *In Angliam rediit.*] He landed at Southampton on the 25th January; Dicet. col. 534.

A.D. 1163. archiepiscopus, illi obviam veniens in osculum receptus est, sed non in gratiæ plenitudinem, sicut ipsius regis vultus statim aversus omnibus qui aderant patenter ostendit. Eodem anno, rege Anglorum ad hoc instante et [1]Alexandro papa id concedente, Gilebertus, Herfordensis episcopus, ad sedem ecclesiæ Londoniensis translatus est, et quarto kalendas Maii in illa cathedra solemniter introductus. Eodem anno Robertus Muntfort, cum Henrico de Essexia de [2]proditione regis singulari certamine congrediens, victoriam reportavit; qua de causa Henricus notam infamiæ simul et exhæreditationis jacturam incurrens, indulgentia pii regis, apud Radingum habitum monachilem suscepit. Hoc etiam anno Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, ad instantissimam regis petitionem archidiaconatum Cantuariensem dedit Gaufrido Ridel, clerico suo; sed gratiam regis sibi prius subtractam non plene redintegratam cognovit. Apparuit autem prima regis perturbatio contra Thomam archiepiscopum cum sigillum regi resignavit; secunda, cum regi de partibus transmarinis venienti occurrens receptus est in osculum, et non in gratiæ plenitudinem; tertia in hoc loco, cum archidiaconatum ad ejus petitionem contulit, nec tamen gratiam ejus sibi redintegratam cognovit. Eodem anno Clarenbaldus, sancti Augustini electus, benedictionem a Thoma, Cantuariensi archiepiscopo, accipere quærebat; sed in sua ecclesia et sine processione, spe cujusvis subjectionis adempta. [3]Consensit autem rex electo, consue-

[1] *Alexandro.*] His bull to the chapter of London is given by Diceto.

[2] *Proditione regis.*] He was hereditary standard-bearer, and had thrown down the royal standard in the battle of the defile of Coleshil, in Flintshire.

[3] *Consensit autem rex.*] The passage in Diceto is as follows; 'Cum autem rex se verbis hujusmodi non opposuerit, partibus

tudines antiquas in regno stare persuadens et archiepiscopo prædicta exigenti adversans; et in hoc loco quarto apparuit perturbatio regis contra ipsum. Eodem anno facta est inquisitio generalis per Angliam, cui quis in servitio seculari de jure obnoxius teneretur; inventum est in Cantiæ provincia, quod [1]Willelmus de Ros in munere quolibet subeundo regem deberet agnoscere et non archiepiscopum, et sic odium personæ in damnum ecclesiæ redundavit; et hic quinto loco apparuit perturbatio regis contra illum. Sexto apparuit, cum archiepiscopus vacantem ecclesiam de [2]Ainesford cuidam Laurentio contulit; sed Willelmus, villæ dominus, sibi jus vendicans patronatus Laurentium expulit, pro quo facto archiepiscopus Willelmum excommunicavit; quod, quia rege minime certiorato fecisset, maximam ejus indignationem incurrit. Asserit enim rex, juxta dignitatem regni sui, quod nullus, qui de rege in capite teneat, vel minister ejus, citra illius conscientiam sit excommunicandus ab aliquo, ne, si hoc regem lateat, lapsus ignorantia communicet excommunicato, comitem vel baronem ad se venientem in osculo vel consilio admittat. Septimo apparuit, cum idem rex nuntios ad curiam Romanam misisset, ut consuetudines regni confirmaret, ubi in aliquo profecisset; nuntii reversi animum regis contra archiepiscopum et alios exasperatum non poterant mitigare.

A.D. 1163.

antiquitatis in finibus stare persuadens, et eas omnibus modis quibus ratio fieri potuisset inducens, alteram inclinatior videbatur in partem;' col. 534.

[1] *Willelmus de Ros.*] It was after his return from the council of Tours that Becket demanded homage of William de Ros and the earl of Clare. He at the same time offended the king by affirming that the castles of Rochester, of Saltwood, and Hythe by right pertained to the see of Canterbury. Gervas.; Diceto.

[2] *Ainesford.*] Eynsford, in Kent; Fitz-Steph. p. 28.

Quod papa Alexander concilium Turonis congregavit.

A.D. 1163. Council of Tours. Eodem anno papa Alexander [1]Turonis concilium congregavit in ecclesia sancti Mauricii duodecimo kalendas Junii; ad cujus vocationem, permissione regis Angliæ, venerunt archiepiscopi, episcopi et alii Angliæ prælati, Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, cum suis suffraganeis, et ad dexteram papæ in concilio sedit, et archiepiscopus Eboracensis Rogerus ad sinistram, cum solo episcopo Dunelmensi. Eodem anno rex Malcolmus Scotorum et Resus princeps Demetiæ, id est Australium Wallensium, cum[2] aliis regibus et majoribus Cambriæ, kalendis Julii apud Wodestoke fecerunt homagium regi Anglorum et Henrico filio ejus. Ipso etiam anno Rogerus, comes Clarensis, a Thoma, Cantuariensi archiepiscopo, apud Westmonasterium vocatus ad faciendum sibi homagium de castello Tunebregge et pertinentiis ejus, contradixit ei comes instinctu regis, dicens, feodum illud totum in servitio laicali ad regem potius quam ad archiepiscopum pertinere; et hic loco octavo apparuit regis perturbatio adversus archiepiscopum Cantuariensem.

Facta est recognitio consuetudinum Angliæ apud Clarendunam.

A.D. 1164. Constitutions of Clarendon. Anno Domini MCLXIV., in præsentia regis Henrici [3]apud Clarendunam octavo kalendas Februarii, præsidente Johanne de Oxonia de mandato ipsius regis, præsentibus etiam archiepi-

[1] *Turonis concilium.*] The acts of the council are printed by Harduin, tom. vi. part ii. col. 1589.

[2] *Cum aliis regibus.*] Owen (Gwynned), king of North Wales, was of the number; Dicet. col. 536.

[3] *Apud Clarendunam.*] Compare Wilkins, Concil. i. 435.

scopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus et proceribus regni, facta est recognitio, sive recordatio, cujusdam partis consuetudinum et libertatum antecessorum suorum, regis videlicet Henrici avi sui et aliorum, quæ observari debebant in regno ab omnibus et teneri, propter dissensiones et discordias sæpe emergentes inter clerum et justiciarios domini regis et [1]magnatum regni; harum vero consuetudinum recognitarum quædam pars in sedecim capitulis subsequentibus continetur. A.D. 1164. Constitutions of Clarendon.

De advocatione et præsentatione ecclesiarum si controversia emerserit inter laicos et clericos, vel inter clericos, in curia domini regis [tractetur et terminetur.

Ecclesiæ de feodo domini regis] non possunt in perpetuum dari absque concessione ipsius.

Cleri accusati de quacunque re, summoniti a justiciario regis, veniant in curiam ipsius responsuri ibidem de hoc, unde videbitur curiæ regis, quod ibi sit respondendum; et in curia ecclesiastica, unde videbitur, quod ibi sit respondendum; ita quod regis justiciarius mittet in curiam sanctæ ecclesiæ ad videndum, quomodo res ibi tractabitur. Et si clericus convictus vel confessus fuerit, non debet eum de cætero ecclesia tueri.

Archiepiscopis, episcopis et claris personis regni, non licet exire a regno absque licentia domini regis; et si exierint, si regi placuerit, securum eum facient, quod nec in eundo nec in redeundo vel moram faciendo perquirent malum sive damnum domino regi vel regno.

Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præstare juramentum, sed tantum

[1] *Magnatum.*] 'Magnatibus' in MS.

A.D. 1164. Constitutions of Clarendon.

vadium et plegium standi judicio ecclesiæ ubi absolvuntur.

Laici non debent accusari, nisi per certos et legitimos accusatores et testes in præsentia episcopi, ita quod archidiaconus non perdat jus suum nec quicquam quod inde habere debeat; et si tales fuerint, qui culpantur, quod non velit vel non audeat aliquis accusare eos, vicecomes requisitus ab episcopo faciat jurare duodecim legales homines de visneto sive de villa coram episcopo, quod veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt.

Nullus qui de rege tenet in capite, nec aliquis dominicorum ministrorum ejus, excommunicetur, nec alicujus eorum terræ sub interdicto ponantur, nisi prius dominus rex, si in regno fuerit, conveniatur, vel justiciarius ejus, si fuerit extra regnum, ut rectum de eo faciat; et ita, ut quod pertinebit ad regis curiam ibi terminetur, et de eo quod spectat ad curiam ecclesiasticam ad eandem mittatur ut ibidem terminetur.

De appellationibus, si emerserint, ab archidiacono [1]debent procedere ad episcopum, ab episcopo ad archiepiscopum, et, si archiepiscopus defuerit in justitia exhibenda, ad dominum regem perveniendum est postremo, ut præcepto ipsius in curia archiepiscopi controversia terminetur, ita quod non [2]debet ultra procedere absque assensu domini regis.

Si calumnia emerserit inter clericum et laicum, vel e converso, de ullo tenemento quod clericus velit ad eleemosynam trahere, vel laicus ad laicum feodum, per recognitionem duodecim legalium hominum juxta capitalis justiciarii regis considerationem terminabitur, utrum

[1] *Debent procedere.*] 'Debebit procedi;' Wilk.

[2] *Debet ultra procedere.*] 'Debeat ultra procedi;' Wilk.

tenementum sit pertinens ad eleemosynam, sive ad laicum feodum, coram justiciario regis; et si recognitum fuerit ad eleemosynam pertinere, placitum erit in curia ecclesiastica; si vero ad laicum feodum, nisi ambo tenementum de episcopo eodem vel barone advocaverint, erit placitum in curia regis; sed, si utrique advocaverint de feodo illo eundem episcopum vel baronem, erit placitum in curia ipsius, ita quod propter factam recognitionem saisinam non amittat, qui prius fuerat [1] saisitus. A.D. 1164. Constitutions of Clarendon.

[Qui] de civitate vel castello vel burgo vel dominico manerio regis fuerit; si ab archidiacono vel episcopo super aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eis respondere, et ad citationes eorum noluerit satisfacere, bene licet eis sub interdicto ponere eum, sed non debent ipsum excommunicare priusquam capitalis minister regis villæ illius conveniatur, ut justiciet eum ad satisfactionem venire; et si minister regis inde defecerit, erit in misericordia regis, et exinde poterit episcopus ipsum accusatum ecclesiastica justitia coercere.

Archiepiscopi, episcopi et universæ personæ regni, qui de rege tenent in capite, habeant possessiones suas de rege sicut baroniam, et inde respondeant justiciariis et ministris regis, et sequantur et faciant omnes consuetudines regias; et, sicut cæteri barones, debent interesse judiciis curiæ regis cum baronibus, quousque perveniatur ad diminutionem membrorum vel ad mortem.

Cum vacaverit archiepiscopatus, vel episcopatus, vel abbatia, vel prioratus in dominio regis, debet esse in manu ipsius, et inde per-

[1] *Saisitus*;] 'donec per placitum dirationatum fuerit;' Wilk.

A.D. 1164. Constitutions of Clarendon.

cipiet omnes redditus et exitus sicut dominicos redditus suos. Et cum ventum fuerit ad consulendum ecclesiam, debet dominus rex mandare potiores personas ecclesiæ, [et] in capella ipsius regis debet fieri electio, assensu ipsius regis et consilio personarum regni, quas ad hæc faciendum advocaverit; et ibidem faciet electus homagium et fidelitatem regi, sicut ligio domino suo, de vita sua et membris et de honore terreno, salvo ordine suo, priusquam consecretur.

Si quisquam de proceribus regni disfortiaverit archiepiscopo, vel episcopo, vel archidiacono de se suisve justitiam exhibere, dominus rex debet eos justiciare; et si forte aliquis disfortiaret domino regi rectitudinem suam, archiepiscopi, episcopi et archidiaconi debent eum justiciare, ut regi satisfaciat.

Catalla eorum, qui sunt in forisfacto regis, non detineat ecclesia vel cœmeterium contra justiciarios regis, quia ipsius regis sunt, sive in ecclesiis sive extra fuerint inventa.

Placita de debitis, quæ fide interposita debentur vel absque interpositione fidei, sint in justitia regis.

Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu domini de cujus terra nati dignoscuntur.

Hanc recognitionem sive recordationem de consuetudinibus et libertatibus iniquis, et dignitatibus Deo detestabilibus, archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, clerus, cum comitibus et baronibus ac proceribus cunctis, juraverunt, et firmiter in verbo veritatis promiserunt viva voce se tenendas et observandas domino regi et hæredibus suis bona fide et absque malo ingenio in perpetuum.

De [illegible] Thomae [illegible] pro [illegible]

[illegible]

De absolutione beati Thomae pro temerario [illegible]

[illegible]

[1] *His ita gestis.* — Compare the [illegible] Quadrilog. p. [illegible], [illegible].

[2] *Alexander.* — This letter was [illegible]

A.D. 1164. bet autem prudentia tua diligenter advertere, quod plurimum interest, quando ex deliberatione et propria voluntate, et quando ignorantia vel necessitate aliqua committuntur; nam, sicut legitur, Usque adeo voluntarium est peccatum, quod nisi sit voluntarium non sit peccatum. Si igitur aliquid recolis te commisisse, de quo te debeat propria conscientia remordere, quicquid sit, sacerdoti, qui discretus et providus habetur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri; quo facto, miserator et misericors Dominus, qui multo plus ad cor respicit quam ad actus, tibi consueta pietatis suæ misericordia dimittet; et nos, de beatorum Petri et Pauli apostolorum ejusque meritis confidentes, te ab eo quod est commissum absolvimus, et id ipsum fraternitati tuæ auctoritate apostolica relaxamus, consulentes utique ac mandantes, ut postea a missarum celebratione propter hoc non debeas abstinere.'

Quod rex decrevit, ut a laicis clerici punirentur.

The clergy subjected to lay jurisdiction.

Eodem[1] anno rex Henricus volens in singulis, ut dicebat, maleficia debita cum severitate punire, et cujuscumque ordinis dignitatem ad iniquum trahi dispendium, incongruum esse asseruit, clericos a suis justiciariis in publico flagitio deprehensos episcopo loci tradere impunitos; decrevit enim, ut quos episcopi invenirent obnoxios, præsente regis justiciario, exauctorarent, et post curiæ regis traderent puniendos. In contrarium sentiebat archiepiscopus, ut quos exauctorent episcopi a manu laicali postmodum non punirentur, quia bis in id ipsum puniri viderentur. Huic controversiæ præstitit occasionem Philippus [2]de Broc, canonicus Bedeforden-

[1] *Eodem anno.*] This chapter is taken verbatim from Diceto, col. 536.

[2] *De Broc,*] 'de Brois;' Stephan. p. 32, and Quadrilog. p. 32.

sis, qui, tractus in causam propter homicidium, in regis justiciarium verbum protulit contumeliosum; quod cum negare coram archiepiscopo non posset, præbendæ suæ beneficio multatus est et per biennium a regno pulsus; et hic nono loco apparuit perturbatio regis contra archiepiscopum. A.D. 1164.

Quomodo beatus Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, a Norhamptona injuriatus a rege recesserit.

Videns igitur archiepiscopus libertates ecclesiæ jam funditus exspirasse, inscio rege, apud Rumenel[1] navem ascendit Romam profecturus, sed, vento in contrarium flante, in Angliam rejectus est, ex quo facto loco decimo regis offensam incurrit; quapropter illico tractus in causam, [2]Johanne Mareschallo regi deferente querelam pro [3]manerio quodam, quod a multis temporibus, ut dicebatur, archiepiscopus inconcusse possederat, tandem post graves vexationes contrariam reportavit sententiam et regi judicatum solvi sufficienter cavit, habita taxatione in quingentis libris; et hic loco undecimo apparuit perturbatio regis adversus archiepiscopum puram conscientiam habentem. Item [4]apud Northamtonam tractus in causam super actu, quem in cancellaria egerat, præsentiam suam exhibuit tertio idus Octobris, et quoniam castellaniam de Eya et de Berchamestede pluribus annis libere possedisset, multum consentaneum rationi videbatur, ut a capite incipiens perceptorum redderet rationem; sed quoniam ante consecrati- Charges brought against Becket at Northampton.

[1] *Rumenel.*] Romney, in Kent.

[2] *Johanne;*] marshal of the exchequer; Tyrrell. The circumstances are detailed at length by Fitz-Stephen, p. 35, *seqq.*

[3] *Manerio quodam.*] 'De Pagaham,' Stephan. Pagham, in Sussex?

[4] *Apud Northamtonam.*] Compare Quadrilog. p. 46, *seqq.* The account in the text is from Diceto, col. 538.

A.D. 1164. onem suam archiepiscopus ab Henrico filio regis et hærede atque a justiciario regni liber et absolutus ab omni ratiocinio fuit assignatus episcopus, [et,] ne injusto condemnaretur judicio, sedem apostolicam appellavit, et, sub pœna anathematis, tam suis suffraganeis episcopis quam laicis universis, ne in patrem suum et judicem sententiam proferrent iniquam [præcepit]; proceres vero et episcopi, qui ad hoc vocati erant a rege, in eum nihilominus non convictum neque confessum, sed privilegium ecclesiæ suæ et suam protestantem, sententiam intorserunt; et sic archiepiscopus in arcto positus et opprobriis lacessitus, omnique episcoporum solatio destitutus, crucem, quam manu tenebat, in altum erexit et a curia palam recessit; sicque sequenti nocte villam latenter egrediens, et ab aspectibus hominum se diebus [1]subtrahens, et de noctibus iter expediens, post dies aliquot ad Sandwici pervenit portum, ubi in navicula fragili in Flandriam est transvectus; actus ergo in exilium Christi confessor a domino papa Alexandro Senonis receptus est et in Pontiniacensi monasterio commendatus.

Allegatio nuntiorum regis contra beatum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum.

Embassy at Sens, against Becket.

Missi sunt eodem tempore [2]nuntii a rege Anglorum ad papam Senonas, qui in consistorio coram eo talia allegabant; Inter Thomam, Can-

[1] *Subtrahens.*] 'Cum tribus, Roberto de Cava, Escanan, Rogero de Brai.' Dicet. col. 537, *marg.* He had with him two Cistercian friars, Rob. de Caune and Scaiman, and one servant, Roger de Broc; Hoved. p. 495. Compare Quadrilog. p. 63.

[2] *Nuntii.*] Ralph de Diceto, col. 537. The archbishop of York, the bishops of Winchester, London, Chester, and Exeter, the earl of Arundel, John of Oxford, and other clerks, formed the embassy; see Hoveden, p. 496.

tuariensem archiepiscopum, et regem Anglorum A.D. 1164.
controversia versabatur, de utriusque voluntate die præfixo, ut in eo, justitia mediante, illa controversia terminetur; ad eundem diem, ex præcepto regio, archiepiscopi, episcopi et cæteri ecclesiarum prælati convocantur, ut quanto generalior esset concilii celebratio tanto manifestior fieret fraudis et malitiæ denudatio. Die constituto catholici principis conspectui se præsentavit regni turbator in ecclesia, qui, de suorum meritorum qualitate non securus, Dominicæ crucis armat se signaculo, tanquam ad tyranni præsentiam accessurus; nec tamen regia majestas offenditur, sed causæ suæ judicium episcoporum fidei committit, ut sic ab omni suspicione liberetur. Restabat ut judicio episcopi causam terminarent, ut sic dissidentes in gratiam fœderarent et dissensionis eorum materiam sepelirent; at obviat adversarius et objicit, quoniam ipsum coram rege stare judicio, esset apostolicæ sedis et dignitatis diminutio; ac si nesciat, quod, etsi in illo judicio aliquantulum derogaretur ecclesiæ dignitati, dissimulandum erat pro tempore, ut pax ecclesiæ redderetur. Objicit iterum, patris sibi nomen ascribens, quod arrogantiam redolere videtur quod filii in patris damnationem minime debuerant convenire; sed necessarium erat, ut patris superbiam filiorum humilitas temperaret, ne post patrem in filiis patris odium parentaret. Instabant autem ad hoc nuntii studiose, ut duo legati mitterentur a papa, qui causam Cantuariensis archiepiscopi ac regis, omni appellatione remota, diffinirent. Demum multis promissionibus papam flectere curabant, ut consuetudines regni Angliæ et libertates, quas rex ab avo suo rege Henrico 'avitas' appellabat dignitates, confirmare et clementer concedere dig-

A.D. 1164. naretur; sed cum, reversis legatis, rex in hac petitione sese cognovisset fuisse repulsum, ira vehementi incanduit et has sequentes literas singulis Angliæ vicecomitibus sub hac forma direxit;

Literæ regis ad vicecomitem Cantiæ contra clericos beati Thomæ.

The king's letters to the sheriff of Kent;

'Præcipio[1] tibi, quod si aliquis clericus vel laicus in balliva tua Romanam curiam appellaverit, eum capias et firmiter teneas donec voluntatem meam præcipiam; et omnes redditus clericorum archiepiscopi et possessiones saisias in manum meam, et omnium clericorum, qui cum archiepiscopo sunt, patres et matres, fratres et sorores, nepotes et neptes, pones per salvos plegios, et catalla eorum, donec voluntatem meam inde præcipiam; et hoc breve tecum afferas cum summonitus fueris.' Gileberto quoque, Londoniensi episcopo, scripsit in hæc verba;

Literæ regis ad episcopum Londoniensem unde ut supra.

to the bishop of London;

'Nosti[2] quam male Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, operatus est adversum me et regnum meum, et quam male recesserit; et ideo mando tibi, quod clerici sui, qui detraxerunt honori meo et regni, qui circa ipsum fuerunt post fugam suam, non percipiant aliquid de redditibus suis, quos habuerunt in episcopatu tuo, nisi per me, nec habeant aliquod auxilium vel consilium a te.' Item justiciariis suis significavit per literas sub hac forma;

[1] *Præcipio.*] Inter Epp. S. Thomæ, i. ep. xv.

[2] *Nosti.*] Inter Epp. ep. xiii. 'Dat. Teste Ricardo de Luci apud Merleberg.'

Idem rex ad justiciarios suos contra beatum Thomam archiepiscopum.

'Si[1] quis inventus fuerit ferens literas domini papæ vel mandatum, aut Thomæ archiepiscopi, continens interdictum Christianitatis in Anglia, capiatur et retineatur donec inde voluntatem meam præcipiam. Item, nullus clericus, monachus, canonicus vel conversus, vel alicujus religionis, transfretare permittatur, nisi habeat literas de reditu suo justiciarii vel nostras; si quis aliter inventus fuerit, capiatur et retineatur. Nullus appellet ad papam neque ad Thomam archiepiscopum, neque aliquod placitum ex eorum mandato teneatur, neque aliquod mandatum eorum in Anglia recipiatur; et si quis tenuerit, vel receperit, vel tractaverit, capiatur et retineatur. Si episcopi, abbates, clerici vel laici sententiam interdicti tenuerint, sine dilatione a terra ejiciantur, et tota eorum cognatio, ita quod nihil de catallis suis secum ferant, sed catalla eorum et possessiones in manu nostra saisiantur. Omnes clerici, qui redditus habent in Anglia, sunt summoniti per omnes comitatus, ut infra tres menses sint in Anglia ad redditus suos, sicut eos diligunt et amodo in Angliam redire; et, si ad terminum præfixum non venerint, redditus eorum in nostra saisiantur. Episcopi Londoniensis et Norwicensis summoneantur, quod sint coram justiciariis nostris ad rectum faciendum, quod contra statuta regni interdixerunt terram Hugonis comitis et in ipsum sententiam anathematis intulerunt. Denarii beati Petri colligantur et serventur, quousque inde vobis dominus rex voluntatem suam præceperit.' Ecclesiam præterea

A.D. 1164. to his justiciars.

[1] *Si quis.*] From Hoveden, p. 496.

A.D. 1164. Cantuariensem et omnia bona archiepiscopi rex et suorum confiscari præcepit, et, quod in nullius historiæ legitur serie, totam ejus cognationem exilio adscriptam addixit, sine delectu conditionis, sexus aut ætatis; et, cum ecclesia catholica oret pro hæreticis, schismaticis et perfidis Judæis, prohibitum est a rege, ne quis archiepiscopum orationum suffragiis adjuvaret.

Allegatio beati Thomæ archiepiscopi in præsentia domini papæ.

Becket's appeal to the pope. Beatus igitur Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, suffraganeorum suorum, inter tot injurias, omnium solatio destitutus, profectus est ad curiam Romanam, et in præsentia domini papæ sic loqui exorsus est; [1]'Ad audientiam vestram, pater sanctissime, confugio, dolens statum ecclesiæ et jura ejus in avaritiam principum dissipari; quapropter occurrendum credidi morbo venienti. Vocatus autem sum coram rege, ut de quibusdam custodiis, quas olim cancellarius regis existens disposueram, in ratiocinium tanquam laicus computarem, qui in promotione mea ad archiepiscopatum a filio regis primogenito et justiciario regni ab omni ratiocinio et obligatione liber fui episcopus assignatus. Et nunc, unde mihi resistendi suffragia speraveram, destitutus sum, animadverti enim dominos et confratres meos episcopos, pro aulicorum arbitrio, in me animadvertere paratos, et, cunctis incursantibus contra me, fere suffocatus ad tuæ pietatis audientiam, quæ nec in extremis negligit, respiravi; sub qua demonstraturus [2]adsto, me nec ibi fuisse judicandum, nec ab illis; nam quid aliud hoc esset, nisi

[1] *Ad audientiam vestram.*] Inter epp. lib. i. ep. xxx. Compare Diceto, col. 538; Hoveden, p. 498.

[2] *Adsto.*] In MS. 'esto.'

jura ecclesiæ sibi subtrahere? Quid aliud quam spiritualia temporalibus submittere? Semel hoc natum, exemplum esset ad multa. Sed dicunt episcopi, Reddenda sunt Cæsari, quæ ejus sunt; sed si in pluribus obtemperandum est regi, in illis tamen obtemperandum non est, quibus efficitur ne sit rex; non enim essent illa Cæsaris, sed tyranni, in quibus, etsi non pro me, pro seipsis episcopi ei resistere deberent. Quæ enim hæc causa tanta fuit odii, ut pro me exstinguendo seipsos exstinguerent? Itaque dum spiritualia pro temporalibus negligunt, deficiunt in utrisque. Condescende ergo, pater sanctissime, in fugam meam et persecutionem, et me aliquando tempore tuo reminiscere magnum fuisse et propter te injuriis lacessitum; utere igitur rigore tuo, coerce illos, quorum instinctu nomen hujus persecutionis obrepsit; nec domino regi horum aliquid imputetur, qui hujus machinationis minister est potius quam repertor.' A.D. 1164.

Quod papa sententiam ab episcopis in archiepiscopum latam in irritum revocavit.

His auditis allegationibus, dominus papa, habita cum cardinalibus deliberatione, Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo, tale fertur dedisse responsum; 'Quod minor majorem judicare non possit, et præsertim eum, cui jure prælationis subesse dignoscitur et obedientiæ vinculo tenetur adstrictus, tam divinæ quam humanæ leges demonstrant, et sanctorum patrum statutis id manifestius declaratur; hanc siquidem nos, quorum interest errata corrigere, sententiam ab episcopis et baronibus præsumptuose in te latam, in qua tibi jam dicti episcopi ac barones omnia mobilia tua, tam contra juris ordinem quam contra ecclesiasticam consuetudinem, ab- The pope's sentence.

A.D. 1164. judicarunt, præsertim cum nulla mobilia præterquam de bonis ecclesiæ tuæ habueris, irritam penitus esse censemus et eam auctoritate apostolica cassamus; statuentes, ut nullas in posterum vires obtineat, vel tibi aut successoribus tuis, seu ecclesiæ tuæ gubernationi commissæ, aliquod in posterum valeat præjudicium generare. Cæterum si hii, qui in possessionibus et bonis ecclesiæ tuæ tibi aut tuis vel violentiam vel injuriam intulerunt, legitime commoniti vobis ablata restituere et satisfactionem congruam exhibere noluerint, tu in eos, si opportunum esse videris, ecclesiasticam justitiam non differas exercere, et nos quid inde rationabiliter feceris ratum habebimus atque firmum; verum de persona regis speciale tibi mandatum non damus, nec tamen in aliquo tibi jus pontificale, quod in consecratione tua suscepisti, adimimus, sed ipsum illæsum voluimus conservare.' Et, his ita gestis, Thomas archiepiscopus ad Pontiniacense cœnobium remeavit.

Quod Matildis, filia regis, duce Saxoniæ maritatur.

A.D. 1165. Marriage of the princess Matilda.

Anno Domini MCLXV. [1]Reginaldus, Coloniensis archiepiscopus, qui schisma Octaviani contra papam foverat Alexandrum, venit apud Westmonasterium ad regem Henricum accepturus in conjugem Matildem, filiam regis primogenitam, Henrico duci Saxoniæ; cui cum magnates Angliæ solemniter occurrissent, Robertus, comes Legecestriæ et justiciarius regis, illum in osculum non recepit, excommunicatus enim erat a papa et non absolutus, unde altaria, super quæ ille schismaticus celebravit, passim sunt subversa. Eodem anno Alienor regina regi Anglorum

[1] *Reginaldus.*] Diceto, col. 539.

Henrico peperit filiam, quam vocavit [1]Johannam. Eodem anno etiam Godefridus, episcopus de sancto Asaph, in basilica sancti Albani protomartyris Anglorum ad majus altare in cœna Domini chrisma confecit et oleum sanctum, fultus auctoritate privilegiorum loci, in præsentia abbatis Roberti. [2]Eodem denique anno Noradinus quidam, Turcorum princeps potentissimus, in finibus Antiochenis Hareng castrum obsedit; quo audito, Boamundus, Antiochenus princeps, Reimundus, comes Tripolitanus, Salamannus, Ciliciæ præsul, et Thoros, Armeniorum princeps, obsidionem solvere cupientes ad locum accedunt et Noradinum in fugam propellunt; quem cum temere fugientem insequerentur, reversus contra nostros ipsum insequentes, et facta irruptione in ipsos, nobiles cepit memoratos, et eos vinculis constrictos apud Halapiam custodiæ mancipavit; castrum etiam, quod prius obsederat, militaribus copiis circumcingens levi negotio subjugavit. A.D. 1165.

Quod beatus Thomas observatores consuetudinum Angliæ excommunicavit.

Anno Domini MCLXVI. rex Henricus in initio Quadragesimæ in Normanniam transfretavit; quod [3]audiens Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, de Pontiniaco venit Viceliacum, et in die Dominicæ ascensionis, videntibus cunctis, qui ad diem festum convenerant, et populo civitatis, repente in pulpitum ascendens consue- A.D. 1166. Becket excommunicates all observers of the 'consuetudines avitæ.'

[1] *Johannam.*] Afterwards the wife of William, king of Sicily, to whom she was married upon the 13th Feb. 1176, and on the same day crowned queen at Palermo. She afterwards married Raymond de S. Giles, count of Tholouse, and died a nun in Fontevraud abbey in 1195.

[2] *Eodem denique anno.*] Compare the account by the archbishop of Tyre, p. 959, *seq.*

[3] *Quod audiens Thomas.*] Ralph de Diceto, col. 539.

A.D. 1166. tudinum, quas in regno Anglorum 'avitas' appellant, observatores, defensores et incentores candelis excommunicavit accensis, et inter cæteros nominatim Richardum de Luci, Richardum, archidiaconum Pictavensem, Jocelinum de Bailul, Alanum de Nevilla, et alios quamplures; sed ipsi absentes et non vocati nec convicti, ut dicebant, excommunicati, missis ad archiepiscopum legatis, appellaverunt et ecclesiam intraverunt. Sed non multo post Willelmus Papiensis et Johannes Neapolitanus, cardinales a latere summi pontificis destinati, apud Muntmiral regem Henricum et Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, convocarunt; et licet eos in partem regis archiepiscopus inclinatiores sensisset, tunc tamen in judicium deduci ea ratione concessit, residentibus illis in consistorio, ut, secundum ecclesiæ formam, tam sibi quam suis prius fieret plena restitutio ablatorum, nec enim spoliatus judicium subire voluit, nec cogi potuit ratione; quod cum illi nec facere vellent nec possent, infecto negotio, prædictis excommunicatis prius absolutis, ad curiam sunt reversi. Alanum vero de Nevilla absolvit Gilebertus, Londoniensis episcopus; accepto ab eo sacramento, quod in eundo Hierosolymam transiret per dominum papam et ejus pareret mandato. Eodem tempore Lodowicus, rex Francorum, venit Pontiniacum; et, ne quid a rege Anglorum fieret in perniciem Cisterciensis ordinis, Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, cui jam per biennium Pontiniacenses monachi omnem exhibuerant humanitatem, Senonas secum duxit, et apud sanctam Columbam ei per annos quatuor sufficientiam in expensis invenit. Per idem tempus, ad subventionem terræ sanctæ, de unaquaque carucata terræ totius Angliæ,

quatuor denarii concessi sunt et collecti. [1]Sub eisdem diebus quidam pravi dogmatis disseminatores apud Oxoniam tracti sunt in judicium, præsente rege et episcopis regni; quos, a fide catholica devios et in examine superatos, facies cauteriata notabiles cunctis exposuit, qui expulsi sunt a regno. Eodem anno Alienor, Anglorum regina, peperit filium, et vocatus est Johannes.[2] Eodem anno Robertus, abbas ecclesiæ sancti Albani octavus decimus, diem clausit extremum in festo apostolorum Simonis et Judæ, postquam ecclesiam præfatam annis quatuordecim magnifice gubernasset.

A.D. 1166. Council at Oxford.

Epistola beati Thomæ archiepiscopi ad regem Anglorum.

Eodem tempore Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, sperans se posse regem Henricum humilitate vincere, hanc quæ sequitur [3]epistolam inter cætera direxit; 'Desiderio desideravi videre faciem vestram et vobiscum loqui, multum quidem propter me, sed maxime propter vos, ut, visa facie mea, reduceretis ad memoriam servitia, quæ dum essem in obsequio vestro exhibui vobis devote juxta animi mei conscientiam; sic me Deus adjuvet in examine ultimo, quando omnes adstabunt ante tribunal ipsius recepturi prout gesserunt in corpore, sive bonum sive malum; et ut moveremini super me, quem oportet inter alienos vivere mendicando. Propter vos utique tribus de causis, tum quia dominus

Becket's letter to the king at Chinon.

[1] *Sub eisdem diebus.*] Diceto, col. 539. Compare Will. Newburgh, who gives a full account of the proceedings at the council, held, as he affirms, against the opinions of the Publicans (or Waldenses), ii. cap. 13.

[2] *Johannes,*] fifth and youngest son, succeeded Richard the first in the kingdom.

[3] *Epistolam . . . direxit.*] The king was now at Chinon, holding a council of bishops; Becket wrote to him from Pontigny; compare Hoveden, p. 496, with Diceto, col. 541.

A.D. 1166. Letters of Becket and others.

meus estis, tum quia rex meus, tum quia filius meus spiritualis; in eo quod dominus, debeo et offero vobis consilium meum, eo quod rex, teneor vobis ad reverentiam et commonitionem, eo quod filius, ratione officii ad castigationem et cohortationem. Inunguntur reges in capite, in pectore, in brachiis, quod significat gloriam, sanctitatem et fortitudinem; regibus, qui temporibus antiquis justificationes Dei non observabant et prævaricati sunt mandata ejus, his sublata est gloria, sanctitas et fortitudo, exemplo Saulis et Salomonis, qui vero post delictum humiliaverunt se Domino, his Dei gratia accessit, sicut Davidi, Ezechiæ et aliis quampluribus. Audiat, si placeat, dominus meus consilium servi sui, commonitionem episcopi sui, castigationem patris sui, ne cum schismaticis habeat de cætero aliquam familiaritatem vel communionem, nec contrahat aliquid cum eis; memoresque sitis professionis, quam fecistis et posuistis scriptam super altare, de servanda ecclesiæ Dei libertate quando in regem consecrati fuistis. Ecclesiam etiam Cantuariensem, a qua promotionem accepistis, in eum statum restituatis et dignitatem, in quibus fuit temporibus prædecessorum vestrorum et nostrorum; alioquin pro certo sciatis, quod divinam severitatem et ultionem sentietis.'

Quod beatus Thomas episcopis habebatur suspectus.

The bishops dissatisfied with Becket.

Eodem anno suffraganei Cantuariensis ecclesiæ episcopi, cum audissent beatum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, consuetudinum regni Angliæ iniquarum observatores ac defensores excommunicationis sententia innodasse, in qua tam ipsos generaliter quam dominum regem involverat, metuentes ne omnes illos, quos in

genere per sententiam ligaverat, nominatim iterato specificaret, per has sequentes literas in vocem appellationis contra juris ordinem proruperunt. A.D. 1166. Letters of Becket and others.

'Venerabili[1] patri et domino Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo, suffraganei ejusdem ecclesiæ episcopi, et personæ per eorundem dioceses constitutæ, debitam subjectionem et obedientiam. Quoniam quorundam relatione didicimus, quod ad memoriam anxie revocamus, vos in dominum regem comminationes emisisse, quo salutationem omittitis, quo non ad obtentum gratiæ consilium precesve porrigitis, quo non amicum quid sentitis aut scribitis, sed intentatis minis interdictum, aut præcisionis elogium in eum jam dicendum fore proponitis multa severitate; quod si quam dure dictum est, tam fuerit severe completum; quæ turbata sunt, non jam speramus ad pacem redigi, sed in perenne quoddam odium pertimescimus inflammari. Insedit alte quorundam mentibus, quod dominus rex vobis tam benignus exstiterit, tamque tota mente susceperit, et cuncta potestati vestræ adeo subjecerit, ut hos solum beatos reputaret opinio, qui in vestris poterant oculis complacere; et, ne gloriam vestram mobilitas mundana posset concutere, vos in eis, quæ Dei sunt, voluit immobiliter radicare, sperans se de cætero regnare feliciter et de consilio vestro summa securitate gaudere. Ne vero in dominum regem et regnum ejus, ne in nos et commissas nobis ecclesias et parochias manum vestram aggravare tentetis, remedium appellationis vobis opponimus, et qui contra metum gravaminum in facie ecclesiæ appellavimus, ite- The clergy to Becket.

[1] *Venerabili.*] This has been much abridged from the original, which may be found in Diceto, col. 541, and Epp. Thomæ, i. ep. cxxvi.

A.D. 1166. Letters of Becket and others.

rato nunc ad papam appellamus per scriptum, et appellationis terminum diem ascensionis Dominicæ assignamus.'

Epistola beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, ad episcopos suffraganeos suos.

Becket's answer.

'Thomas,[1] Cantuariensis archiepiscopus, suffraganeis suis. Fraternitatis vestræ scriptum, quod tamen de communi vestro consilio non credimus emanasse, nuper suscepimus, cujus continentia plus habet mordacitatis quam solatii; et utinam magis emissum esset de caritatis effectu, quam de obedientia voluntatis! Dico vobis, salva pace vestra, quod multo tempore silui, exspectans si forte inspiraret vobis Deus ut resumeretis vires, qui conversi estis retrorsum in die belli, si saltem aliquis ex vobis ascenderet ex adverso, et opponeret se murum pro domo Israel, et certamen iniret contra eos, qui non cessant quotidie exprobrare agmini Dei; sed non est qui ascendit. Judicet ergo Deus inter me et vos, et requirat ecclesiæ confusionem de manibus vestris, quam, velit nolit mundus, necesse est in verbo stare Dei, in quo fundata est, donec venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. Exciditne a memoria vestra quid ageretur mecum et cum ecclesia Dei apud Norhamptonam, cum iterum judicaretur Christus in persona mea ante tribunal præsidis, cum arctaretur præsul Cantuariensis ob injurias sibi et ecclesiæ Dei passim illatas et cogeretur Romanam audientiam appellare? Quis unquam vidit vel audivit Cantuariensem archiepiscopum judicari, condemnari ad fidejussionem in curia regis, et a suis præcipue suffraganeis? Si nobis recedentibus, ut di-

[1] *Thomas.*] Compare Diceto, col. 544, with lib. i. ep. cxxvii.

citis, turbata sunt omnia, sibi imputet qui occasionem dedit; quia facientis procul dubio culpa est et non recedentis, persequentis et non injurias declinantis. Nobis adhuc in curia exspectantibus si nobis aliquid forte opponeretur, interdictum est officialibus nostris, ne nobis in temporalibus vel in modico obedirent, vel citra mandatum regis, vel nobis vel nostris aliquid ministrarent; proscripti sunt clerici nostri cum laicis, viri cum mulieribus, mulieres cum parvulis lactantibus; addicta sunt fisco bona ecclesiæ et patrimonium Crucifixi, pars pecuniæ conversa est in usus regios, pars in usus episcopi Londoniensis. Appellatis, ut dicitis, sed hac appellatione auctoritatem nostram suspendere non potestis, ne in vos aut ecclesias vestras animadvertamus, si delicti enormitas id requirat; scimus enim, quod omnis appellans aut suo nomine appellat, aut alieno; si suo, aut a gravamine quod ei infertur, vel quod sibi timet inferri. Certum tenemus per gratiam Dei, quod nullum gravamen adhuc vobis per nos illatum est, unde debeatis ad appellationis remedium convolare; si contra metum gravaminum appellastis, ne quid de cætero contra vos statuam vel ecclesias vestras, non est ista talis appellatio, quod possit vel debeat suspendere auctoritatem meam aut potestatem, quam in vos habemus et ecclesias vestras; si domini regis nomine appellastis, nosse debuerat discretio vestra, quod introductæ sunt appellationes ad propulsandam injuriam et non ad inferendam, ad sublevandos oppressos et non amplius opprimendos; si vero qui subvertit ecclesiæ libertates, qui bona ejus occupat et invadit, appellans non auditur, multo minus pro eo appellantes. Non ideo hoc dicimus, quod circa domini regis personam vel regnum ejus, vel circa personas et

A.D. 1166. Letters of Becket and others.

A.D. 1166. Letters of Becket and others.

ecclesias vestras quicquam inordinate fecerimus vel facturi sumus; unde credebamus a vobis pro longa patientia magis debere culpari, quam de severitatis rigore condemnari. Inde est, quod breviter vobis dicimus et constanter affirmamus, dominum nostrum regem nullatenus injuste fore gravatum, si adversus eum a domino papa et a nobis sæpissime ac legitime conventum et satisfacere nolentem processerit severitatis censura.' In eisdem sane literis Gileberto, Londoniensi episcopo, in virtute obedientiæ præcepit archiepiscopus, quatenus, infra dies quadraginta post literarum susceptionem, de ecclesiis ac beneficiis clericorum ejus, qui cum eo et pro eo proscripti fuerunt a regno, et quæ in custodia ejusdem episcopi sunt per mandatum regis, quicquid inde percepit, vel in usus ecclesiæ suæ conversum est, remota omni occasione et dilatione, infra tempus prænominatum in integrum sibi restituere non omittat. Episcopus autem, cum hujusmodi literas suscepisset, regi Anglorum scripsit sub hac forma;

Literæ episcopi Londoniensis ad regem Henricum.

The bishop of London to the king.

'Placuit[1] excellentiæ vestræ, quod ecclesiæ clericorum archiepiscopi, quæ in episcopatu Londoniensi sive in Cantia consistunt, sub nostra essent custodia constitutæ; quod onus nos mera, Deus scit, caritate suscepimus, ut, si forte eosdem clericos contingeret ad gratiam vestram redire, indemnes eis conservaremus. Archiepiscopus autem in insidiis sedens adversus meam specialiter personam occasiones quærit, et inde maxime mihi nocere nititur, unde aliis prodesse studebam; qui, directis literis, in virtute obedi-

[1] *Placuit.*] Abridged from the original; lib. i. ep. cxxiii.

entiæ præcepit, ut, quicquid ex eis suscepissem, sibi suisque clericis restituere non omitterem. Hinc est quod vestræ sublimitati supplico, ut custodiam ecclesiarum prædictarum alii, prout expedire videritis, committatis; pecunia vero, quam inde recepi, ad summam centum et octo librarum et quatuordecim solidorum sexque denariorum se extendit, quam peto liceat mihi penes aliquem sub tuto reponere, donec Dominus judicaverit ad quem res ista exitum debeat pervenire.' A.D. 1166. Letters of Becket and others.

Literæ Alexandri papæ ad Thomam, Cantuariensem archiepiscopum.

Anno Domini MCLXVII. Alexander papa Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo, scripsit in hæc verba; [1]'Prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Paschalis et Eugenii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, tam tibi quam tuis legitimis successoribus Cantuariensis ecclesiæ primatum ita plene concedimus, sicut a Lanfranco et Anselmo aliisque ipsorum prædecessoribus constat fuisse possessum. Quicquid etiam dignitatis sive potestatis eidem sanctæ Cantuariensi ecclesiæ pertinere dignoscitur præsentis scripti pagina confirmamus, sicut a temporibus beati Augustini prædecessores tuos habuisse apostolicæ sedis auctoritate constat.' Eodem anno Robertus, Lincolniensis episcopus, vir magnæ humilitatis, migravit ad Dominum septimo kalendas Februarii mensis. Eodem anno Simon,[2] prior ecclesiæ sancti Albani, die Dominicæ ascensionis in abbatem ejusdem ecclesiæ electus a Gileberto, Londoniensi episcopo, ante majus altare illius cœnobii est solemniter con- A.D. 1167. Alexander the third to Becket.

[1] *Prædecessorum.*] Diceto, col. 546.

[2] *Simon.*] He died in 1188; see his life by Paris, p. 91.

A.D. 1167. Letters of Becket and others.

secratus. Eodem itaque tempore effecti sunt discordes reges Francorum et Anglorum, unde Calvus-mons Gizortio vicinus succensus est a Normannis, capti sunt milites multi et cives; sed in illius rei ultionem rex Francorum villam Andeliaci combussit, et ipso die reversus in Franciam plusquam mille de suis in itinere amisit, et non multo post in pago Perticensi milites multi de gente Francorum capti sunt a Normannis.

Literæ regis Henrici ad Reginaldum, Coloniæ archiepiscopum.

A.D. 1168. The king to the archbishop of Cologne.

Anno Domini MCLXVIII. Henricus, rex Anglorum, motus contra papam Alexandrum ex hoc quod Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo, primatum regni Angliæ concessisset, Reginaldo, schismatico Coloniensi archiepiscopo et hosti papæ publico, literas in hæc verba direxit; [1] 'Diu desideravi justam habere occasionem recedendi a papa Alexandro et a perfidis cardinalibus ejus, qui proditorem meum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, contra me manutenere præsumunt; unde cum consilio baronum meorum et cleri, magnos viros de regno meo, archiepiscopum scilicet Eboracensem, episcopum Londoniensem, archidiaconum Pictavensem, Richardum de Luci, Johannem de Oxonia, Romam missurus sum, qui publice denuntiabunt, et manifeste ex parte mea et totius regni Angliæ et omnium aliarum terrarum quas habeo proponent papæ Alexandro et cardinalibus ejus, ne ulterius proditorem meum manuteneant, sed ita liberent me ab eo, ut alium possim cum consilio cleri instituere in ecclesia

[1] *Diu.*] Printed amongst the letters, lib. i. ep. lxix.; where is also subjoined the result of the application, the mission, namely, of the individual required.

Cantuariensi; denuntiabunt etiam, quod quicquid Thomas fecit in irritum revocent. Hoc etiam postulabunt, ut coram eis papa jurari faciat publice, quod ipse et successores sui et mihi et omnibus meis regias consuetudines Henrici regis avi mei inconcussas et inviolatas, quantum ad se, in perpetuum conservabunt. Quod si forte alicui petitionum mearum contradicere voluerint, neque ego, neque barones mei, neque clerus meus aliquam eis ulterius servabimus obedientiam, immo ipsum papam et omnes suos manifeste impugnabimus, et quicumque in terra mea inventus fuerit, qui papæ post hæc adhærere voluerit, expelletur a regno. Ea propter rogamus vos, ut carissimum amicum, quatenus fratrem Ernaldum hospitaliarium, omni occasione remota, cito ad nos mittatis, qui ex parte imperatoris et vestra prædictis nuntiis meis ducatum præbeat in eundo per terram imperatoris; Valete.' Dictum est autem a clericis et notariis domini regis, quod ad ejus petitionem has literas dictaverat Gilebertus, Londoniensis episcopus, in perniciem domini papæ et Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, et ecclesiæ Anglicanæ; unde contigit, quod nocte quadam, dum idem Gilebertus jaceret in strato suo, et studeret circa confusionem archiepiscopi puram conscientiam habentis, et tenorem literarum nihil præter iniquitatem continentium, audivit vocem valde terribilem desuper emissam sibi aperte dicentem, 'O Gileberte Foliot, dum revolvis tot et tot, Deus tuus est [1]Astaroth.'

A.D. 1168. Letters of Becket and others.

[1] *Astaroth.*] He is said to have answered, 'Mentiris dæmon, Deus meus est Deus Sabaoth.'

Literæ Alexandri papæ ad Gilebertum, Londoniensem episcopum.

A.D. 1168. Letters of Becket and others.

Alexander the third to Gilbert, bishop of London.

Eodem tempore dominus papa Alexander scripsit Gileberto, Londoniensi episcopo, pro negotio Cantuariensis ecclesiæ, in hæc verba; [1] "A memoria tua non credimus excidisse, qualiter carissimus in Christo filius vester Henricus, illustris rex Anglorum, multa a nobis olim precum instantia requisivit, ut ab Herefordensi ecclesia, cui præeminebas, de te in Londoniensem ecclesiam translationem fieri pateremur. Ut autem suæ petitioni nostrum super hoc impertiremur assensum, necessitatem imminentem pariter et utilitatem proponebat, asserens quod civitas illa quasi regia sedes existeret; et, quia et religionis et discretionis virtute crederet præeminere, consilio tuo super his, quæ saluti animarum expedirent et ad regni augmentum pariter et conservationem spectarent, temporaliter et spiritualiter uti volebat, et ideo magis proximum te desiderabat habere. Unde attendentes quam utiliter prudentia et religio tua saluti ejusdem regni et regis posset consulere, et, quanta inde valeat commoditas provenire, libenter suis precibus adquievimus et te concessimus in Londoniensi ecclesia promoveri; unde quanto benignius ejus beneplacitum et voluntatem complevimus et tuæ pariter exaltationi intendimus et honori, tanto probitas tua circa incrementum et conservationem ecclesiæ amplius deberet eniti et attentius circa hoc laborare, ut fructum, quem idem rex nobis proposuit, et nos speramus, exhibitione operis et ipsa rerum experientia cognoscamus. Quomodo autem rex prædictus a devo-

[1] *A memoria tua.*] Compare Hoveden, p. 501, with lib. i. ep. vii. where it is dated Clermont, 10th July.

tione ecclesiæ, ab eo quod solebat, animum avertit, et jam in multis, sicut in appellationibus constat et visitationibus nostris, communicando etiam excommunicatis nominatim et schismaticis, et confœderando se eis, et in eo etiam, quod venerabilem fratrem nostrum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, de regno suo exire coegerit, quasi persequi et impugnare videtur, te non credimus ignorare. Quapropter sollicitudinem tuam rogamus, monemus atque mandamus, quatenus, adjuncto tibi venerabili fratre nostro [1]R. Herefordensi episcopo, eundem regem sollicite commoneas et studiosa exhortatione inducas, ut, hujus[modi] proposito prorsus relicto, in eo quod excessit, sicut dignum est, satisfaciat, a pravis actibus omnino desistat, Creatorem suum puro corde diligat, matrem suam Romanam ecclesiam solita veneratione respiciat, nec eam visitare volentes inhibeat, appellationes ad eam factas nullo modo impediat, et prædictum fratrem nostrum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, ad sedem suam benignius revocans et reducens in beati Petri et nostra reverentia firmus immobilisque consistat, et ad opera misericordiæ ac pietatis intendat, ut Ille, per quem reges regnant, temporale sibi regnum conservet in terris et sempiternum largiatur in cælis. Et nisi ista maturius correxerit, timendum sibi erit, ne et Deus ei pro hiis omnibus graviter irascatur, et in eum et in suos debeat gravius vindicare, et

A.D. 1168. Letters of Becket and others.

[1] *R. Herefordensi episcopo.*] Robert de Melun or Maldon. He was consecrated by Becket, at Canterbury, in December 1163, and is said to have died in February 1167; Angl. Sacr. ii. 149: but that this is the Robert intended appears as well from the fact, recorded below, that Robert Foliot, his successor, was not consecrated until 1173, as from a letter of Becket to him (lib. i. ep. xl.) in which he upbraids him with having deserted his cause, whom he had thought given him by the Lord as a prop to the church, and whom he calls his first-born son.

A.D. 1168. Letters of Becket and others.

nos ipsi id non poterimus diutius in patientia sustinere; nec ista pro nobis quantum pro eo proponimus, cujus gloriam et honorem totis affectibus exoptamus.'

Rescriptum episcopi Londoniensis Gileberti ad papam Alexandrum, nimis præsumptuosum.

The bishop's answer.

'Mandatum[1] vestrum, pater in Christo carissime, debita veneratione suscipientes, illico filium vestrum carissimum illustrem Anglorum regem adivimus, et, adjuncto nobis venerabili fratre nostro R. Herefordensi episcopo, juxta vestri formam mandati diligenter convenimus; cui singula, quæ vestris nobis expressa sunt literis, ante oculos ponentes, ipsum obsecrando, et, quantum regiam decebat majestatem, arguendo, constanter et instanter hortati sumus, ut sibi satisfaceret, et, si a rationis tramite deviaverat, ad viam veritatis et justitiæ redire nostra per nos revocatus admonitione non tardaret, et ut a patre pie commonitus a pravis actibus omnino desisteret, Deum puro corde diligeret, matrem suam sanctam Romanam ecclesiam solita veneratione respiceret, nec eam visitare volentes inhiberet, appellationes ad eam factas non impediret, et patrem nostrum dominum Cantuariensem archiepiscopum benigne revocans et reducens in beati Petri et vestra reverentia firmus immobilisque persisteret, et pietatis intendens operibus ecclesias et ecclesiasticas personas non gravaret, nec per se nec per alium gravari permitteret, ut Ille, per quem reges regnant, temporale sibi regnum conservaret in terris et æternum sibi largiretur in cælis; alioquin, si monitis salubribus non ad-

[1] *Mandatum vestrum.*] Compare lib. i. ep. xxxviii. with Hoveden, p. 501.

A.D. 1163. Letters of Becket and others.

quiesceret, sanctitas vestra, quæ huc usque patienter sustinuit, ulterius in patientia sustinere non posset. Ipse vero correctionem nostram multa gratiarum actione suscipiens multaque animi modestia consequenter ad singula respondit; in primis asserens, mentem suam a vobis se nullatenus avertisse, nec id unquam mentis proposito concepisse, quin, dum paternam sibi gratiam exhibueritis, vos ut patrem diligat et sanctam Romanam ecclesiam veneretur et foveat, et sacris jussionibus vestris, salva sibi sua regnique sui dignitate, humiliter obtemperet et obediat; quod si vos jam aliquandiu non respexit solita reverentia, hanc hujus rei causam asserit esse, quod, cum vobis in necessitate toto corde, tota mente, totis viribus adstiterit, sibi postmodum in necessitate per nuntios recurrenti ad vos digne pro meritis vestra sanctitas non respondit, sed in omni fere petitione sua se repulsam sustinuisse conqueritur et erubescit. De paterna confisus gratia, quæ filium, cum volet, exaudit, vultus sperans et exspectans lætiores, in beati Petri et vestra, ut dictum est, fidelitate immobili constantia perseverat; id est, quod sanctitatem vestram visitare volentem nullum prorsus impediet, sed nec, ut asserit, hactenus impedivit. [1]In appellationibus, ex antiqua regni sui consuetudine, id sibi in eis vendicat et honoris, ut ob civilem causam nullus clericorum regni sui, nisi fines exeat an ipsius auctoritate et mandato jus suum obtinere queat prius experiendo cognoscat; quod si nec sic obtinuerit, excellentiam vestram, ipso

[1] *In appellationibus.*] The corrupt passage following should be read thus; 'In appellationibus ex antiqua regni sui constitutione id sibi vindicat honoris et oneris, ut ob civilem causam nullus clericorum regni sui ejusdem regni fines exeat, nisi an ipsius auctoritate et mandato jus suum obtinere queat, experiendo cognoscat;' inter epp. p. 60.

A.D. 1168. Letters of Becket and others.

in nullo reclamante, cum volet quilibet appellabit; in quo, si juri vestro vel honori præjudicatur in aliquo, id se totius ecclesiæ regni sui consilio correcturum in proximo, juvante Domino, pollicetur. Imperatorem illum, etsi schismaticum noverit, a vobis tamen excommunicatum esse, usque hodie non rescivit; quod si denuntiatione vestra resciverit, si fœdus illicitum cum ipso vel quolibet alio iniit, et hoc ecclesiæ regni sui judicio simul et consilio se correcturum promittit. Patrem nostrum Cantuariensem archiepiscopum a regno suo se nequaquam expulisse asserit, unde sicut ultroneus recessit, sic ad ecclesiam suam, cum sibi sederit animo, plena pace reverti sibi liberum erit, dum tamen in satisfaciendo sibi super hiis unde conqueritur, regias sibi, in quas juratus est, dignitates velit integre conservare; siqua vero ecclesiastica persona vel ecclesia ab ipso vel a suis se gravatam ostenderit, satisfactioni plenæ totius ecclesiæ judicio paratus erit. Hæc a domino nostro rege in responsis accepimus, qui causam suam plurimum sibi justificare videtur, cum in omnibus, quæ dicta sunt, ecclesiæ regni sui judicio se pariturum promittit. Unde vestræ supplicandum existimamus excellentiæ, quatenus illud præ· oculis habentes calamum quassatum non conteres, linum fumigans non exstingues, zelum illum sanctum, qui ad ulciscendam omnem ecclesiæ Dei injuriam succensus est, si placet, ad tempus intra fines modestiæ cohibeatis, ne vel interdicti sententiam, vel ultimum illud præcisionis elogium proferendo, ecclesias innumeras subverti misere doleatis, et tam regem ipsum quam innumeros cum eo populos a vestra, quod absit, obedientia irrevocabiliter avertatis; sanguis regius tum se demum permittit vinci cum

vicerit, nec verecundatur cedere cum superaverit. Insipienter attamen in caritate non ficta sic loquimur; sed si hic rei finis exstiterit, ut, amissis omnibus, dominus Cantuariensis exilium juge sustineat, et vestris, quod absit, mandatis ulterius Anglia non obediat, fuisset satius patienter ad tempus sustinuisse, quam tanto severitatis zelo deservisse. Quid enim si plures e nobis ab obedientia vestra persecutio separare non poterit, non deerit tamen qui genua curvet ante Baal, et de manu idoli pallium Cantuariense, non habito religionis delectu, suscipiat, nec deerunt qui sedes nostras occupantes et cathedris nostris insidentes ipsi tota mentis devotione obediant. Jam multi prognosticant ad talia, optantes ut veniant scandala, et directa ponantur in prava; unde, pater sanctissime, non propria plangimus aut ploramus incommoda, sed, nisi his malis celerius occurratis, fœdam ecclesiæ Dei subversionem pertimescimus, ne citius, ob vitæ tædium, optemus periisse diem in quo nati sumus.' Eodem anno Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, Alanum de Nevilla excommunicavit, quia Willelmum capellanum suum vinculis tenuit irretitum. Eodem utique tempore Conanus, minoris Britanniæ comes, dum in fata concederet, ex sorore regis Scotorum, Constantia nomine, filiam reliquit hæredem, quam rex Anglorum Henricus Gaufrido filio suo uxorem accipiens et in pace statuenda passim per Britanniam studiosus existens, animo clerum terræ illius sibi conciliavit et populum.

A.D. 1168. Letters of Becket and others.

Litera Alexandri papæ ad regem Henricum pro reconciliatione beati Thomæ.

Anno Domini MCLXIX. papa Alexander regi Anglorum pro negotio Cantuariensis ecclesiæ

A.D. 1169. Alexander to the king.

A.D. 1169. Letters of Becket and others.

scripsit in hæc verba; [1]'Quam paterne et quam benigne regiam sæpius excellentiam convenerimus et per literas ac nuntios frequentius exhortati fuerimus, ut venerabilem fratrem nostrum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, tibi reconciliare deberes, et sibi et suis ecclesias cum cæteris ablatis restituere, sublimitatis tuæ prudentia non ignorat, cum id toti fere Christianitati publicum et manifestum existat; unde quoniam in hoc hucusque minime proficere potuimus, nec animi tui motum blandis ac lenibus emollire, tristes efficimur et dolentes, et nos sæpe hac fiducia nostra frustrati dolemus; præsertim cum te sicut carissimum filium sincerius in Domino diligamus, cui in hoc grave periculum imminere videmus; et quoniam scriptum est, 'Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuntia populo meo scelera eorum,' duritiam tuam, sicut hactenus, contra justitiam et salutem vestram non duximus ulterius supportandam, nec præfato archiepiscopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officii sui debitum libere exsequatur, et suam et ecclesiæ sibi commissæ injuriam ecclesiasticæ severitatis gladio [2]ulciscatur.'

Item[3] domino Cantuariensi idem papa literas direxit sub hac forma; [4]'Quoniam regem Anglorum diutius in patientia et benignitate exspectavimus, et blandis dulcibusque verbis, et interdum duris et asperrimis, ut ad semetipsum re-

[1] *Quam paterne.*] Compare Hoveden, p. 506, with epp. lib. iv. ep. iv.

[2] *Ulciscatur.*] It appears from the letter as it is to be found in Hoveden, that the pope sent two legates, [Simon] 'Prior de Monte Dei' and 'Bernardus de Corilo,' to confer with the king, p. 507.

[3] *Item.*] Before this, Alexander had written to Becket to apprise him of the attempt he had made at reconciliation, by his letters to the king; see lib. i. ep. liv.

[4] *Quoniam.*] Compare lib. i. ep. cxlv., with lib. v. ep. xxix., from which the text is taken.

diret sæpe monuimus, si tibi ac tuis et ecclesiæ tuæ possessiones et honores ablatos non restituerit, tibi plenam auctoritatem concedimus, ut in personas et ecclesias, quæ ad tuam pertinent jurisdictionem, excepta regis persona uxorisque ejus et filiorum suorum, ecclesiasticam justitiam exerceatis, nullius appellationis obstaculo prohibente; providentia tamen et circumspectione adhibita, quam modestia sacerdotalis requirit.' Eodem tempore Gilebertus, Londoniensis episcopus, Dominica prima Quadragesimæ, ad declinandam sententiam Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, convocato clero civitatis et populo in ecclesia sancti Pauli, Romanæ sedis audientiam appellavit; fuerat enim sæpe ab eodem archiepiscopo commonitus, ut clericis suis ecclesias et beneficia, quæ in manu sua ex traditione regis tenebat, restitueret cum bonis inde perceptis; sed quoniam in his et in aliis præceptis canonicis inobediens perseveravit, archiepiscopus super appellatione sua minime certioratus, in die Palmarum, ipsum, ut regiis iniquis consuetudinibus faventem, apud Claramvallem solemniter excommunicavit et literas ei sequentes direxit; A.D. 1169. Letters of Becket and others.

Quod Thomas Cantuariensis Gilebertum, Londinensem episcopum, excommunicavit.

'Thomas,[1] Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, Gileberto, Londoniensi episcopo, utinam vero fratri, declinare a malo et facere bonum. Excessus vestros dum licuit supportavimus, et utinam mansuetudo patientiæ nostræ, quæ nobis supra modum damnosa exstitit, in totius ecclesiæ perniciem non redundet; sed quoniam patientia nostra semper abusi estis, Becket to Gilbert, bp. of London.

[1] *Thomas.*] Hoveden, p. 512; Diceto, col. 549.

A.D. 1169. Letters of Becket and others.

neque dominum papam neque nos in verbo salutis vestræ voluistis audire, sed obduratio vestra semper in deteriora excrevit, vos, urgente necessitate officii et ratione juris id persuadente, ex justis et manifestis causis anathematis sententia percellentes, excommunicavimus, et a corpore Christi, quod est ecclesia, donec condigne satisfaciatis, amputavimus; præcipimus ergo in virtute obedientiæ et in periculo salutis, dignitatis et ordinis, quatenus, prout ecclesiæ forma præscribit, ab omnium communione fidelium abstineatis, ne vestra participatio Dominicum gregem contaminet ad ruinam, qui vestra doctrina erudiendus et exemplis reformandus erat ad vitam.' Episcopus vero Londoniensis, licet post appellationem sententia in ipsum lata fuisset, mandatum archiepiscopi humiliter perferens ab ingressu ecclesiæ abstinuit patienter; archiepiscopus vero decano et clero Londoniensis ecclesiæ literas dirigens præcepit in virtute obedientiæ, ut a communione sui episcopi penitus abstinerent. Eodem anno Alienor, filia regis Angliæ, nupsit Aldefonso, regi Castellæ.

Literæ regis ad Gilebertum, episcopum Londoniensem.

The king to the bishop of London.

Per idem tempus, cum rumor de excommunicatione Gileberti, Londoniensis episcopi, ad aures regis Anglorum, eodem episcopo [1]illi significante, pervenisset, scripsit ei literas consolatorias in hæc verba; [2]'Audivi gravamen, quod ille Thomas proditor et adversarius meus intulit in te et in alias personas regni mei, quod non minus ægre

[1] *Illi significante.*] He had written to the king to use his influence with the pope in his behalf, that he might be heard in his appeal against the sentence of Becket; lib. iii. ep. xlvi.

[2] *Audivi gravamen.*] Inter epp. lib. iii. ep. xlvii., where it is dated 'apud S. Macarium in Guasconia.'

fero de persona tua, quam si in meam propriam personam virus suum evomuisset, et ideo pro certo scias, quod ego omnem operam dabo per dominum papam et per regem Francorum et per omnes amicos meos, quod de cætero non poterit nobis nec regno nostro nocere; unde volo et consulo, quod tu interim nullo modo in animo tuo turberis, pro certo [1]sciturus, quod, si Romam adire volueris, omnia necessaria ad viam de meo tibi honorabiliter et sufficienter inveniam.' A.D. 1169. Letters of Becket and others.

Quod legati a papa mittuntur ad pacem reformandam inter regem et beatum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum.

Eodem[2] anno missi sunt duo legati a latere summi pontificis, Vivianus et Gratianus, ut pacem inter regem Angliæ et archiepiscopum Cantuariensem reformarent; sed quorum erat potestas æqualis, eos varius disjungebat affectus, nec finis potuit invenire concordes, qui ab initio vota susceperant tam diversa; [3]sed sicut penes regem Gratianus gratiam non invenit, sic nec apud archiepiscopum Vivianus. Cum igitur de pace tractaturi in Normannia apud Baiocas se regis et archiepiscopi conspectibus præsentarent, et post tractatus immensos pax esse in januis ab omnibus crederetur, literas illis direxit Willelmus, Senonensis archiepiscopus, in quibus continebatur, ne sine ipsius conscientia, sicut a domino papa in mandatis acceperant, in reconciliatione procederent facienda. Sic duo legati, infecto negotio, a regis curia recesserunt; noluit enim rex The pope's legates sent to effect a reconciliation.

[1] *Sciturus.*] 'Secturus' in MS.

[2] *Eodem anno.*] Diceto, col. 550.

[3] *Sed.*] The letters of Vivian to the pope and the king, as well as that of Becket to Gratian, may be seen in lib. iii. epp. lxii.–lxiv.

A.D. 1169. Letters of Becket and others.

cum archiepiscopo aliqua ratione componere, nisi salvis sibi consuetudinibus iniquis regni sui et dignitatibus, quod etiam ipsis legatis quasi nefas videbatur.

Literæ regis Henrici ad papam Alexandrum.

The bishop of London visits the king.

Eodem anno Gilebertus, Londoniensis episcopus, transfretavit, suam domino papæ exhibiturus præsentiam et causaś appellationis redditurus; quo veniente ad regem Anglorum in Normanniam, tractare cœperunt communiter, quomodo beatum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, dolo circumvenirent et causam ejus justissimam in conspectu summi pontificis denigrarent. Tandem in hoc consenserunt, ut rex Romam mitteret solennes nuntios cum literis ipsius, in quibus expresse domino papæ denuntiaret, quod, nisi superbiam Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, severitatis pede contereret, ipse et omnes barones Angliæ cum viris ecclesiasticis ab ejus obedientia recederent; literarum autem tenor hic erat, quas domino papæ transmisit;

Letter of the king to Alexander.

'Vestræ,[1] pater, satis innotescit serenitati, quanta me et terram meam affligit molestia, quantis me vexaverit injuriis, Thomas ille adversarius meus, cum, teste conscientia, nihil meruerim, nil gesserim tanta contumelia dignum. Nunc autem innumeris præcedentibus novam adjecit injuriam, cum affligere non desinit innocentem; vestra siquidem fultus auctoritate, ut asserit, devotos et fideles ecclesiæ Romanæ filios Londoniensem et Saresberiensem episcopos, cum quibusdam familiaribus meis, anathematis sententia innodavit, nullam adversus hos habens rationabilem causam. Hoc autem quam sit mihi intolerabile,

[1] *Vestræ.*] Compare epp. lib. iii. ep. xlviii.

quamque famæ meæ et vestræ generet læsionem, vestræ credo non incognitum prudentiæ; videtur mihi etiam, quod me quasi derelictum projecerit paternitas vestra, cum ad ignominiæ meæ augmentum flagitiosum in me grassari permittit inimicum, nec reprimit injuriarum vehementiam paternæ correctionis moderatio. Vestram igitur obsecro suppliciter et adjuro, ut justum est, celsitudinem, ut, quem filio debetis, operis exhibitione monstretis affectum, et illatam mihi et personis meis et terræ meæ injuriam absque tardatione emendare dignemini, et quicquid adversarius meus contra juris ordinem contra me et personas regni mei, clericos et laicos, statuit, irritum habeatis et vacuum; petitionibus enim, quas paternitati vestræ porrigimus, assensum de jure præbere tenemini, maxime cum petitionibus vestris, quas mihi nuntii vestri Vivianus scilicet et Gratianus proponebant, quatenus sæpe fato archiepiscopo Cantuariensi archiepiscopatum suum et amorem nostrum redderemus, nos, postposito honore nostro, concessimus coram ipsis legatis et octo archiepiscopis et episcopis et abbatibus multis, licet ille absque conscientia nostra et coactione aliqua a regno exierit, ut bene et in pace rediret, et omnes possessiones suas haberet sicut habuit quando a regno exivit, et omnes qui cum eo vel pro eo exierunt, salvis dignitatibus regni nostri; serenitatem igitur vestram obnixe rogamus, quatenus attente consideretis honorem et utilitatem, quam vobis et curiæ vestræ contulimus et in futurum, nisi per vos steterit, conferemus, et sic rem hanc ita temperare velitis, ne illius perfidi proditoris nostri malitiosæ blanditiæ simplicitatem nostram circumveniant, sed juxta petitionem nostram eos, qui excommunicati sunt, absolvatis, et, ne in alios venenum ex-

A.D. 1169. Letters of Becket and others.

A.D. 1169. communicationis effundere valeat, provideatis, ne, si minus in hac justa petitione exauditi fuerimus, tanquam de benevolentia vestra desperantes aliter securitati nostræ prospicere compellamur; et, quoniam singula negotia nostra difficile sub scripto comprehendentur, mittimus ad pedes paternitatis vestræ clericos nostros [1]familiares R. archidiaconum Salesberiensem et R. [2]Barre, qui plenius vobis cuncta quæ gesta sunt et alia negotia nostra exponent.'

Quod nuntii regis causam beati Thomæ plurimum depresserunt.

Success of the king's embassy to Rome.

Nuntii igitur regis ad Romanam pervenientes curiam literas ejus domino papæ cum aliis negotiis sibi impositis ostenderunt, donariis simul et blandis sermonibus summopere studentes ad favorem regium illius animum inclinare; sed quid ibi egerint nuntii, literis apostolicis, quas vicissim beato Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo, direxit, continetur expressum. In primis literis papa eidem ita scribit;

'Novit industria tua quam ferventem dispositionem circa regni sui gubernationem carissimus in Christo filius noster Henricus, illustris rex Anglorum, impendat, et eandem, ut firmior habeatur, vult auctoritate Romanæ ecclesiæ roborari, petens ut antiquas regni sui consuetudines et dignitates conservemus illæsas. Item, cum legationis officium totius Angliæ postulasset instantius Eboracensi archiepiscopo indulgeri, pensantes tempora periculosa, legationis literas

[1] *Familiares.*] In Alexander's answer to Henry, printed in Hoveden, p. 515, they are said to have been John Cumin and Ralph de Tamworth. Reginald, archdeacon of Salisbury, is spoken of by the pope as one of the king's ambassadors to him; epp. lib. iv, ep. iii.

[2] *Barre.*] 'Barri,' *C.*

præfato archiepiscopo concedendas eidem regi concessimus, licet, antequam inclinaremur ad consensum, nuntii ejus nobis in verbo veritatis promiserunt et super hoc juramentum obtulerunt, quod nunquam sine voluntate vestra literæ Eboracensi archiepiscopo redderentur.' In aliis autem literis suis idem papa dedit in mandatis archiepiscopo memorato, in virtute præcipiens obedientiæ, ne in ipsum regem aut regnum ejus, vel personas regni, interdicti seu excommunicationis vel suspensionis sententiam promulgaret, nisi idem rex in sua pertinacia perseverans ante initium Quadragesimæ sibi gratiam suam non redderet et bona omnia sibi et suis restitueret, animæ suæ salute et regni sui similiter et hæredum suorum perpetua tranquillitate. A.D. 1169.

De martyrio mentis beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi.

Hoc igitur tribulationis igne et mentis passione confossus Thomas confessor invictus martyrium, quod nondum suscepit in corpore, servavit in mente; videns enim illum, qui caput esse debuit ecclesiæ militantis, quod se non opposuit murum, ut staret pro ea in die prælii, sed conversus est retrorsum velut aries cornua non habens, omni humano destitutus solatio ad divinum confugit auxilium, incessanter pro statu ecclesiæ orans, corpus suum in vigiliis et jejuniis macerans, pro se persequentibus et odio habentibus preces fundens, lachrymosis suspiriis Deum sollicitare studuit, ut ecclesiam conservare dignaretur, quam redemit et proprio sanguine consecravit. [1]Quis enim hujus viri Dei angustias et Mental sufferings of Becket.

[1] *Quis enim.*] See his letter to Conrad, archdeacon of Mayence, lib. iv. ep. xv.

A.D. 1169. mentis poterit exprimere passiones, cujus pater et mater, fratres et sorores, nepotes et neptes, clerici et ministri pro eo sunt in exilium pulsi, et ipse, qui tam reverenda erat in ecclesia Dei persona, panem suum in terra aliena cum dolore compulsus est mendicare? Sed fortasse, quia nemo repente fit summus, hæc ejus fuerunt tormenta præcurrentia ad illius animum solidandum et perferendas injurias, quousque strictis ensibus ad martyrii gloriam pertingere mereretur, cui nondum certus fuerat locus martyrii deputatus.

Forma petitionis, quam Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, a rege postulavit.

Becket's terms of reconciliation.

Eodem anno, infra octavas beati Martini, procurante summo pontifice, [1]habitum est colloquium prope Parisius inter reges Francorum et Anglorum, ubi præsens fuit archiepiscopus Cantuariensis, sed se conspectui regis Anglorum minime præsentavit; ubi cum diu tractatum fuisset de pace reformanda inter regem Anglorum et archiepiscopum Cantuariensem, idem archiepiscopus, per consilium regis Francorum et episcoporum et procerum qui adfuerant, petitionem suam in schedula redactam regi Anglorum transmisit hæc verba continentem; 'Hoc petimus a domino nostro rege, juxta consilium et mandatum domini papæ, quatenus, pro amore Dei et domini papæ et honore sanctæ ecclesiæ et salute sua et hæredum suorum, recipiat nos in gratiam suam, et concedat nobis et omnibus, qui pro nobis et nobiscum exierunt de regno suo, pacem et plenam securitatem de se et suis sine malo

[1] *Habitum est colloquium.*] Diceto, col. 550. Compare Fitz-Stephen, p. 58. This is probably the meeting which, according to Gervase, was held at Montmartre; col. 1408.

ingenio; et reddat nobis ecclesiam Cantuarien- A.D. 1169.
sem in ea plenitudine et libertate, in qua eam melius habuimus postquam facti sumus archiepiscopus, et omnes possessiones quas habuimus, ad habendum et tenendum ita libere et quiete et honorifice, sicut ecclesia et nos ea liberius habuimus et tenuimus, postquam in archiepiscopum promoti sumus, et similiter omnibus nostris, cum ecclesiis omnibus et præbendis ad archiepiscopum pertinentibus, quæ vacaverunt postquam exivimus de terra, ut faciamus de eis, sicut de rebus nostris, prout nobis placuerit et nostris.' Rex autem Anglorum duobus articulis non plenum præbuit assensum, non enim nomine restitutionis, cum archiepiscopum non expulerit, juxta dignitatem regni sui quicquam solvere tenebatur, nec vacantium ecclesiarum possessiones, quas jam certis dederat personis, in irritum revocare; sed coram rege Francorum, ut asserebat, archiepiscopo satisfacere paratus erat, vel, si contendere vellet, judicium in palatio Parisiensi subire, Gallicana ecclesia imponente partes suas, seu scholaribus diversarum provinciarum æqua lance negotium examinantibus, et ita rex Angliæ, qui prius odium in se plurimorum conflaverat, per hæc verba plurimum adeptus est favorem; itaque, mediantibus amicis, in qualemcunque concordiam convenissent rex et archiepiscopus, nisi quod rex[1] osculum pacis dare archiepiscopo negavit, paratus omnem aliam securitatem præstare; archiepiscopus autem pacem inire noluit, nisi firma posset stabilitate gaudere.

[1] *Rex osculum . . . negavit.*] Compare the account of this negotiation, as it may be gathered from the letters of Becket and the legates, lib. iii. epp. lx.-lxv. with the Quadrilogus, p. 101. After this there were three interviews between the king and Becket, namely, at Monmirail, Fretville, and Amboise; Diceto, col. 552.

Quod proceres Britanniæ Henrico regi et Gaufrido filio suo fidelitatem fecerunt.

A.D. 1170. Fealty sworn to Henry and Prince Geoffrey at Nantes.

Anno Domini MCLXX. rex Anglorum [1]Henricus in Natali tenuit curiam suam apud urbem Nanetensem, præsentibus episcopis et baronibus Britanniæ minoris, ubi fidelitatem omnes juraverunt sibi et filio suo Gaufrido; et in Quadragesima sequenti ad Angliam transfretavit, ipse cum omnibus suis [2]in mari fere submersus.

De absolutione Londoniensis episcopi.

Absolution of the bishop of London.

Quo etiam anno Gilebertus, Londoniensis [3]antistes, dum Alpibus transcensis Romam tenderet, apud Mediolanum veniens literas domini papæ in hæc verba suscepit; 'Rothomagensi archiepiscopo et episcopo Exoniensi dedimus in mandatis ut, recepto a te juramento, quod nostro stares judicio super his, pro quibus in te lata erat sententia, nostra te vice absolvant; ita quidem ut, pro eo quod excommunicatus fueras, nullum ordinis aut dignitatis periculum aut infamiæ notam debes sustinere.' Episcopus igitur ad absolutionem aspirans apud Rothomagum in die Paschæ est solemniter absolutus.

De vita et virtute sancti Godrici heremitæ.

Life of S. Godric.

Eodem quoque anno venerabilis heremita Godricus[4] ex hac luce transiens pro vita temporali commutavit æternam; de cujus vita et actibus admirandis ac fine glorioso huic historiæ

[1] *Henricus.*] Diceto, col. 551.

[2] *In mari fere submersus.*] Brompton relates that one of the ships containing more than three hundred souls went down, and all on board perished; col. 1060.

[3] *Antistes.*] Diceto, col. 554.

[4] *Godricus.*] The life of Godric, written by Geoffrey, a contemporary monk, is printed in the Act. SS. May, vol. v. p. 70. Compare also the Nova Legenda, fol. 167, b.

vel pauca referre libet, quoniam injuriam hoc esset facere sancto, ejus opera tam præclara sub silentio præterire. Amicus Dei Godricus in pago Northfolkensi, patre Ailwardo, matre Eadwenna, generatus, villa, quæ Walepol nuncupatur, a prædictis parentibus educatus est et ibidem cum eis aliquamdiu conversatus; ubi, puerilibus annis innocenter transactis, mercator efficitur, et, primo minoris pretii merces exercens, tandem cum sociis mercatoribus nundinas cœpit publicas exercere. Hic die quodam, cum in arenis maritimis solus ambularet, tres in sicco delphines invenit, quorum duobus adhuc palpitantibus, tertius mortuus apparebat. Ille motus pietate viventes reliquit intactos, et de mortuo partem sumens onustus recessit; sed, fluctibus maris de more revertentibus, primo pedes et tibias et demum abyssus caput ejus vallavit. Godricus autem fortis in fide et sub aquis diutius incedens, Domino ducente, ad siccum pervenit, et, parentibus pisce dato, cuncta quæ sibi acciderant enarravit. Solebat autem interdum solus agens de cælestibus meditari et orationem Dominicam cum symbolo frequentius ruminare. Sanctum Andream in Scotia orationis gratia devotus petivit, nec minori devotione ductus Romam perrexit; inde demum reversus quibusdam negotiatoribus adjunctus est et cum eis navigio aggressus est mercaturam, et divitias congerens unius navis dimidium et alterius quartam partem habebat. Erat autem corpore robustus et animo strenuus, unde per regiones diversas navigando loca sanctorum multa visitabat et eorum se patrocinio commendabat.

A.D. 1170. Life of S. Godric.

De puella, quæ beato Godrico in peregrinatione ministravit.

A.D. 1170. Life of S. Godric. Godricus itaque, cum jam navalibus lucris sedecim annorum tempus compleverat, divitias, quas multis laboribus congregaverat, in obsequiis divinis expendere disponebat; signum itaque vivificæ crucis Hierosolymam petiturus accepit et Dominicum sepulchrum devotissime visitavit, et inde per sanctum Jacobum in Angliam remeavit. Qui iterum post aliquod temporis spatium pia devotione succendebatur, ut apostolorum limina visitaret, et propositum suum parentibus indicavit; mater vero cum se itineris comitem futuram assereret, si liceret, filius gratanter annuit, et genitrici humiliter obsequens humeris eam portabat, quotiens asperitas id itineris exigebat. Illis autem urbem Londoniensium prætergressis accessit subito mulier quædam magni decoris, et hujus peregrinationis comitem fieri humiliter supplicavit, quod illi alacriter annuerunt; erat quidem eis comes individua et in eorum obsequiis diligens et devota, nam pedes eorum lavabat, oscula pedibus imprimebat, et aliis cunctis obsequentior habebatur. Ita per totum iter in eundo et redeundo se gerebat, nec ab aliquo interrogata fuit quæ esset vel unde, nec illa id ipsum aliquando indicabat; cum autem repatriantes Londonias appropinquabant, impetravit licentiam recedendi, et in suo recessu hæc verba dixit; 'Tempus est ut illuc redeam, unde sum digressa; vos autem benedicite Deum, qui sperantes in se non deserit, scientes quoniam illud eveniet, quod Romæ ab apostolis postulastis.' Hanc autem mulierem de comitatu nemo vidit nisi Godricus et mater ejus.

Quod vir Dei de peregrinatione reversus ad heremum convolavit.

Cumque patri suo matrem restituisset incolumem, omnia vendidit quæ habebat, et, eorum benedictione percepta, profectus est ab eis, vitam heremiticam præ omnibus concupiscens. Venit tandem in extremis Angliæ finibus ad civitatem, quæ Karleolum nuncupatur, ubi quosdam homines sibi consanguinitate conjunctos inveniens ab uno eorum psalterium sancti Hieronymi ipso donante suscepit, quod in brevi didicit et memoriter recitavit. Tunc silvas, ignorantibus amicis, petens silvestribus herbis ibi et fructibus aliquandiu victitavit, ad quem serpentes et feræ accedentes ipsum diu intuebantur, sed mox cum omni mansuetudine recedebant; ille solus in heremo diebus multis conversatus, nunc genuflexionibus, nunc manibus in cælum elevatis, nunc humi prostratus, Dominum assidue precabatur. Tandem solitarium quendam inveniens et speluncam senis ingrediens, ab ipso confestim audivit, 'Bene venias, frater Godrice;' 'Et tu bene valeas, pater Ailrice,' cum antea prorsus essent ignoti. 'Tu,' inquit senex, 'ad hoc missus es a Deo, ut corpus senile sepulturæ tradas.' Itaque soli per biennium commanserunt, nullam omnino substantiam possidentes. Sene tandem graviter infirmato, Godricus debilem sublevat et transportat, cibos ori ejus applicat, presbyterum adducit, qui ei, facta confessione, eucharistiam subministrat. Videns ergo Godricus quod morbus invalesceret, dixit, 'O spiritus, qui ad imaginem Dei creatus es, adjuro te per Deum omnipotentem, ut me nesciente ex hoc corpusculo non recedas.' Sene autem sine mora animam exhalante, vidit velut in similitudinem venti urentis

A.D. 1170. Life of S. Godric.

A.D. 1170. Life of S. Godric.

et fervidi formam quasi sphæricam, quæ instar vitri lucidissimi tota resplenduit, et illam undique incomparabilis candor obduxit, licet modum qualitatis animæ nemo valeat explicare. Audito autem obitu viri sancti, socii ejus, qui erant in curia beati Cuthberti, inter quos fuerat juvenis conversatus, sepelierunt eum in cœmeterio Dunelmensi.

Quod beatus Godricus Hierosolymam profectus cum prosperitate reversus est.

Sepulto itaque fratre jam dicto, Godricus revertitur ad desertum, hæsitans quid de se divinæ sit placitum voluntati; dum igitur super hoc attentius Deum oraret, vox lapsa de cælo dixit ei, 'Expedit tibi ire Hierosolymam et reverti;' sed et sanctus confessor Christi Cuthbertus ei apparens dixit, 'Vade Hierosolymam cum Domino crucifigi, et ego tibi sum futurus adjutor in omnibus et patronus, et, itineris hujus labore consummato, sub mea protectione apud Finchale Domino militabis.' Godricus autem Dunelmum reversus signum crucis cum presbyteri benedictione suscepit. In hoc itinere erat ei cibus panis hordeaceus et aqua potus, non vestes mutavit nec abluit, non calceamenta deposuit vel mutavit aut emendavit, antequam ad loca sancta veniret; ad sepulchrum Domini et ad alia loca sancta veniens devote oravit, lachrymas fudit, solo adhæsit, oscula fixit, ita devotus existens ut vix cuilibet credibile videretur. Ad Jordanis fluenta procedens, cum cilicio et scypho, quem in pera portabat, et cruce modica, quam semper in manibus ferebat, aquas fluminis introivit, quæ omni post tempore quo vixit habuit cariora; tunc primo vestes exuit, de qua lotus ascendit, calceamenta deposuit et dixit, 'Deus omnipotens,

qui in hac terra nudis pedibus ambulasti, et eos pro me in patibulo clavis transfigi permisisti, ego deinceps calceamenta pedibus non apponam.' Exacto igitur peregrinationis voto, in Angliam repedavit. A.D. 1170. Life of S. Godric.

Quod beatus Godricus apud Finchale locum habitationis, Deo inspirante, elegit.

Reversus autem in aquilonalibus Angliæ partibus locum in silva invenit secretum Eschedale nuncupatum, et hunc sibi competere judicabat. Hic de lignis casulam construxit et cespitibus eam texit, ibique per annum et menses aliquot habitavit; sed, cum ibi a dominis fundi molestias sustinuisset, discessit et Dunelmum pervenit, ubi psalterium ex integro discens tantum in brevi profecit, quod in psalmis, hymnis et orationibus eruditus est, quantum sibi sufficere videbatur. Igitur divina admonitione inspiratus die quodam ad vicinum nemus processit, ubi audivit pastorem quendam socio sic dicentem, 'Eamus in Finchale, greges adaquare.' Hæc audiens Godricus dedit ei solum quem habuit obolum, ut illum duceret ad hunc locum; ubi ad interiorem silvæ densitatem progrediens occurrit lupo miræ magnitudinis sævienti, qui in illum irruit ac si vellet dilaniare frustatim; intellexit autem Godricus versutiam fore hostis antiqui, [et] crucis ei opposuit signum dicens, 'Adjuro te in nomine sanctæ Trinitatis, ut festinanter recedas, si meæ servitutis obsequium, quod in hoc loco exhibere Domino proposui, sit acceptum;' et, his dictis, fera se impiis pedibus prostravit, quasi veniam precaretur.

Quod sanctus Godricus apud Finchale ferarum et serpentium socius habitavit.

A.D. 1170. Life of S. Godric.

Advertens igitur mente quod ibidem esset Domino serviturus, de licentia [1]Ranulphi, Dunelmensis episcopi, juxta ripam Weri fluminis casulam composuit in terra defossam, quam cespite contexit, et cœpit ibi habitare, serpentium socius et ferarum; magna quidem et horribilis aderat serpentium multitudo, mitissimas se tamen viro Dei palpabilesque et ipsius obtemperantes jussionibus exhibebant. Nonnunquam vero, eo sedente ad ignem, se inter ipsius tibias extendebant, et quandoque in disco aliquo vel scypho rotundo se schemate componebant. Cumque hæc annis aliquibus pertulisset, visum est sibi, quod ejus orationes impediebant; et die quodam illos solito more reperiens jussit, ne amplius domum suam intrarent, et mox totum illud vermium genus ita discessit, quod nec ultra casæ limen transire præsumpsit. Munera quoque sibi oblata plane respuit et cibaria, de laboribus manuum vivere disponens ramos et radices herbarum in cineres redegit, quos cum farina hordei ita commiscuit, ut partem tertiam cineres continerent; insultus libidinis lachrymis, vigiliis arcebat et jejuniis, ita quod plerumque per sex dies abstineret a cibo. Post fortia luxuriæ tentamenta conatus est eum diabolus, nunc apparens in urso vel leone, nunc in tauro vel lupo, nunc in vulpe vel bufone, terrere, sed ille fortis in fide omnia contemnebat; ut autem carnis incendia superaret, cilicio carnem edomabat asperrimo, et lorica per quinquaginta annorum curricula utebatur. Lapidem latum habuit pro mensa, super quem

[1] *Ranulphi.*] Flambard; he was consecrated on the 5th of June 1099, and died in 1129. Angl. Sacr. i. p. 705.

panem collocabat prædictum, quem nunquam comedit, nisi gravi necessitate compulsus; potus illi fuit gustus aquæ permodicus, nec hunc sumebat, nisi valida siti coactus; nunquam jacebat in lecto, sed in humo nuda super cilicio fatigatus decubuit, capite supposito lapide, quem pro mensa habebat; luna lucente operibus insistebat, et, somno ita discusso, orationibus incumbebat; hieme gelu et nive rigenti, nudus flumen ingressus nocte ibi tota vivam semetipsum Domino hostiam immolabat, et usque ad collum submersus orationes et psalmos cum lachrymis profundebat. Dum vir sanctus staret in aquis, apparuit ei sæpe diabolus membrorum universitate distortus, et, cum in eum vellet irruere, signo sanctæ crucis illum confusum fugavit; vestes ejus, quas in ripa reliquerat, asportavit, quem Godricus ita clamore deterruit, quod cuncta relinquens effugit. A.D. 1170. Life of S. Godric.

Quod beatus Godricus puerum ex ore imaginis crucifixi vidit exire et in matris gremium descendere reverenter.

Die quodam, dum vir Domini Godricus in oratorio suo sedens psalterium ruminaret, vidit ex ore imaginis crucifixi puerulum exire, qui ad imaginem beatæ virginis, quæ in parte aquilonis stabat in eadem trabe, descendit et gremio ipsius insedit. Illa vero manus contra venientem extendens amplexum fere per tres horas brachiis confovebat; puer quoque, quamdiu sedebat in gremio matris, ut vivens in corpore se movebat, et ad ejus adventum pariter et discessum tota sacræ virginis imago ita contremuit, ut in trabe ruinam minari videretur. Putabat autem amicus Dei Godricus imaginis membra vitali spiritu compleri, et puerum non aliud esse quam

A.D. 1170. Life of S. Godric. Jesum credidit Nazarenum; deinde puer eodem modo quo venerat in os rediit crucifixi.

Quod mater Domini et Maria Magdalena beato Godrico apparuerunt, et de cantico, quod a matre didicit Salvatoris.

Altera vice, cum vir sanctus coram altari beatæ virginis et Dei genitricis oraret, vidit duas puellas, quasi ætate teneras, stantes ad duo cornua ipsius altaris specie pulcherrimas, quarum vestes erant niveo splendore fulgentes; quibus diu invicem se contemplantibus, tacuit Godricus non ausus se movere, sed sæpius in eas oculos convertebat et quandoque cernuus adorabat. Tunc virgines ad Godricum accedentes, illa, quæ a dextris erat altaris, illum taliter est affata, 'Nunquid me, Godrice, cognoscis?' Et ille, 'Domina, hoc nemo potest, nisi cui te volueris revelare;' et illa, 'Vere dixisti, quia mater Christi sum, et per me ipsius gratiam obtinebis. Ista est autem apostolorum apostola, Maria Magdalene.' Et Godricus pedibus Dei genitricis advolutus, 'Tibi me, domina mea,' inquit, 'committo, ut me perpetuo custodire digneris.' Tunc utramque manum super caput ejus imposuit, et cæsariem complanantes domum odore dulcifluo repleverunt. Post hæc autem Dei genitrix canticum quoddam coram illo musica modulatione præcinuit et ipsum cantare edocuit, quod frequenter repetens Godricus memoriæ firmiter commendavit. Est autem canticum illud Anglico idiomate compositum sic;

'Seinte Marie, clane virgine,
Moder Jesu Christ Nazarene,
Onfo, scild, help thin Gorich,
On fang, bring heali widh the in Godes rich.

A.D. 1170. Life of S. Godric.

Seinte Marie, Christes bour,
Meidenes clenhed, moderes flour,
Delivere mine sennen, regne in min mod,
Bringe me to blisse wit thi selfe God.'

Hoc canticum potest hoc modo in Latinum transferri; 'Sancta Maria, virgo munda, mater Jhesu Christi Nazareni, suscipe, adduc, sancta, tecum in Dei regnum. Sancta Maria, Christi thalamus, virginalis puritas, matris flos, dele mea crimina, regna in mente mea, duc me ad felicitatem cum solo Deo.' Præcepit itaque mater Christi, ut quotiens dolori, tædio vel tentationi succumbere formidaret, hoc se cantico solaretur; 'Nam me,' inquit, 'sic invocans meum senties constanter auxilium.' Deinde signum crucis capiti ejus imprimens, ipso cernente, in cælum ascendunt, odorem ei suavissimum relinquentes.

Quomodo sanctus Godricus duos mortuos resuscitavit.

Venerunt die quodam ad hominem Dei vir cum uxore sua, ipsum misericorditer obsecrantes, ut resuscitare filiam suam mortuam dignaretur; et corpus exanime de sacco excutientes coram ipso illud projecerunt. Vir autem Domini, qui ad tantæ virtutis opus se judicabat indignum, nihil respondit, sed in agrum processit, ut consuetum exerceret laborem; illi autem commoti recesserunt, corpus relinquentes in oratorio et dicentes, 'Habeat cadaver et infodiat, vel illud vitæ restituat, quia posset suscitare si vellet.' Godricus vespere domum rediens in angulo oratorii corpus invenit; ad Deum igitur tota cordis intentione conversus orationibus cœpit instare, ut Deus omnipotens, qui vita omnium est et salus, puellam ad vitam revocare dignaretur. Tribus autem diebus et binis noctibus hoc agere non cessavit;

A.D. 1170. Life of S. Godric.

sed die tertio, cum adhuc esset in lachrymis ante altare procumbens, vidit puellam ad altare venientem, et, vocatis cum festinatione parentibus, reddidit eis puellam incolumem, jurantibus illis prius, quod secretum hoc, dum Godricus viveret, nemini revelarent. Alio quoque tempore viro Dei puerum mortuum a parentibus clam oblatum jussit super altare in oratorio beatæ virginis ponere, et parentes consolans lachrymantes ait, 'Ne putetis,' inquit, 'puerum esse mortuum, sed mecum flexis genibus divinam pro puero clementiam exorate.' Oratione igitur completa, præcepit ut eum tollerent de altari, et accedentes viventem reperiunt et ridentem; moxque illos sacramentis constrinxit, ne hoc opus ante ipsius obitum propalarent.

Qualiter monacho vitam ejus scribere volenti responderit.

Habuit autem vir sanctus monachos Dunelmenses valde familiares, sed tamen inter cæteros monachum quendam nomine [1]N. specialius diligebat. Hic autem, cum a multis rogatus fuisset, ut vitam et virtutes sancti Godrici posteris profuturas literis commendaret, ipse pro rerum veritate certius inquirenda accessit ad virum Dei, volens ab eo, quid scribere deberet, familiarius erudiri. Residens autem ad pedes sancti dixit, quod libenter scriberet vitam ipsius si annueret, protestans quam utile fore, si actuum ejus notitia ad posteros deveniret; ille vero quasi commotus vultum convertens ait, 'Vitam Godrici, amice, talem esse cognoscas; Godricus primo rusticus pinguis, fornicator, immundus,

[1] *N.*] Probably an error of the transcriber for 'R.' or Reginald, from whom principally Geoffrey collected the materials for his life. See prologue, in Act. SS. p. 70.

fœnerator, falsarius, deceptor, perjurus, adulator, discurrens, petulans et gulosus, modo pulex mortuus, canis fœtidus, vilis vermiculus, non heremita sed hypocrita, non solitarius sed mente diffusus, devorator eleemosynarum, fastidiosus, deliciarum cupidus et negligens, otiosus et stertens, prodigus et ambitiosus, et qui non esset dignus alii servire, quotidie sibi ministrantes verberat et objurgat. Hæc autem et his pejora scribere poteris de Godrico.' Et his dictis velut indignatus obticuit, et monachus cum nonnulla confusione discessit. Interjectis autem deinceps aliquot annis, nihil de ipsius vita monachus ausus fuit inquirere, donec ipse quasi misertus ejus, et velut de prædicta pœnitens injuria, ultro cœpit dicere quod volebat; adjuravit tamen monachum per dilectionem qua ei conjunctus erat, ut, eo vivente, nemini libellum ostenderet. A.D. 1170. Life of S. Godric.

Qualiter sanctus Godricus de exitu animæ et statu interrogatus responderit.

Altera vice, cum idem monachus propter festum sancti Johannis Baptistæ illuc veniret, ut viro Dei missam celebraret, sedens extra limen oratorii illum intus canentem audivit; deinde post vesperas interrogavit eum frater, qualis esset exitus animarum ex hoc mundo, ad quod tale fertur accepisse responsum; 'Sancta,' inquit, 'anima leniter exit a corpore; sed peccatrix anima, velut immatura, multis flagris ad exitum perurgetur. Egressa vero ad aeris fastigium sine mora conscendit, et ibi moram quandoque facit, exspectans quid Deus de illa facere velit. Est autem ibi quasi quædam porta ferrea et angusta, hinc inde spirituum bonorum et malorum custodiis circumcincta, per quam animæ justorum levi transitu admittuntur, injustæ vero graviter an-

A.D. 1170. Life of S. Godric.

gustantur et cruciantur et ad inferiora miserabiliter deprimuntur. Hodie vero conspexi animam cujusdam justi liberam transvolare per eam, et ideo cum angelis eam deferentibus cœpi præ gaudio cantare, quod et tu admirans audisti.'

Qualiter sanctus Petrus beato Godrico missam celebravit.

Monachus idem iterum illuc reversus quæsivit ab homine Dei, si unam missam vellet audire, qui respondit, 'Hodie de sancta Trinitate missam audivi, et communionem de manu viri cujusdam candidati suscepi, qui de cælo descendens iterum in cælum ascendit, et ut peccata confiterer admonuit, et de meis excessibus dixi ei quicquid mihi occurrit; sic autem absolutus ab illo eucharistiam de manu ipsius reverenter percepi; officio quoque peracto, elevatis manibus est elevatus in cælum. Laudasne, fili, ut post hæc a te modo disciplinam vel communionem accipiam?' Et ille respondit, quod hoc facere non auderet, sed quæsivit ab eo, quis sanctorum ille fuisset; et vir Dei dixit, hunc fuisse Petrum apostolum, qui missus fuerat a Domino, ut ipsum absolveret a peccatis; 'Tu missam,' inquit, 'in honorem beatæ virginis celebrato, ut ejus interventu Filium ipsius habere propitium mereamur,' et monachus Dominum laudans lætus paruit imperanti.

Qualiter sanctus Godricus per orationes et crucis signum fuit a dæmonibus liberatus.

Sanctus heremita et amicus Dei Godricus, cum annos quadraginta in heremo apud Finchale strenue peregisset, morbo confectus et senio ad transitum propinquabat, nam per octo fere annos in lecto languidus decubuerat, nec unquam

nisi alienæ manus auxilio se in latus aliquod declinabat; quo utique tempore tot sustinuit ægritudinum tentationumque molestias, quot nec lingua possent vel calamo comprehendi. Venerunt ad eum duo dæmones, deferentes lecticam et dicentes, 'Huc venimus, ut te ad inferos deportemus, quia senex delirus es et de sapiente factus insipiens;' ille crucis signaculo se munivit, et orans protinus dæmones effugavit. A.D. 1170. Life of S. Godric.

Quomodo diabolus sanctum Godricum in capite percusserit, et de morte ejus.

Postea vero, cum vir Dei vice quadam in lecto solus jaceret, ministri, qui foris erant, vocem illos vocantem audierunt, et accurrens unus eorum festinanter invenit eum corpore nudum jacentem in oratorii pavimento, et illum in lecto reponens quæsivit ab eo, quare sic jaceret; et ille, 'Diabolus,' inquit, 'mihi adstitit, et videns me post quietem somni tepidius agentem, subito de lecto me pepulit improvisum et scamno caput meum allisit;' et ostendens gibbum in capite hæc verba subjunxit, 'Ita subito me prævenit inimicus, ut signo crucis me non potui præmunire, et ait, En, Godrice rustice, de quo non valui hactenus per meos satellites triumphare, dum lecti mollia quæris et sicca a me modo occideris. Cogitet ergo unusquisque quam periculosum sit delicias corpori adhibere et mollitie delectari, cum non possit Deus in finibus suaviter viventium inveniri.' Obiit autem venerabilis pater Godricus duodecimo kalendas Junii, in octavis scilicet Dominicæ ascensionis, cujus vita et virtutes supra homines esse et impossibilia relatu videntur; sepultus est autem in oratorio suo, ad plagam septentrionalem, ante gradus altaris sancti Jo-

A.D. 1170. Life of S. Godric.

hannis Baptistæ, cujus sepulchrum usque in diem hodiernum coruscat miraculis gloriosum.

De coronatione regis Henrici juvenis.

Coronation of Prince Henry.

Eodem tempore, id est anno Domini MCLXX. idibus Julii, convenerunt ad mandatum regis Anglorum Henrici apud Westmonasterium Rogerus, Eboracensis archiepiscopus, et omnes suffraganei Cantuariensis ecclesiæ episcopi, ad [1]coronationem Henrici filii regis primogeniti, qui, patre jubente, coronatus est solemniter a Rogero, Eboracensi archiepiscopo, quarto decimo kalendas Julii, contra [2]prohibitionem domini papæ, qui literas ipsi archiepiscopo et aliis episcopis regni in hæc verba direxit; 'Universitati vestræ auctoritate apostolica penitus inhibemus, ne quisquam vestrum novo regi coronando, si forte casus emerserit, absque assensu Cantuariensis archiepiscopi et ecclesiæ Cantuariensis conniventia, contra antiquam ejus consuetudinem et dignitatem, manum apponere qualibet occasione præsumat aut id aliquatenus attentare;' sed hæc frustra, quia, antequam literæ essent promulgatæ, negotium fuerat consummatum. Et rex statim post coronationem filii sui mare transiens convenit ad colloquium archiepiscopi Cantuariensis [3]apud Muntmirail, ubi præsens erat rex Francorum; et post diutinum de pace tractatum inter eos, cum perventum fuisset ad osculum, quia archiepiscopus

[1] *Coronationem.*] Tyrrell, amongst other reasons, has supposed that Henry was influenced in coming to this determination by the example of the French kings, Robert and Louis le Gros; ii. p. 356.

[2] *Prohibitionem.*] Compare the letters of the pope, lib. iv. ep. xlii.; lib. v. ep. xxxiv.

[3] *Apud Muntmirail.*] The interview at Monmirail had taken place before the coronation of the prince, according to Gervase, col. 1407. So also Fitz-Stephen, p. 58. The text follows Diceto, col. 552.

dixit ad regem, 'In honore Dei vos osculor,' rex recessit ab osculo quasi conditionaliter involutus, nam rex semper in verbis archiepiscopi conscientiam habentis purissimam quasdam clausulas causabatur, videlicet, nunc [1]'salvo honore Dei,' nunc 'salvo ordine meo,' nunc 'salva fide Dei;' archiepiscopus vero regis cautelas habuit semper suspectas, ne, si concordiam absolute iniret, iniquas Angliæ consuetudines regi concedere videretur. A.D. 1170.

De concordia facta inter regem Henricum et beatum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum.

Convenerunt[2] iterum rex Francorum cum rege Anglorum et Willelmo, Senonensi archiepiscopo, et [3]episcopo Nivernensi, apud Fractam-vallem; cum autem rex et archiepiscopus in partem secessissent, bisque descendissent et bis equos ascendissent, bis stapham archiepiscopi rex tenuit cum equum ascendisset; sed tandem apud Ambazium, procurante Rotrodo, Rothomagensi archiepiscopo, rex et Thomas, archiepiscopus Cantuariensis, concordiam inierunt, et, pace confirmata, rex Henricus scripsit Henrico filio suo novo regi literas in hæc verba; 'Sciatis quod Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, pacem mecum fecit ad voluntatem meam, et ideo præcipio, ut ipse et omnes sui pacem habeant; et faciatis ei habere et suis, qui pro eo exierunt ab Anglia, omnes res suas bene et in pace et honorifice, sicut habuerunt tribus mensibus antequam exiret ab Anglia; et faciatis venire coram vobis de melioribus et antiquioribus militibus de honore de [4]Salt- Reconciliation of the king with Becket.

[1] *Salvo.*] Compare Quadrilog. pp. 95, 101.

[2] *Convenerunt.*] Diceto, col. 552.

[3] *Episcopo Nivernensi.*] See the instructions given them by Becket, in a letter written by him to the bishop of Nevers under a feigned name; lib. v. ep. xii.

[4] *Saltwode.*] 'Saltwde,' *C.*

A.D. 1170. wode et eorum juramento faciatis recognosci quid ibi habetur de feodo archiepiscopatus Cantuariensis, et quod recognitum fuerit esse de feodo ejus ipsi faciatis habere. Valete.' His ita gestis, Thomas, venerabilis Cantuariensis archiepiscopus, antequam ad Angliam transfretaret, Romam misit, domino papæ denuntians, quod cum rege Anglorum pacifice convenisset. Papa autem Deum glorificans literas ei rescripsit, quæ

Letter of the pope to Becket on his reconciliation.

sequuntur; 'Anxietate cordis et amaritudine premimur cum angustias, onera et gravamina, quæ zelo justitiæ et pro libertate ecclesiæ manutenenda æquo animo et invicta fortitudine tolerasti, ad memoriam reducimus et meditatione sedula cogitamus; veruntamen, ut in te virtutis perfectionem adimpleres, non potuisti frangi adversis, nec a tuæ constantiæ proposito amoveri, tuam super hoc admirandam commendamus virtutem, et tibi super tanta patientia in Domino plurimum congaudemus. Cæterum, quoniam regem Anglorum diutius in patientia et benignitate portavimus, et blandis dulcibusque verbis, et interdum duris et asperis, ut ad se rediret sæpe monuimus, si pacem, quam tecum fecit, executione operis non impleverit, et tibi ac tuis et ecclesiæ tuæ possessiones et honores ablatos non restituerit, tibi plenam auctoritatem concedimus in personas et in loca, quæ ad tuam legationem pertinent, ecclesiasticam justitiam exercere, nullius obstaculo appellationis obstante.'

De adventu beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, in Angliam ab exilio.

Becket returns to England;

Hac igitur securitate tam a papa quam a rege accepta, [1]in Angliam rediit et in kalendis De-

[1] *In Angliam rediit.*] Whilst waiting for the vessel, he was warned from the count of Boulogne, by Milo, to look to him-

cembris ad portum applicuit Sandwicensem, qui statim, ut nihil de contingentibus omitteret, quibus martyrii gloriam, quam ardenter sitiebat, impediret, [1]misit literas domini papæ Eboracensi archiepiscopo, hæc verba continentes; 'Cum filium suum rex vester coronari voluerit, contempto Thoma, Cantuariensi archiepiscopo, ad cujus officium de antiquo jure dignoscitur pertinere, per manum tuam, frater archiepiscope, in aliena provincia diadema regni ei fecit imponi. In coronatione vero illius nulla ex more de conservanda ecclesiæ libertate cautio juratoria est præstita, nec, sicut aiunt, a vobis exacta; [2]sed potius juramento asseritur confirmatum, ut regni consuetudines iniquæ, sub quibus dignitas periclitatur ecclesiæ, illibatæ debeant omni tempore conservari. In quo etsi multum prænominati regis vehementia nos conturbat, amplius tamen de vestra et aliorum coepiscoporum vestrorum possumus infirmitate moveri, qui, quod dolentes dicimus, facti sicut arietes non habentes cornua, abiistis absque fortitudine ante faciem subsequentis; et si forte hoc licere tibi, frater archiepiscope, in propria potuisset provincia, quomodo tamen in aliena et illius præcipue, qui exsulare pro justitia et solus exire voluit et dare gloriam Deo, tibi licuerit, nec de ratione possumus nec de sanctorum patrum constitutionibus invenire; unde et post tam iniquas consuetudi-

A.D. 1170.

excommunicates the archbishop of York,

self, for that men were lying in wait for him in England either to kill or imprison him; Quadrilog. p. 110. Fitz-Stephen says that Louis had urged his remaining in France, and not to trust the king without the kiss of peace; but that he answered, 'Fiat voluntas Dei,' and replied to the farewell of the bishop of Paris, 'Vado in Angliam mori;' p. 69.

[1] *Misit literas.*] He had brought them over with him, unknown to the king; Newburgh, i. p. 185, who remarks upon this act of Becket, 'utrum autem plene secundum scientiam novit Deus.'

[2] *Sed potius.*] Diceto, col. 553.

A.D. 1170. nes juramento firmatas, non adjecistis sumere scutum fidei, ut staretis pro domo Domini in die prælii. Ne, si diutius tacuerimus, una vobiscum in die judicii damnationis sententia involvamur, auctoritate sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, cui auctore Deo ministramus, ab omni vos officio episcopalis suspendimus dignitatis.' Item sane Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, per alias

and other bishops; domini papæ literas episcopos Londoniensem, Sarisberiensem, Exoniensem, Cestrensem, Roffensem, de sancto Asaph, et Landavensem, cum aliis, qui præfatæ coronationi ministerium præbuerunt, ab omni episcopali dignitate per has literas subscriptas suspendit; 'Quæ causa venerabilem fratrem nostrum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum et sedis apostolicæ legatum, a sua sede exsulare compulerit, non oportet præsentibus annotare, quoniam et vos præsentialiter aspexistis, et id per totam fere occidentalem ecclesiam fama celebris divulgavit. Cum autem piæ memoriæ Theodbaldus, Cantuariensis archiepiscopus, prædecessor hujus archiepiscopi, Anglorum regi coronam imposuerit, ac per hoc Cantuariensis ecclesia quasi possessionem hujus dignitatis habuerit, vos nunc novi regis coronationi, archiepiscopo non præmonito, in ejus provincia ministerium præbere, literis apostolicis id prohibentibus, præsumpsistis; et, qui relevare ipsius exilium qualibuscunque solatiis debuistis, aggravastis potius causam ejus, et super dolorem vulnerum ejus, quod mœrentes dicimus, addidistis. In quo facto, si contra personas vestras non quantum culpa exigit moveamur, pertransire tamen hoc sub silentio non debemus, ne forte, quod Dominus avertat, et nos et vos sententia divinæ severitatis addicat, si ea, quæ in oculis omnium perperam acta sunt, neglexeri-

mus vindicare. Noveritis itaque vos tamdiu ab episcopali officio commissa nobis a Deo auctoritate suspensos, donec ad sedem apostolicam de tanto excessu satisfacturi accedatis, nisi præfato archiepiscopo ita satisfacere curaveritis, ut pœnam istam ipse judicet relaxandam.' A.D. 1170.

Quod ministri regis beato Thomæ præceperunt, ut episcopos excommunicatos absolveret.

Postquam autem Thomas, venerabilis Cantuariensis archiepiscopus, ad ecclesiam suam [1]cum magna cleri et populi devotione susceptus pervenit, illum incontinenter adierunt regis officiales, denuntiantes ex parte ipsius regis, ut suspensos episcopos et excommunicatos absolveret, quia quicquid contra eos factum fuerat, ut aiebant, in regis redundabat injuriam et eversionem consuetudinum regni; quibus respondit archiepiscopus, quod episcopi excommunicati, si jurare vellent in forma ecclesiæ se mandato domini papæ parituros, ipse pro pace ecclesiæ et reverentia domini regis eos absolveret; quod cum episcopis referretur, responderunt, juramentum hujusmodi, nisi ex voluntate regis, se non debere præstare. Et cum paulo post archiepiscopus tenderet ad videndum faciem novi regis, qui tunc [2]apud Woodstocke morabatur, venerunt ad eum [3]nuntii ipsius regis interdicentes ex parte ejus, ne ultra

is ordered by the king to absolve them.

[1] *Cum magna cleri et populi devotione susceptus.*] The following account of his entry into Canterbury is taken from the Quadrilogus; 'Quacumque enim transibat turbæ pauperum, parvuli et magni, senes cum junioribus glomeratim occurrebant, alii prosternentes se in via, alii vero exuentes vestimenta sua et prosternentes per viam, illud frequenter iterantes et conclamantes, 'Benedictus qui venit in nomine Domini.' Sacerdotes etiam parochiani cum parochianis suis, ordinata processione, cum crucibus transeunti obviam exierunt;' p. 113.

[2] *Apud Woodstocke.*] Fitz-Stephen says that the young king was then at Winchester. The text follows Diceto, col. 554.

[3] *Nuntii.*] According to Hoveden, Joscelin, the queen's brother, p. 521.

A.D. 1170. procederet, sed ad suam ecclesiam rediret; qui Cantiam revertens ibi disposuit dies Natalitios celebrare.[1]

De passione gloriosa beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi.

A.D. 1171. Murder of Becket. Anno Domini MCLXXI. beatus Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, sermonem habiturus ad populum in die Dominicæ nativitatis pulpitum ascendit, et, [2]sermone completo, Nigellum de Sackevilla, ecclesiæ de Herges violentum incubatorem, et ejusdem vicarium ecclesiæ, Robertum quoque de Broc, qui equum quendam ipsius archiepiscopi victualia deferentem ad dedecus et ignominiam ejus decurtaverat, solemniter excommunicavit. Quibus ita gestis, quinto die Dominicæ nativitatis, circa horam vespertinam, cum archiepiscopus cum clericis suis in thalamo resideret, Willelmus de Traci, Reginaldus filius Ursi, Hugo de Morvilla et Richardus Brito, de Normannia venientes, tanquam furia injecti subito in thalamum irruperunt, denuntiantes [3]ex parte regis, ut episcopos Angliæ suspensos officio suo restitueret et excommunicatos absolveret; quibus respondit archiepiscopus, non esse judicis inferioris ut a sententia superioris

[1] *Celebrare.*] Paris has inserted here an account of an interview between Becket and Simon, abbot of S. Alban's, at a manor belonging to the archbishop, called Hawes, seven miles from S. Alban's.

[2] *Sermone completo.*] In the Quadrilogus it is said that at the end of the sermon he predicted that the time of his death was drawing near, and that he would shortly leave them. From Dice- to it would appear, that after his sermon he made use of a form of Bidding Prayer, which was then customary; he says, 'Sermone completo, orationibus consuetis, scilicet pro domino papa, pro rege, pro pace populique salute fusis ad Dominum;' etc.

[3] *Ex parte regis.*] For a full account of the murder, see Quadrilog. p. 121, *seqq.*; Stephan. 84, *seqq.*; Marten. Thes. Anecd. iii. 1137.

absolvat, et quod nulli hominum liceat infirmare quod sedes apostolica decreverit statuendum; attamen, si Londoniensis et Sarisberiensis episcopi et alii excommunicati suo mandato se parituros jurare vellent, eos pro pace ecclesiæ et reverentia domini regis absolveret. Illi vero ira incandescentes, et scelus nefarium, quod in mente conceperant, ad effectum perducere properantes, cum impetu recesserunt; archiepiscopus vero, monentibus clericis suis et hora diei vespertina urgente, in majorem intravit ecclesiam vesperas cantaturus. Quatuor itaque satellites nefandi supradicti, armis interim induti militaribus, archiepiscopum e vestigio sunt secuti, qui, cum ad ecclesiam pervenissent, ostia ejus, ut præceperat archiepiscopus, invenerunt aperta; 'Neque enim,' ait, 'Christi ecclesiam, quæ cunctis debet esse refugium, ordine turbato commutabimus in castellum.' Turbis quoque undique confluentibus, præfati quatuor milites ecclesiam irreverenter ingressi clamare cœperunt, 'Ubi est proditor regis, ubi est proditor regis, ubi est archiepiscopus?' Ille autem, cum audisset nomen archiepiscopi, a tertio vel quarto presbyterii gradu, quem jam ascenderat, eis obviam regressus est, dicens, 'Si quæritis archiepiscopum, ecce me in promptu habetis;' quibus acerba proponentibus ei ac mortem comminantibus ait, 'Ego mori paratus sum, vitæ præferens assertionem justitiæ et ecclesiæ libertatem; rogo tamen ut mei non sint obnoxii pœnæ, sicut non fuerunt incentores causæ.' Dum autem nefandi carnifices strictis ei insurgerent ensibus ait, 'Deo et beatæ Mariæ et sanctis hujus ecclesiæ patronis et beato Dionysio meipsum et ecclesiæ causam commendo.' Immolatus itaque martyr gloriosus ante altare beati Benedicti

A.D. 1171. Murder of Becket.

A.D. 1171. Murder of Becket.

lætale [1] vulnus recepit in illa corporis parte, qua olei sacri perfusio specialius illum Domino consecraverat; nec satis fuit eis sanguine sacerdotis et nece ecclesiam profanare et diem sacratissimum incestare, nisi, corona capitis amputata, funestis gladiis jam defuncti ejicerent cerebrum et pavimentum crudelissime spargerent cum cruore.

Quod lictores beati martyris spolia rapuerunt, et de ejus martyrii dignitate.

Translato ad cælestia martyre glorioso, [2] nefandi lictores cum suis complicibus supellectilem martyris et clericorum ejus vestes et ministrorum officinarum omnium utensilia penitus rapuerunt. Corpus autem sanctissimum, quod in ecclesiæ decubuit pavimento, ante majus altare est sub ipsius diei crepusculo deportatum, ubi quod prius ad notitiam, solius cubicularii devenerat, adstantibus tunc cunctis venit in lucem; licet enim archiepiscopus habitum monachilem, quem a tempore suæ promotionis occulte portaverat, habitu canonicali suppressisset, carnem tamen cilicio attritam cum fœmoralibus cilicinis, quod fuerat a seculis inauditum, carnem curaverat edomare; et, ut aliqua breviter perstringamus quæ concurrunt, die Martis archiepiscopus apud Northamptonam a curia regis recessit, die Martis recessit ab Anglia exilium subiturus, die Martis præcepto domini papæ revertens in Angliam est appulsus, et die Martis martyrio consummatus. Sequente vero die Mercurii summo diluculo rumor increbuit, quod nefandi carnifices corpus archiepiscopi abstrahere ab ecclesia con-

[1] *Vulnus recepit.*] 'Quatuor omnino habuit ictus sanctus archiepiscopus, omnes in capite; et corona capitis tota ei amputata est;' Stephan. p. 87.

[2] *Nefandi lictores.*] 'Robertus de Broc et sui complices,' Diceto; from whom the account of Becket's death is taken almost verbatim.

dixerant et extra muros civitatis illud projicere, avibus et canibus discerpendum; sed abbas de Boxleia cum priore et conventu ecclesiæ Cantuariensis illud maturiori [1] tradiderunt sepulturæ; nec abluendum fore illis videbatur, præsertim cum longa nimis abstinentia fuerat maceratum, cilicio abstersum et proprio sanguine consecratum. In hoc sane multa notabilia concurrunt martyrio; primo, quod passus est pro assertione justitiæ et ecclesiæ libertate; secundo, quod in ecclesia non qualicunque, sed in illa, quæ mater est omnium ecclesiarum gentis Anglicanæ; tertio, quod non in quolibet tempore, sed in diebus Natalitiis, in quibus homicidæ rei læsæ majestatis habentur; quarto, quod non simplicem sacerdotem peremerunt, sed utique talem, qui in regno Angliæ erat summus in populo et pater omnium sacerdotum; quinto, quod non passus est in quolibet membro, sed in eo corporis loco, quo tonsuram acceperat, ut in sortem Dei admitteretur, et quem sacri perfusio olei Domino consecravit. A.D. 1171.

De pœnitentia regis, et quod nuntios Romam misit, qui eum excusarent.

Rex [2] Anglorum Henricus tunc temporis in Normannia morabatur apud Argentonium, quando rumor infaustus ad eum, quibusdam perferentibus, penetravit; qui in primis ad omnia lamentationum se convertens genera regiam majestatem prorsus in cinere et cilicio commutavit, omnipotentem Deum testem invocans, quod opus nefarium nec sua voluntate vel conscientia commissum est, nec suo artificio perquisitum, nisi forte ex hoc reus sit, quod archiepiscopum minus Henry's conduct upon the death of Becket.

[1] *Tradiderunt.*] 'Tradentes' in MS.

[2] *Rex.*] Compare Diceto, col. 556, with Quadrilog. p. 146.

A.D. 1171. diligere videretur; super hoc quoque se judicio ecclesiæ prorsus exposuit, et humiliter se susceperturum quicquid in eum foret statuendum salubriter compromisit. Misit ergo nuntios ad summum pontificem, qui eum excusarent et ejus innocentiam allegarent, [1]quos nec dominus papa videre voluit, nec ad pedes vel ad osculum admittere dignabatur; sed nuntios, qui secundo missi fuerunt, aliqui cardinalium susceperunt, sed verbis tantum. Instante tandem quinta feria ante Pascha, in qua de consuetudine Romanæ ecclesiæ solet papa publice vel absolvere vel excommunicare, quibusdam domini papæ silentiariis ad aures nuntiorum regis perferentibus, devenit, quod papa eodem die decreverat in regem Angliæ nominatim, et in omnibus terris suis, de communi fratrum suorum consilio interdicti ferre sententiam, et eam, quæ lata fuerat in archiepiscopum Eboracensem et alios Angliæ episcopos, confirmare. Sic nuntii regis in arcto positi, quibusdam cardinalibus domino papæ suggerentibus, quod iidem nuntii a rege Anglorum acceperant in mandatis, ut jurarent regem Anglorum ejus et cardinalium judicio staturum et per omnia pariturum; sicut etiam nuntii regis petierunt, ita juraverunt et interdicti sententiam declinarunt. Nuntii vero Eboracensis archiepiscopi et aliorum episcoporum Angliæ idem fecerunt. Eodem tum die papa excommunicavit sceleratissimos interfectores beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi et martyris, et omnes qui consilium, auxilium vel consensum præbuerunt, et omnes qui eos in terra sua reciperent

[1] *Quos nec dominus papa videre voluit.*] A letter from the four ambassadors who reached Rome, giving an account of their journey and reception, may be found in the fifth book of the letters, ep. lxxxiii.

aut foverent; ipsi tamen moram fecerunt in castello regis apud Cnaresburc per annum. A.D. 1171.

Quo tempore Deus pro martyre sancto Thoma miracula inchoaverit.

Eodem[1] anno circa Paschalem solemnitatem, Dominus Jesus Christus, qui in sanctis suis semper est et ubique mirabilis, gloriosissimi martyris sui Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, vitam laudabilem et insuperabilem in morte constantiam crebris cœpit irradiare miraculis; ut qui pro tuenda libertate periclitantis ecclesiæ suam suorumque proscriptionem tot annis sustinuit patienter, dignum pro meritis cognoscatur ab omnibus reportasse triumphum. [De sepulchro] quoque martyris gloriosi nullus in fide accedens recedit vacuus, quacumque sit infirmitate gravatus; nam restituitur ibi claudis gressus, surdis auditus, cœcis visus, loquela mutis, sanitas leprosis, vita mortuis, et non solum utriusque sexus homines, verum etiam aves et animalia de morte reparantur ad vitam. Eodem quoque anno rex Anglorum Henricus octavo idus Augusti in Angliam rediens visitavit Henricum, Wintoniensem episcopum, jam in extremis agentem, qui eum pro morte Thomæ martyris gloriosi dirissime increpans multa ipsum prædixit adversa passurum; episcopus autem plenus dierum [2]octavo idus Augusti migravit ad Dominum. Reputed miracles at his tomb.

Quod rex Anglorum Hiberniam ingressus a quibusdam regibus homagium susceperit.

Per idem tempus rex Anglorum Henricus decimo quinto kalendas Novembris hostiliter Hi- Henry's expedition into Ireland.

[1] *Eodem anno.*] Diceto, col. 557.
[2] *Octavo idus.*] 'Sexto idus,' Diceto; Malmsb. de Antiq. Cœnob. Glaston.

A.D. 1171. berniam intravit, ubi archiepiscopi et episcopi ipsum in regem et dominum receperunt et ei fidelitatem juraverunt. [1]Regulus de Limeleie, regulus de Chore, et regulus, qui Monoculus dicebatur, ei homagium juraverunt; Rodericus autem regulus de Comnat, quia regio quam inhabitabat inaccessibilis est, paludibus nimiis interjacentibus, in quibus nec vada commoda, nec pontes pervii, nec navigatio tuta habetur, regi occurrere supersedit. Eodem anno in festo sancti Nicolai, apud Albemarliam, Rogerus, Eboracensis archiepiscopus, præstito juramento, quod ante coronationem novi regis literas prohibitionis a domino papa nequaquam susceperat, et quod se regi de consuetudinibus regni observandis non obligaverat, quodque mortem Thomæ gloriosi martyris nec verbo, nec scripto, nec facto scienter procuraverat, ad officii sui est plenitudinem restitutus.

De reconciliatione Cantuariensis ecclesiæ post mortem sancti Thomæ.

Canterbury cathedral after the death of Becket.

Post[2] mortem beati Thomæ martyris fere anno integro ecclesia Cantuariensis a divinis cessans obsequiis, continuis perstitit in lamentis, subversum est ecclesiæ pavimentum, sonus est campanarum suspensus, nudati sunt parietes ornamentis, et sic quasi in cinere et cilicio exequias in tristitia et mœrore persolvit; sed tandem ad matris suæ Dorobornensis ecclesiæ vocationem, in festo sancti Thomæ apostoli, suffraganei convenerunt episcopi, ut ecclesiam, longa suspensione consternatam, juxta mandatum domini papæ in statum pristinum reformarent. Bartholomæus igitur, Exoniensis episcopus, ad petitio-

[1] *Regulus.*] Diceto, col. 558; see Annals of Ireland; Ware, p. 7.

[2] *Post mortem.*] Diceto, p. 558.

nem conventus, missam celebraturus solemnem et sermonem ad populum habiturus, sic exorsus est, 'Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificant animam meam.' A.D. 1171.

De tonitruo generali et satisfactione regis pro morte beati Thomæ.

Anno Domini MCLXXII. in nocte natalis Domini [1]tonitrua audita sunt generalia, in Anglia scilicet, Hibernia et Gallia, subita et horribilia, orbem fortasse ad nova beati Thomæ martyris miracula ex diversis partibus invitantia, ut sicut sanguinem suum pro universali perfudit ecclesia, ita ejus passio sit generaliter ab omnibus piis desideriis recolenda. Eodem tempore, rege Anglorum moram faciente in Hibernia, Hugo de Seinte More et Radulphus de Faie, avunculus Alienor reginæ, consilio ipsius, ut dicitur, regis Henrici junioris animum cœperunt avertere a patre suo, asserentes, incongruum videri regem quemlibet esse et dominationem in regno debitam non habere; sed rex pater, antequam ab Hibernia rediret, [2]apud Lissemor concilium congregavit, ubi leges Angliæ ab omnibus sunt gratanter receptæ et juratoria cautione præstita confirmatæ. Urbes et castella, quæ rex in sua receperat, sub fideli custodia deputavit; et, quoniam varia ipsum trahebant negotia, in die Paschæ sub ipsius diei crepusculo navem ascendens in crastino applicuit in Walliam, et inde Porecestriam veniens navigatione felici in Normanniam est transvectus. Et confestim ad car- A.D. 1172. Council of Lismore.

[1] *Tonitrua audita.*] Diceto, col. 559.

[2] *Apud Lissemor.*] Diceto, ibid. Compare Hoveden, p. 527, who states the council to have been held at Waterford, with Giraldus Cambrensis, who gives the decrees of the synod held, as he asserts, at Cashel.

A.D. 1172. Henry promises satisfaction for the death of Becket.

dinales a papa missos, Albertum et Theodinum, accedens, post longos tractatus, in præsentia eorundem[1] legatorum juravit, mortem Thomæ martyris gloriosi nec voluntate sua vel conscientia perpetratam fuisse, nec suo artificio perquisitam; sed quoniam malefactores ex verbis, quæ rex iracundiæ calore succensus minus caute protulerat, quod videlicet nequissimos commilitones educaverat et clientes, qui ipsum in proditorem suum archiepiscopum noluerunt vindicare, occasionem virum Dei sumpserant perimendi, rex cum summa humilitate absolutionem postulans impetravit. Promisit igitur rex ad mandatum legatorum, quod tantum daret de pecunia sua, unde ducenti milites ad defensionem terræ sanctæ possent sustentari per annum; promisit insuper, quod permitteret deinceps appellationes libere fieri, et quod consuetudines, quæ suis erant introductæ temporibus contra libertates ecclesiæ, in irritum revocaret, et quod possessiones Cantuariensis ecclesiæ, quæ post recessum archiepiscopi ablatæ fuerant, integræ redderentur; promisit præterea, quod clericis et laicis utriusque sexus, qui pro beato martyre de regno exierant, cum pace sua recipere bona omnia et libere redire licebit; et hoc totum promittere et jurare ac facere ex parte domini papæ regi injunctum est in remissionem omnium peccatorum. [2]Rex vero juvenis, quicquid rex pater juraverat et promiserat, ipse juravit et promisit; et, his ita gestis, rex juvenis cum sponsa sua Margareta mense Augusti in Angliam trans-

[1] *Eorundem legatorum.*] The meeting was held at Abrenc; compare Quadrilog. p. 147.

[2] *Rex vero juvenis.*] Fitz-Stephen tells us, that, when the young king heard of the murder of Becket, he stretched his hands towards heaven, and thanked God that the deed had been done without his knowledge, and unaided by any of his followers; p. 89.

fretavit, et duodecimo kalendas Septembris apud Wintoniam præfatam Margaretam Rothrodus, Rothomagensis archiepiscopus, in reginam Angliæ, ministrantibus sibi quibusdam suffraganeis Cantuariensis ecclesiæ, consecravit. Eodem anno Gilebertus, Londoniensis episcopus, præstito juramento quod mortem beati Thomæ martyris nec verbo, nec facto, nec scripto scienter procuravit, suo est officio restitutus. A.D. 1172.

Quod Johannes filius regis uxorem duxit, et de electione Cantuariensis archiepiscopi.

Anno Domini MCLXXIII. rex Anglorum Henricus Johanni filio suo, cognomento Sine-terra, vix septennem [1]filiam Huberti comitis de Moriana primogenitam, quam ex relicta Henrici ducis Saxoniæ sustulerat, in sponsam accepit. Eodem etiam anno [2]Robertus, abbas Beccensis, pridie nonas Martii apud Lamehitham, præsentibus suffraganeis ecclesiæ Cantuariensis, in archiepiscopum præfatæ ecclesiæ est electus; sed abbas ille electioni factæ penitus contradixit, utrum pusillanimitatis intuitu, an religionis, incertum. Eodem anno rex Henricus juvenis in consilio abiens impiorum animum suum a patre divertit, et ad socerum suum regem Francorum secessit; quo facto, Richardus dux Aquitanniæ et Gaufridus comes Britanniæ, consilio matris suæ, ut dicebatur, Alienor reginæ, fratrem potius elegerunt sequi quam patrem. Fiunt undique conjurationes, fiunt rapinæ et incendia, et sic, ut creditur, in ultionem beati Thomæ martyris suscitavit Deus viscera regis Henrici contra eum, A.D. 1173. Prince John betrothed. Rebellion of the young king.

[1] *Filiam Huberti . . . primogenitam;*] Alice, the elder of two daughters, coheirs, of Hubert, the second earl of Maurienne. She died before the marriage was consummated.

[2] *Robertus.*] Compare Gervas. col. 1423.

A.D. 1173. videlicet filios suos, qui ipsum usque ad mortem persecuti sunt, sicut sequens historia declarabit. Eodem[1] anno Radulphus de Warnevilla, sacrista Rothomagensis et thesaurarius Eboracensis, constitutus est Angliæ cancellarius. Per idem tempus, ad instantiam cardinalium Alberti et Theodini, rex Anglorum Henricus liberas fieri electiones vacantium ecclesiarum concessit; porro Richardus, Pictaviensis archidiaconus, ad Wintoniensem, [2]Gaufridus, Cantuariensis archidiaconus, ad Heliensem, Gaufridus, Lincolniensis archidiaconus, ad Lincolniensem, [3]Reginaldus, Sarisberiensis archidiaconus, ad Bathoniensem, Robertus, Oxoniensis archidiaconus, ad Herefordensem, et Johannes, Cicestrensis decanus, ad Cicestrensem ecclesias sunt electi, regis justiciario assensum præbente.

De electione Richardi, Cantuariensis archiepiscopi, et canonizatione sancti Thomæ.

Successor of Becket elected.

Eodem[4] anno, pridie nonas Julii, suffraganei Cantuariensis ecclesiæ et ejusdem loci senior pars conventus de electione archiepiscopi tractantes elegerunt Richardum, priorem Dovernensem; igitur, electione facta, electus ille regi fidelitatem juravit salvo ordine suo, nulla prorsus habita mentione de regni consuetudinibus conservandis. Acta autem sunt hæc apud Westmonasterium in capella sanctæ Katherinæ, jus-

Canonization of Becket.

ticiario assensum præbente. In hoc quoque concilio [5]recitatæ fuerunt literæ domini papæ in

[1] *Eodem anno.*] Diceto, col. 567.

[2] *Gaufridus,*] Ridel. Becket speaks of him in his letters as 'Archidiabolus et Antichristi membrum;' lib. iii. ep. xcii.

[3] *Reginaldus.*] He was elected to Canterbury in 1191, but died before his consecration.

[4] *Eodem anno.*] Compare Diceto, col. 568, with Gervas. col. 1424.

[5] *Recitatæ fuerunt literæ.*] The letter is printed in the fifth book, ep. xciii. dated Segni, 12th of March; compare also Quadrilog. p. 170.

audientia episcoporum omnium ac baronum, hæc A.D. 1173.
inter cætera continentes; 'Universitatem vestram monemus et auctoritate qua fungimur districte præcipimus, ut natalem Thomæ martyris gloriosi, Cantuariensis olim archiepiscopi, diem videlicet passionis ejus, solemniter sub annis singulis celebretis, et apud eum votivis orationibus satagatis peccatorum veniam promereri, ut, qui pro Christo in vita exilium et in morte virtutis constantia martyrium pertulit passionis, fidelium jugi supplicatione interpellatus apud Deum pro nobis intercedat.' Apicibus autem vix perlectis, levaverunt vocem omnes in sublime dicentes, 'Te Deum laudamus.' Et quoniam suffraganei ejus debitam patri reverentiam aut exsulanti, aut ab exilio revertenti, vel etiam reverso non exhibuerant, sed potius fuerant persecuti, ut suum publice omnibus confiterentur errorem et iniquitatem, ex ore unius episcopi omnium episcoporum est expressa confessio dicentis, 'Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut, qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Thomæ martyris tui atque pontificis intercessione liberemur.' Eodem anno Maria, soror ejusdem sancti martyris, rege jubente, facta est abbatissa Berkingensis. Per idem tempus rex Henricus juvenis castrum Gornaci obsedit, et cepit in eo Hugonem dominum castri et filium ejus cum viginti quatuor militibus, castrum succendit et burgenses ad redemptionem coegit. Quo etiam tempore Robertus, comes Legecestrensis, et cum eo Willelmus de Tankarvilla, cum multis comitibus et baronibus, regem patrem relinquentes ad regem filium transfugium fecerunt.

Quod rex Francorum Normanniam hostiliter invaserit.

A.D. 1173. Affairs in Normandy.

Eodem[1] anno rex Francorum Lodowicus ad Normanniam penitus devastandum innumerabilem exercitum congregavit; qui quantocius Normanniam ingressus castrum Albemarlense cepit, et Willelmum ejus dominum cum comite Simone et pluribus aliis ad deditionem coegit. Demum cepit castrum Driencurt et custodiæ deputavit; indeque ad castrum de Archis progrediens amisit in itinere Bononiæ comitem, unde comes Flandrensis de morte comitis fratris sui animo nimis consternatus ad propria remeavit. Rex Henricus senior inter hæc omnia Rothomagi morabatur, æquo animo, ut populo visum est, ferens ea quæ fiebant, et solito frequentius venatui indulgens ad se venientibus vultum hilariorem prætendit. Dilabebantur autem ab eo hi, quos ab annis puerilibus educaverat, credentes dominationem filii illico imminere. Sedente quoque rege Francorum cum rege filio regis in obsidione Vernolii, rex pater nuntios direxit ad regem Francorum, mandans ut cum festinatione a Normannia recederet, alioquin ipsum eo die hostiliter visitaret; quod audiens rex Francorum, cum sciret regem Anglorum esse potentissimum et animo amarum, fugam inire potius quam pugnare decrevit, et sic a facie regis Anglorum fugiens intra Galliam se cum festinatione recepit.

De subversione Legecestriæ.

Siege of Leicester.

Eodem anno, quinto nonas Julii, rege jubente, obsessa[2] Legecestria dicitur, eo quod comes do-

[1] *Eodem anno.*] Diceto, col. 570; Hoveden, 535.

[2] *Obsessa Legecestria.*] Diceto, col. 572.

minus urbis, rege patre relicto, ad regem filium confugit; sed, urbe tandem pro maxima parte combusta, cives de pace tractaverunt, datis regi marcis trecentis, ut haberent, quo vellent, licentiam abeundi. Concessa est ergo eis tali conditione licentia, ut in urbibus regiis vel castellis locum susciperent habitandi; illis autem abeuntibus, subversæ sunt portæ civitatis, pars murorum destructa est, militibus castello inclusis dantur induciæ usque ad festum sancti Michaelis, et sic quinto kalendas Augusti obsidio est soluta. Quo facto, rex Scotorum Willelmus provinciam Northanhumbrorum, quæ David regi avo suo data fuerat et longo tempore possessa, illam a rege repetens repulsam invenit; qui, exercitum congregans tam Wallensium quam Scotorum, per fines episcopi Dunelmensis securum habuit transitum, donec villis quampluribus succensis, mulieribus et parvulis interfectis, prædam impretiabilem congregavit. Ad propulsandam ergo tantam injuriam magnates Angliæ occurrentes regem Scotorum ad sua redire compulerunt, qui ejus vestigia insequentes totum Lodonesium incendio tradiderunt; quicquid extra muros reperiunt Anglis cessit in prædam; et sic ad instantiam regis Scotorum, datis usque ad festum sancti Hilarii induciis, magnates Angliæ cum victoria remearunt. A.D. 1173.

Qualiter comes Legecestrensis et Flandrenses capti incarcerantur.

Audiens[1] autem Robertus, comes Legecestrensis, quæ de civitate sua facta fuerant, tactus dolore cordis intrinsecus, cum uxore in Angliam reversurus per Flandriam transitum fecit, ubi Normannorum et Flandrensium, tam equitum Capture of the earl of Leicester.

[1] *Audiens.*] Diceto, col. 573; Hoveden, p. 536.

A.D. 1173. quam peditum, plurima sibi suffragante caterva, naves ascendit, et, velis in altum expansis, applicuit in Suthfolca apud Waletunam tertio kalendas Octobris, qui navibus cum festinatione egressus castrum ejusdem villæ obsedit, sed nihil omnino profecit; indeque progrediens tertio idus Octobris castellum de Hagenet invasit, cepit et succendit, et milites triginta intus captos ad redemptionem coegit. Regrediens inde ad Fremingeham, cum mora ejus onerosa Hugoni Bigod castelli domino videretur, necessitate ductus animum direxit et gressum ad Legecestriam visitandum. Iter igitur arripiens proposuit burgum sancti Eadmundi ex industria itinerans sinistrare; quod exercitus regis Angliæ, qui ad patriæ illius custodiam fuerat assignatus, non latebat. Stipatus ergo comes Legecestrensis milite copioso, qui paratus ad pugnam erat, in tribus millibus Flandrensium, quos viæ participes tunc habuit, non minimum confidebat. Inito itaque certamine, et ictibus ictuum assiduitate compressis, post belli varios eventus comes et comitissa, Flandrenses, Normanni et Franci et qui cum eis venerant, omnes capiuntur decimo sexto kalendas Novembris. Comitissa vero annulum habens in digito pretiosum in amnem prope fluentem præ indignatione projecit, nolens hostibus suis de sua captione tantum habere proventum. Tandem pars major Flandrensium occiditur, pars quædam submergitur, pars minima ad vincula trahitur subeunda, quo carcerali custodiæ deputetur.

Quod rex Henricus multos hostium suorum ceperit.

The king's success in Britanny.

Rege[1] Anglorum patre apud Rothomagum commorante, nuntiatum est ei, electam regis

[1] *Rege Anglorum.*] Diceto, col. 574; Hoveden, 535.

filii sui militiam apud Dolensem urbem a suis, a Brebantiis et ruptariis circumclusam; qui continuo equos ascendens sequenti mane ad urbem pervenit præfatam, et militiam filii sui sibi repugnantem per dies aliquot comprehendit, sed, priusquam veniret, hostium suorum maxima multitudo a suis ruptariis fuerat interempta. Captus est ibidem comes Cestrensis Ranulphus, qui nuper transfugium fecit ad filium suum, Radulphus de Fulgeriis, Willelmus Patricius, Radulphus de la Haie, Hasculphus de sancto Hilario, et cum istis milites quater viginti. Eodem tempore magnates Angliæ cum [1]exercitu infinito ad Hugonis Bigod superbiam reprimendam profecti, cum de facili posset expugnari, sicut omnibus videbatur, interventu pecuniæ, datis et acceptis induciis usque ad Pentecosten, quatuordecim millia Flandrensium armatorum per Essexiam et Cantiam securum præbuerunt conductum et apud Doveram naves ad transfretandum. Eodem anno electus Cantuariensis Romam proficiscens habuit in comitatu Bathoniensem electum. A.D. 1173.

De subversione castri Axiholm et magna militia capta.

Anno Domini MCLXXIV. [2]Rogerus de Molbraio a fidelitate regis senioris recedens in insula Axiholm castellum ab antiquo dirutum reparavit; ad quem multitudo Lincolniensium navigio transvecta castellum obsedit, constabularium et milites omnes ad deditionem coegit, et castellum subvertit. Eodem tempore, pridie kalendas Maii, A.D. 1174. Roger de Mowbray defeated.

[1] *Exercitu infinito.*] They assembled at Colchester, Bury S. Edmund's, and Ipswich; Diceto, col. 574.

[2] *Rogerus de Molbraio.*] Diceto, col. 574; Hoveden, 537, who calls the castle Kinardeferie, and adds, that it was stormed by Geoffrey, bishop elect of Lincoln.

A.D. 1174. Henry's affairs in France.

rex Anglorum senior, cum audisset militiam Richardi filii sui urbem Santonicam occupasse, sumptis secum Pictaviensibus, ad ejus liberationem processit; milites illi nec Deo neve sanctæ ecclesiæ reverentiam exhibentes, majorem ingressi ecclesiam, ipsamque in castellum redigentes, armis et victualibus impleverunt. Cum autem rex hostes in tribus munitionibus considere edoctus fuisset, ad eos invadendum operam impendit; duabus igitur munitionibus illico subjugatis, ad majorem ecclesiam militibus armatis et lenocinatoribus refertam accessit, ita ut non eam impugnaret, sed a sordibus liberaret; capti sunt autem tam in ecclesia quam in aliis locis milites sexaginta cum balistariis quadringentis. Positis igitur in securitate finibus illis, rex in Normanniam reversus est necessitate compulsus; Philippus[1] enim, comes Flandrensis, præsente rege Francorum Lodowico et majoribus regni illius, tactis sacrosanctis reliquiis juraverat, quod infra dies quindecim post instans festum sancti Johannis in manu robusta Angliam intraret et regis eam juvenis subjiceret potestati. Qua fiducia rex junior tractus pridie idus Julii apud Witsand venit, Radulphum de la Haie in Angliam cum multa militia transmissurus; comes Flandrensis trecentos et octodecim milites probatissimos ad transfretandum præmisit, sed postquam apud [2]Arewellam in Angliam sunt appulsi, decimo octavo kalendas Julii, sociis eorum maxima ex parte periclitatis, Hugonem Bigod comitem secum illico assumpserunt. Norwicum invadentes ceperunt et infinitam inde pecuniam sustulerunt, multos abduxerunt captivos decimo quarto kalendas Julii et ad redemptionem gra-

[1] *Philippus.*] Diceto, col. 575.

[2] *Arewellam.*] Arwell, near Harwich.

vissimam compulerunt; quod videntes justiciarii regis de consilio communi miserunt ad regem Richardum, Wintoniensem electum, qui pericula, quæ Angliæ imminebant, fideliter intimaret; qui celeriter in Normanniam transvectus, omnia quæ fiebant in Anglia, remota falsitate, narravit. A.D. 1174.

Quod rex veniens in Angliam beatum Thomam gratia orationis petivit.

Rex[1] autem talem nuntium debita cum veneratione suscipiens et se ad transfretandum præparans, reginam Alienor reginamque Margaretam, filium et filiam Johannem et Johannam, secum adduxit; comitem quoque Legecestrensem et comitissam aliosque quamplures, quos habebat in vinculis, ante faciem suam Barbefluvium præmisit, ubi, navibus congregatis, cum innumera armatorum copia impiger naves conscendit, sed ventus in contrarium veniens transitum eo die nautis reddebat suspectum. Cum autem mare rex turbulentum cognovisset, erectis in cælum luminibus, palam cunctis ait, 'Si ea quæ ad pacem sunt cleri et populi habeam in proposito, si pacem in adventu meo dare Rex cælorum disposuerit, tunc pro sua misericordia indulgeat mihi portum salutis; si autem adversus fuerit et regnum in virga furoris Angliæ visitare decreverit, nunquam mihi concedat fines attingere regionis.' Oratione itaque completa, ipso die tranquilla navigatione cum rerum indemnitate ad portum Hamonis applicuit; deinde in pane jejunans et aqua ab ingressu civitatum abstinuit, quousque vota orationum persolveret mente concepta beato Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo ac martyri glorioso. Cum autem Henry returns to England.

[1] *Rex autem.*] Diceto, col. 576; compare Quadrilog. p. 150.

A.D. 1174. His penance at Canterbury.

Cantuariæ appropinquasset, equo desiliens et regiam majestatem prorsus deponens, nudus pedes, faciem peregrinantis, pœnitentis et supplicantis assumens, tertio idus Junii, feria sexta, ad ecclesiam majorem pervenit, et cum gemitibus et suspiriis alter Ezechias lachrymarumque affluentia petiit sepulchrum martyris gloriosi, ubi toto corpore prostratus, manibusque in cælum expansis, diutius in oratione permansit. Interim per os episcopi Londoniensis, sermonem ad populum habentis, rex Deum et martyrem beatum in animam suam invocans publice protestatus est, quod mortem martyris nec mandavit nec voluit, nec suo artificio perquisivit; sed quoniam interfectores martyris gloriosi ex verbis ejus non satis circumspecte prolatis occasionem sumpserant archiepiscopum perimendi, ab episcopis, qui tunc præsentes erant, absolutionem petiit, carnemque suam nudam disciplinæ virgarum supponens a singulis viris religiosis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos excepit. Vestibus igitur resumptis, muneribus pretiosis martyrem honoravit, assignans insuper annui census quadraginta libras ad luminaria circa sepulchrum martyris continuanda, reliquumque diei ac noctis sequentis in amaritudine mentis transegit. Orationibus igitur, vigiliis et jejuniis deditus usque in diem tertium ab alimentis abstinuit; unde beatum martyrem sibi reddens placabilem, ipso die sabbati, quo sibi ab eo indulgentiam dari postulabat, tradidit Deus [1]regem Scotiæ Willelmum in manus suas, apud Richemunt castellum custodiæ mancipatum. Ipso etiam die sabbati rex filius ejus, navibus, quas congregaverat ad trans-

[1] *Regem Scotiæ Willelmum.*] He was taken on the 13th July, according to Buchanan, whilst riding out early in the morning with only a slender guard, lib. vii. See Tyrrell, ii. p. 385.

fretandum in Angliam, ut eam subjugaret, dis- A.D. 1174.
sipatis penitus et fere submersis, coactus est ad Galliam redire.

De captione Willelmi, regis Scotorum.

De captione regis Scotorum, ut breviter dica- Capture of William, king of Scotland.
tur; Dum Northanhumbriam intraret, sicut in anno præterito, ut eam subjugaret et suo regno hostiliter copularet, occurrerunt ei magnates regionis, et, commisso campestri prælio, ipsum ceperunt et vinculis arctioribus constrinxerunt; de formicis autem Scoticis tot interfectæ referuntur, quod numerum omnem excedere dicebantur. Rege vero apud Richemunt castellum carcerali custodiæ deputato, impleta videtur [1]Merlini prophetia dicentis, 'Dabitur maxillis ejus frænum, quod in Armorico sinu fabricabitur;' sinum Armoricum vocans castellum de Richemunt, ab Armoricis principibus et tunc ab antiquis temporibus hæreditario jure possessum. Ut autem ve- Success of Henry in England.
raciter perstringamus beneficia, quæ regi Henrico Deus post satisfactionem, quam sibi exhibuit et beato martyri, [et] per ejusdem sancti intercessionem in articulo temporis præstitit, intelligamus ea quæ sequuntur. [2]Rex autem Henricus, votis orationum completis, a Londoniensibus susceptus est reverenter; inde ad Huntendonam progrediens castellum obsedit et subjugavit decimo quarto kalendas Augusti, ubi milites comitis Legecestriæ ad regem accedentes reddiderunt castella de Grobi et Muntsorell, ut cum domino suo mitius se haberet. Undecimo kalendas Augusti, proceres Norenses, ducem habentes electum Lincolniensem, regis videlicet filium, Malessart, castellum Rogeri de Molbraio, viri-

[1] *Merlini.*] See above, vol. i. p. 25.

[2] *Rex autem Henricus.*] Diceto, col. 577.

A.D. 1174. Success of Henry in England.

bus [1]subjugarunt; rex Henricus, turmis militaribus undique ad eum confluentibus, cum apud sanctum Eadmundum copiosum congregasset exercitum, duo castella Hugonis Bigod, Bungeie et Framingeham, obsidere decrevit; comes autem non habens fiduciam resistendi, datis mille marcis cum obsidibus, pacem regis obtinuit octavo kalendas Augusti. Tunc multitudo Flandrensium, quam Philippus comes in Angliam miserat, ut præmissum est, præstito juramento, quod fines Angliæ amplius hostiliter non intrarent, cum licentia regis ad propria remeavit; militia etiam regis juvenis, cui præerat Radulphus de la Haie, absque impedimento ab Anglia recessit. Robertus, comes de Ferrariis et Rogerus de Molbraio, quorum castella tunc obsidebantur a rege, [2]Trese et Stutebiri, missis ad regem legatis, pacem ejus impetrarunt; Willelmus, comes Gloverniæ, et Richardus, comes de Clare, regi occurrerunt, suo mandato in omnibus parituri. Sic rex magnificus, per intercessionem martyris gloriosi hostibus superatis et rebus Angliæ pacificatis, septimo idus Augusti in Normanniam transfretavit, ducens secum [3]regem Scotorum, comitem Legecestrensem et Hugonem de Castello, quos in vinculis retinebat.

Quod rex Francorum ab obsidione Rothomagi recessit.

Henry raises the siege of Rouen.

Cum[4] autem rex Henricus tertio idus Augusti applicuisset, invenit Rothomagensem civitatem

[1] *Subjugarunt.*] Compare Hoveden, who says that Roger, archbishop of York, was joined with the bishop of Lincoln in the command, p. 537.

[2] *Trese.*] 'Tresc,' Diceto; probably Thirsk.

[3] *Regem Scotorum.*] He first imprisoned them at Caen, but afterwards sent them to the castle of Falaise; Hoveden, p. 540.

[4] *Cum.*] Diceto, col. 578; Hoveden, p. 540.

obsessam; Lodowicus enim, rex Francorum, et Henricus rex juvenis, cum comite Flandrensi Philippo, in absentia regis Anglorum, cum exercitu copioso supervenerant et requiem non dederant civibus obsessis; sed rex Francorum, cum Anglorum regem supervenire didicisset, succensis machinis, non sine famæ dispendio recessit, atque in ejus fuga milites Anglorum arma plurima et instrumenta bellica rapuerunt. Eodem anno archiepiscopus Cantuariensis a Roma rediens pallium et primatum Angliæ reportavit; veniens apud Londonias tertio kalendas Septembris vacantium ecclesiarum personas principales, quæ sibi pastores elegerant, convocavit, ubi electionibus confirmatis, Wintoniensem, Heliensem, Herefordensem et Cicestrensem electos pariter consecravit; Gaufridus vero, Lincolniensis electus, quia nondum electio ejus fuerat confirmata, transfretavit,[1] in propria persona Romam iturus vel ad ipsam nuntios transmissurus. A.D. 1174.

Quod omnes filii regis Anglorum ad pacem patris sunt reversi.

Anno Domini MCLXXV. Lodowicus, rex Francorum, et comes Flandrensium, sumptibus tædiosis affecti, quos pro rege Anglorum juvene impenderant, et damna sibi ac suis illata et interfectiones ad memoriam revocantes, promiserunt se velle ab infestatione Normannorum animum revocare; unde filios regis Angliæ, quos paternam maledictionem, odium cleri, populorum imprecationem noverant incurrisse, ut ad patris gratiam redire possent, summopere satagebant. Rex Angliæ igitur, per internuntios omnes adversarios suos ad pœnitentiam revocatos intelligens, A.D. 1175. The king and his sons reconciled.

[1] *Transfretavit.*] On the 8th October; Diceto, col. 582.

A.D. 1175. ipsos Cenomannis ad suum venire colloquium procuravit, ubi a Gaufrido primitus et Richardo, filiis suis, homagium et fidelitatem accepit. Post[1] dies autem paucos, apud Burum in Normannia venit ad eum rex filius ejus, cum archiepiscopo Rothomagensi et aliis episcopis et baronibus multis, et cum multa lachrymarum effusione ad pedes patris prostratus misericordiam precabatur; rex autem motus pietate super filio, quem totis visceribus diligebat, intelligens eum ex corde loqui, iram et omnem ei indignationem remisit, atque ejus homagium, addito juramento, suscepit. Omnibus igitur bene pacificatis et osculis undique ex corde collatis, rex pater milites nongentos et sexaginta novem, quos tempore belli ceperat, sine redemptione a vinculis solvit; paucos vero, quorum facinus enorme principem mansuetissimum ad iracundiam provocaverat, arctiori custodiæ tradidit mancipandos; rex vero filius eodem modo milites quos jure belli ceperat, quorum numerus ad centum et eo amplius excreverat, sine pecunia relaxavit. Tunc rex pater literas in omnes fines suæ dominationis formam hujus pacis continentes direxit, ut omnes, quos generale discrimen belli afflixerat, communis lætitia recrearet; continebant insuper literæ, quod omnia castella, quæ munita fuerant tempore belli contra ipsum, ad illum redigerentur statum in quo erant quando guerra [2]incepit.

---

[1] *Post dies autem paucos.*] Upon the 1st of April; Diceto, col. 585. It appears that the young king would not trust his father until his homage had been accepted. See Hoveden, p. 542; Newburgh, i. p. 227.

[2] *Incepit.*] Paris has here inserted a notice of the council of Westminster, held at the end of May in this year, under Richard, archbishop of Canterbury; the particulars may be found in Hoveden and Gervase.

Willelmus, rex Scotorum, pacem fecit cum rege Anglorum.

A.D. 1175. The king of Scotland is released, and pays homage to Henry.

Eodem anno Willelmus, rex Scotorum, apud Falesiam tentus in vinculis, cum rege Anglorum pacem[1] fecit in hunc modum sexto idus Decembris; Rex Scotorum devenit homo ligius regis Anglorum de regno Scotiæ et omnibus terris suis, et homagium fecit ei et ligantiam ut domino suo speciali, et Henrico filio ejus, salva fide patris sui; et similiter omnes episcopi cum comitibus ac baronibus de regno Scotiæ, de quibus rex Anglorum homagium voluit et fidelitatem habere; et non solum sibi sed et successoribus regis ipsi et successores sui in perpetuum, sine malo ingenio. Rex præterea Scotorum et omnes homines sui nullum amodo fugitivum de regno Angliæ receptabunt in Scotia, nec in alia terra sua; sed rex Scotiæ et homines ejus eum capient et illum regi Anglorum vel suis justiciariis reddent. Pro hac autem conventione et fine firmiter observando dedit rex Scotorum regi Anglorum et successoribus suis castella de Berewic, de [2]Rokesburc, in perpetuum possidenda; et, si rex Scotorum aliquo tempore contra hoc venire tentaverit, episcopi Scotiæ cum comitibus et baronibus contra regem suum tenebunt, et episcopi terram ejus sub interdicto ponent, donec ad regis Anglorum obsequium revertatur. Igitur rex Scotorum, datis obsidibus, rediit in Angliam, sub libera deputatus custodia, donec castella, quæ regi pepigerat, pro illius arbitrio redderentur. Castella vero per Angliam et Normanniam multorum, quæ tem-

[1] *Pacem fecit.*] See the convention in full; Rymer, i. p. 39. It was ratified at Durham in the following year.

[2] *Rokesburc;*] to which are to be added Jedburgh, Edinburgh, and Stirling.

A.D. 1175. pore discriminis inter patrem et filium constructa fuerant, passim eversa sunt, rege jubente.

Reges Anglorum, pater et filius, beatum Thomam petierunt.

A.D. 1176. Henry and the young king visit Becket's tomb.

Anno Domini MCLXXVI. reges Anglorum, pater et filius, in Angliam venientes per dies singulos in eadem mensa sunt refecti, et idem thalamus fomenta quietis eisdem de noctibus ministravit; et properantes simul, ut beatum Thomam martyrem egregium [1]visitarent, cum omni humilitate orationum et mansuetudine vota peregerunt; indeque per Angliam pariter profecti pacem singulis et justitiam, tam clericis quam laicis, promiserunt et id opere compleverunt. Eodem anno Willelmus de Brausia multitudinem Wallensium in castello de Bergevenei callide convocatam prohibuit, ne quis cnipulum ferret viator vel arcum, sed, illis hujusmodi decreto contradicentibus, capitali omnes sententia condemnavit; qui, ut proditionis suæ nequitiam quasi sub velamine honestatis palliatam intelligas, hoc fecit in ultionem avunculi sui Henrici de Hereford, quem ipsi in sancto sabbato Paschæ antea peremerunt. Eodem anno Richardus, Cantuariensis archiepiscopus, in diocesi sua, quæ ab antiquis temporibus uno tantum fuerat archidiacono contenta, ultimis his diebus tres archidiaconos constituit, Savaricum scilicet, Nicolaum et Herebertum. Eodem anno [2]Johannes, decanus Sarisberiensis, consecratus est antistes Norwicensis; nec multo post rex Anglorum fecit complanari castella de Legecestria, Huntendonia, Waletonia, de Grobi et Stutesberi, de Haie et de Tresc, et alia quamplurima, in ultionem injuriarum,

[1] *Visitarent.*] On the 28th May; Diceto, col. 585.

[2] *Johannes.*] John, a native of Oxford; he died 2nd June 1200.

quas ipsi frequenter intulerant domini castellorum; deinde idem rex, per consilium filii sui et episcoporum, constituit [1]justiciarios per sex partes regni, in qualibet parte tres, qui juraverunt, quod cuilibet jus suum conservarent illæsum. A.D. 1176.

Petro, Romanæ sedis legato, rex Anglorum quatuor capitula concessit.

Veniente eodem tempore in Angliam Petro Leone, legato sedis apostolicæ, quatuor ei rex concessit capitula, quæ sequuntur, in regno Angliæ observanda; Primo, quod clericus de cætero non trahatur ante judicem secularem personaliter pro aliquo crimine vel transgressione, nisi pro foresta et laico feodo, unde regi vel alii domino seculari laicum debetur servitium; secundo, ut archiepiscopatus, episcopatus, vel abbatiæ non teneantur in manu regis ultra annum, nisi pro causa evidenti vel necessitate urgente; tertio concessit, ut interfectores clericorum convicti vel confessi coram justiciario regni, præsente episcopo, puniantur; quarto, quod clerici duellum facere non cogantur. Eodem anno [2]Johanna filia regis, Siculo regi nuptura, quinto idus Novembris apud sanctum Ægidium in conspectu virorum illustrium tradita est marito; quo utique tempore universa Angliæ castella sunt ad imperium regis custodiæ deputata. Hoc quoque tempore Willelmus, comes Gloverniæ, cum filium non haberet, ægre ferens hæreditatem inter filias dividendam, Johannem Sine-terra regis filium sibi constituit[3] successorem. Reception of Leo, the pope's legate.

[1] *Justiciarios.*] For a list of the districts and the judges appointed in each, see Hoveden, p. 548.

[2] *Johanna.*] Rymer, i. p. 42.

[3] *Constituit successorem.*] At Windsor, 28th September; Diceto. On condition that he married Hawise, the earl's youngest daughter; Hoveden.

Quod reges extranei discordes regis Anglorum sese arbitrio subdiderunt.

A.D. 1176. Contention between the kings of Castille and Navarre.

Circa[1] dies istos [2]Aldefonsus, rex Castellæ, gener regis Angliæ, et [3]Sanccius, rex Navarorum, avunculus ejus, discordes ad invicem, missis ad regem Angliæ legatis, se staturos illius arbitrio juraverunt. Nuntii quoque apud Westmonasterium in præsentia regis, episcoporum, comitum, baronum, constituti proponebant, illi, qui causam Aldefonsi regis tuebantur, Sancium, regem Navarorum, memorato regi Castellæ, dum adhuc pupillus esset et orphanus, castella et terras, Logtonium videlicet, Navarret, Anthlena, Aptol et Agosen, cum pertinentiis suis, quæ pater suus, die quo decessit, et ipse post aliquot annos quiete possederat, injuste et violenter abstulisse, unde domino suo restitutionem fieri postulabant; illi autem, quibus causa Sancii regis commissa fuerat, nihil eorum quæ ab aliis proposita fuerant contradicentes, asserebant Aldefonsum præfatum Sancio prænominato castella, Legin scilicet, Portel, et castellum quod tenet Godin, per guerram et injuste abstulisse; parte altera in nullo sibi contradicente, eorum domino suo fieri restitutionem pari instantia flagitabant; nuntii præterea in jure confessi sunt palam, inter reges præfatos treugas usque in septennium, fide interposita, fuisse firmatas. Rex igitur Anglorum, habito cum episcopis, comitibus et baronibus concilio super querelis prætaxatis, hinc inde violenter et injuste ablatis, cum nihil contra violentiam utrinque propositam a parte alterutra respondere-

[1] *Circa dies istos.*] The charters connected with this question are printed by Rymer, i. pp. 43-50.

[2] *Aldefonsus.*] Alfonso III. of Castille had married the princess Eleanora.

[3] *Sanccius,*] or Sancho VI.

tur alterutri, nec quicquam, quo minus restitutiones quas petebant faciendæ essent, allegaretur, plenariam utrique parti supradictorum, quæ in jure petita erant, restitutionem judicavit; adjunxit etiam, treugas præfatas inter eos fide firmatas usque ad constitutum terminum esse inviolabiliter observandas; judicavit etiam pro bono pacis, ut rex Aldefonsus donet liberaliter Sancio regi singulis annis usque ad decennium tria millia marabotinorum, et sic pacem haberent ad invicem et perpetuam amicitiæ firmitatem. In eisdem sane diebus nuntii Manuelis, Constantinopolitani imperatoris, nuntii Romani imperatoris Frederici, nuntii Willelmi, Treverensis archiepiscopi, nuntii Henrici, ducis Saxonici, nuntii Flandrensis comitis Philippi, quos varia trahebant negotia, tanquam ex condicto, pridie idus Novembris in curia regis Anglorum simul apud Westmonasterium convenerunt; hæc ideo dicimus, ut notum sit omnibus, quantæ rex Henricus sapientiæ fuerit quantæque magnificentiæ, ad cujus audientiam totius fere orbis consilia et dubia principum discutienda judicia pervenerunt. A.D. 1176.

De remotione ab ecclesia de Waltham canonicorum secularium.

Anno Domini MCLXXVII., amotis ab ecclesia Walthamhensi canonicis, [1]quos seculares vocant, introducti sunt regulares auctoritate summi pontificis in vigilia Pentecostes, rege procurante Henrico et præsente; et eodem die Radulphus, Cicestrensis canonicus, de manu Londoniensis episcopi curam ecclesiæ prædictæ suscipiens, ipsi tanquam diocesano de canonica subjectione servanda verbis se obligavit expresse, et, fratri- A.D. 1177. Secular canons removed from Waltham.

[1] *Quos seculares vocant;*] 'quia licentiam nimis vagam in seculo quidam ipsorum habuerant;' Diceto, col. 598.

A.D. 1177. bus cum eo introductis, prior est ab eodem episcopo assignatus, et in sua sede solemniter collocatus. Quo etiam tempore rex Anglorum, regno pro sua voluntate disposito, decimo quinto kalendas Septembris in Normanniam transfretavit, et, confestim inter regem Francorum et ipsum habito colloquio, hoc modo concordiam ineunt; 'Ego[1] Lodowicus, rex Francorum, et ego Henricus, rex Anglorum, volumus ad omnium notitiam pervenire, nos, Deo inspirante, promisisse et juramento confirmasse, quod simul ibimus in servitium Crucifixi, et ituri Hierosolymam suscipiemus signaculum sanctæ crucis, et amodo volumus esse amici ad invicem, ita quod uterque nostrum alteri conservabit vitam et membra et honorem terrenum contra omnes homines; et, si quæcumque persona alteri nostrum malum facere præsumpserit, ego Henricus juvabo Lodowicum, regem Francorum, dominum meum, contra omnes homines; et ego Lodowicus juvabo regem Anglorum Henricum contra omnes homines, sicut fidelem meum, salva fide quam debemus hominibus nostris quamdiu nobis fidelitatem servabunt.' Acta autem sunt hæc apud Minantcurt septimo kalendas Octobris.

De fundatione monasterii de Westwode.

A.D. 1178. Westwood abbey founded. Anno Domini MCLXXVIII. Richardus de Luci, Angliæ justiciarius, tertio idus Junii fundamenta jecit ad construendam ecclesiam conventualem in honorem beati Thomæ martyris in loco, qui vocatur [2]Westwode, in territorio Roffensi.

[1] *Ego Lodowicus.*] Rymer, i. p. 50. According to Brompton, this agreement was entered into at Rouen, on the 21st September; col. 1134.

[2] *Westwode,*] called also Lesnes abbey; suppressed by Henry VIII. in 1524, to furnish a revenue for Wolsey, to assist in building his colleges at Oxford and Ipswich.

Eodem[1] anno rex Anglorum Henricus, cum per omnes provincias suæ potestatis, quæ vel Francorum liminibus, vel montibus Pyrenæis, vel Britannico vicinantur oceano, munitiones obtinuisset et omnia pro velle disposuisset, idibus Junii beati Thomæ martyris visitavit sepulchrum; et, paucis inde diebus evolutis, Gaufridum filium suum octavo idus Augusti apud Wodestoke cingulo militari donavit. A.D. 1178.

De revelatione sancti Amphibali cuidam viro facta.

Eodem anno vir quidam, beati Albani martyris burgum inhabitans et loci illius indigena, inter convicaneos suos sine querela vixit. Hic ab ineunte ætate, quantum substantiæ mediocritas permittebat, honeste vivens, devotus ecclesiæ exstitit frequentator. Dum igitur una noctium in strato jaceret, circa gallicinium intravit quidam decori vultus et statura procerus ejus cubiculum, ut sibi videbatur, qui vestibus indutus candidis virgam in dextra pulcherrimam bajulabat, in cujus ingressu domus confestim tota resplenduit et quasi claritas solaris interiora cubiculi perlustravit; qui lecto appropinquans jacentem vocavit, et, si dormiret, leniter requisivit; 'Roberte,' inquit, 'dormis?' Expavit autem Robertus timore vehementi, et supra modum admirans ait, 'Quis es, domine?' Et ille; 'Ego sum martyr Albanus, qui ad hoc venio, ut annuntiem tibi Domini voluntatem de magistro meo,' inquit, 'clerico videlicet illo, per quem [fidem Christi] suscepi, [de quo] inter homines sermo frequens habetur, et, cum spes fidelium sit quod futuris temporibus debeat revelari, locus tamen ejus sepulturæ ab omnibus ignoratur. Surgens ergo velociter circunda tibi vestimentum tuum Legend of S. Amphibalus.

[1] *Eodem anno.*] Diceto, col. 600.

A.D. 1178. Legend of S. Amphibalus.

et sequere me, et ostendam tibi sepulchrum pretiosis ejus reliquiis insignitum.' Surgens ergo Robertus, ut sibi videbatur, secutus est eum, et versus aquilonem in strata publica gradientes perrexerunt pariter, donec ad planitiem quandam ab antiquo incultam, quæ sita est juxta viam regiam, pervenerunt; habebat autem locus ille gratam planitiem, tam pascuis quam fessis in via hominibus ad pausandum aptam, in villa, quæ Redburnia nuncupatur, tribus ferme milliaribus a sancto distans Albano. In hac sane planitie duo colliculi eminebant, qui 'Colles vexillorum' dicebantur, eo quod circa illos populares fiebant concursus quando populus fidelis ex antiqua traditione solemnem processionem annuatim ecclesiæ sancti Albani debita cum veneratione persolvit. Tunc sanctus Albanus a via paululum declinavit, et, apprehensa manu viri, duxit eum ad unum de colliculis, qui sepulchrum beati martyris continebat. Deinde, converso ad eum vultu, 'Hic,' inquit, 'locus magistri mei reliquias tenet, hic ejus ossa contegit et conservat;' et sic fatus pollice viri terram instar crucis [1]aperuit, et, eversa cespitis modica portione, quoddam scrinium reseravit, ex quo splendor nimius exiens orbem occiduum illustravit et primo lucis suæ radios in mundi latitudinem copiose diffudit; quo facto, capsula recluditur et loci planities in statum pristinum reformatur. Stupet vir ille, et, quid sibi super iis sit agendum, a sancto postulat edoceri; ad quem beatus Albanus, 'Signa locum diligenter, ut, quæ meo tibi sunt revelata ministerio, firmius adhæreant menti tuæ; veniet enim e proximo tempus, quando hæc instructio tua specialis generali profectui militabit;' et his dictis, 'Surge,' inquit, 'ea-

[1] *Aperuit.*] 'Apparuit' in MS.

mus hinc, et ad locum unde recessimus revertamur.' Illis autem per viam qua venerant revertentibus, sanctus suam intravit ecclesiam, et homo ille domum suam ingressus proprio sese lecto recepit. A.D. 1178. Legend of S. Amphibalus.

Quod vir præfatus visionem sibi ostensam revelaverit.

Vir autem mane expergefactus, in ancipiti positus, fluctuabat, utrum sub silentio præteriret, an aliis, quæ in visu, vel potius, ut præsumebat, re, corporaliter gesta didicerat, revelaret; si enim sileret, peccare metuebat in Deum; si rem publicaret, sannas hominum verebatur. Ista tandem animo sæpe revolvens homo, timore Dei humanum absorbuit; et, licet adhuc verbum hoc communibus esset auribus absconditum, domesticos tamen suorum et privatos effecit conscios secretorum. Illi autem, quod dicebatur in tenebris, in lumine proferebant, et, quod in aure audierant, super tecta prædicabant. Factum est autem, ut hoc anno verbum istud per totam disseminaretur provinciam, adeo quidem ut ipsius frequentia monasterii beati martyris Albani claustrum intraret. Denique fama desiderata, quibusdam perferentibus, ad abbatem Simonem penetravit, cujus post Deum auctoritate negotium illud robur erat specialiter habiturum; qui protinus gratiæ Dei laudes persolvit, et, communicato consilio, electos de conventu fratres aliquot ad locum, quem vir ille ostensurus erat, eodem viro prævio, destinavit. Conventus domi devotis orationibus incumbebat, et fratres ductorem suum sequentes, videre martyrum reliquias properabant; quo demum pervenientes invenerunt ibidem fidelium multitudinem, quos Spiritus Sanctus de diversis provinciis in unum prospero prognostico collegerat, ut inventioni martyris

A.D. 1178. Legend of S. Amphibalus.

interessent. Illis eventum rei præstolantibus, sæpe dictus homo præcedebat, fratribus planitiem ostendens sanctorum corpora continentem. Erat autem feria sexta ante solemnitatem beati Albani quando hæc facta sunt, qua ejusdem sancti passio celebratur. Ab illo ergo die, usque quo elevati fuerunt sancti, loco illi custodia non defuit, sed fratres jugiter cum laicis adfuerunt. Conventus interim continentiam vitæ suscepit arctioris, et, statuto cum processione orationum suffragio, solemne jejunium populo prædicatur. Jam locus ille futuræ inventionis nundinarum similitudinem præferebat, et recedentibus aliis, quos fervor devotionis adduxerat, alii quotidie succedebant.

De duabus mulieribus ibi curatis, dum sanctus quæreretur.

Porro signorum initia, quæ adhuc sancti martyres in corde terræ latentes in auspicium spei melioris patrabant, multorum poterunt testimonio confirmari; mulier namque quædam de Gatesdene, scapularum et renum debilitate per decem annos detenta, jam propter ægritudinis turpitudinem marito despectui habebatur; quæ, proprios egressa fines et per Redburniam transitum faciens, juxta sanctorum martyrum decubuit sepulturam, nec de loco surrexit donec sanitati pristinæ redderetur. Altera de Dunestaplia, nomine Cecilia, in hydropisis ægritudine annis sedecim transactis, habentis in utero similitudinem præferebat; hæc ad loca prædicta suæ salutis avida perveniens illico optatam recepit sanitatem. Item puella quinquennalis, quæ nunquam a nativitate pedes incesserat, semper parentum ministerio portabatur; hæc, quod multi fidelium conspexerunt, juxta locum prætaxatum

collocata, cum paululum obdormisset, exsiliit et incessit, parentumque suspiria in lætitiam commutavit. A.D. 1178. Legend of S. Amphibalus.

De miraculo dolii, et diligentia quærendi.

Illuxit interea sancta solemnitas beati Albani martyrio consecrata, quam, in se claram, istorum publicatio miraculorum reddidit clariorem. Admonentur fideles ad eleemosynas largiores, singulis usus parcior alimentorum indicitur, et iterata in crastinum processio instauratur, sed interpositi quoque dies nequaquam otioso transiere discursu; sed usque in horam inventionis sanctorum miraculis evidentibus coruscabat. Nempe vir quidam de Kingesberia, fodientes et sanctos quærentes irridens, nocte cum aliis venit ad locum, pari quidem via, sed voluntate diversa; qui confestim arreptus a dæmonio furiosum evidenter expressit, et vestes dirumpens abjecit, et, qui alios deridens spectare venerat fodientes, spectaculum omnibus est effectus; cumque, cunctis videntibus, diutius torqueretur, corripientis Dei manus cessavit, et demum castigatus incolumis ad propria repedavit. Alius autem sanctos quærentes verbis subsannatoriis illudens statim divinæ subjacuit ultioni, nam inter loquendum gravi correptus incommodo in brevi blasphemum spiritum exhalavit. Algarus de Dunestaplia, cum ad locum eundem dolium celia plenum ad vendendum rheda portari fecisset, accessit ad eum æger quidam et pauper, rogans simpliciter ob martyris amorem, cujus inventionem populus exspectabat, ut sitim, qua premebatur, potu modico relevaret; incanduit Algarus ad verba ægroti ira vehementi, asserens se illuc non causa martyris advenisse, sed ut lucrum quocumque modo au-

A.D. 1178. Legend of S. Amphibalus.

geret. Adhuc illo pauperem in hunc modum convitiante, et ecce utroque fundo dolii impetuose evulso, in platea cervisia fundebatur, sicque factum est, ut cujus portiunculam, martyris nomine spreto, negaverat, procurante sancto, non solum pauper ille, sed et alii multi cum eo, fixis in terram genibus, sufficienter, nullo prohibente, potarent. Repressa igitur, martyre procurante, perversorum nequitia, devotio fidelium recipit quod meretur; nam tribus continuis qui sequebantur diebus decem utriusque sexus homines a diversis infirmitatibus, ad laudem Dei et beati martyris, receperunt pristinam sanitatem.

De inventione sancti Amphibali cum novem sociis suis.

Clarescente interim die, quem sanctorum inventio consecrabat, venerabilis pater Simon abbas locum adiit sanctissimum, et celebratis in capella sancti Jacobi, loco illi contiguo, in venerationem beati martyris Albani, nostræ redemptionis mysteriis, monachis, qui aderant, ut diligenter quærerent, et pluribus adhibitis fossoribus ut cœptis insisterent, imperavit. Fuerat autem capella illa antiquitus in honorem martyris fabricata propter frequentes cælestis radios lucis, qui pastoribus vigilias noctis super gregem suum agentibus ibidem apparuerant; unde dictus abbas, in eodem loco divina celebrans sacramenta, super instanti negotio beati martyris auxilium imploravit. Reverso itaque domum abbate et jam cum conventu ad prandium sedente, legebatur passio beati martyris, quem quærebant, et sociorum ejus, per quam carnis ergastulo soluti promeruerunt gloriam sempiternam. Dum igitur sævitia judicis, lictorum immanitas, martyrum patientia, et mors prolixius recitata pias mentes

conventus in fletus et suspiria commovisset, beatum Amphibalum cum tribus sociis suis repertum, accurrens aliquis nuntiavit. Quid ergo? Suspiria mutantur in laudes, et tristitiæ successit lætitiæ magnitudo. Exsurgens a mensa congregatio ad ecclesiam festinanter procedit, et lætitiam corde conceptam elevatis laudibus protestatur. Inventus est autem beatus martyr Amphibalus inter duos socios medius et collateralis ambobus, tertio socio quasi ex transverso et ab opposito locum solitarium occupante. Inventi sunt etiam prope locum illum numero sex ex sociis martyrum prædictorum, ita quod beatus martyr Amphibalus decimus habebatur. Inter reliquias athletæ Christi Amphibali cultelli duo magni inventi fuerunt, unus in testa capitis et alter circa præcordia, ut verum esse insinuent quod in [1]libello passionis ejus scripto antiquis temporibus continetur. Ut enim habet passionis illius textus, alii occubuerunt gladiis cæsi; ipse vero, visceribus primo patefactis et intestinis ejectis, et post lanceis confossus et cultellis, occubuit tandem lapidibus conquassatus, unde nullum fere ex ossibus ejus integrum apparebat, cum sociorum ipsius ossa illæsa penitus exstitissent.

A.D. 1178. Legend of S. Amphibalus.

Quod reliquiæ sancti Amphibali apud sanctum Albanum sunt translatæ.

Abbas autem, ut diximus, audito nuntio desiderato, adjuncto sibi priore [cum] aliquot fratribus de conventu, sanctorum celeriter adiit sepulturas, et effossas reliquias erigens in linteaminibus idoneis collocavit; metuensque supra modum fraudem plebis et vim turbæ undique confluentis, quam a compressione inventi thesauri

[1] *Libello.*] Paris adds, that this volume was preserved in the library of S. Alban's abbey.

A.D. 1178. Legend of S. Amphibalus.

arcere non poterat, unde placuit abbati, ut martyres sancti in beati Albani basilicam portarentur, ubi custodia diligentior et securitas amplior poterat adhiberi. Quid multa? Redeunt cum abbate fratres separatim sanctorum corpora deferentes. Procedit martyribus obviam cum processione conventus, corpus secum beati Albani martyris deportantes, quod cum aliquoties consueverit, prout ejus portatoribus constat, satis existere ponderosum, tantam sui facilitatem illa hora exhibuit, ut volare potius quam humeris ferentium incumbere videretur; occurrit ergo martyr martyribus, magistro discipulus, et jam palam magistrum recepit revertentem, quem habebat olim clam fidei doctorem in tugurio latitantem. Sed miraculum, quod in elementis suis Dominus ostendere dignatus est cum obviantes se primitus reliquiæ pariter convenerunt, non debet sub silentio præteriri; cum enim siccitas prolixior, exustis herbis et fructibus, diutius perdurasset et agricolas desperatos reddidisset, eodem momento, cum in aere nec minima appareret nubecula, tanta pluviarum inundatio prorupit, ut et copiose descendentes imbres terram irrorarent et desperatæ messis spem promitterent lætiorem. Inventus est autem pretiosus martyr Amphibalus cum sociis suis, et in ecclesiam beati Albani cum canticis et laudum præconiis solenniter delatus est, anno a passione sua octingentesimo octuagesimo sexto, ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo septimo, die sabbati, septimo kalendas Julii. In præsentia autem sanctarum reliquiarum ipsius, necnon et in loco sepulturæ ejus, ad laudem Dei et gloriam martyris, a diversis infirmitatibus sanantur ægroti, membra paralytica solidantur, mutorum ora ad loquendum laxantur, cæcis tribuitur visus, surdis

auditus, claudis firmatur gressus, et, quod magis magnificum est, arrepti a dæmonio liberantur, epileptici sanantur, leprosi mundantur, et ad vitam mortui revocantur. Si quis autem miraculorum, quæ per sanctos suos divina operatur clementia, notitiam habere desiderat, libellum legat, qui de signis ejus et virtutibus clarus habetur, et nos ad alia festinantes a lectore veniam postulamus. A.D. 1178. Legend of S. Amphibalus.

Quod juvenis rex Henricus torneamenta exercuerit.

Anno Domini MCLXXIX. Henricus, rex Anglorum junior, mare transiens in conflictibus Gallicis et profusioribus expensis triennium peregit, regiaque majestate prorsus deposita, totus est de rege translatus in militem, et, flexis in gyrum frænis, in variis congressibus triumphum reportans sui nominis famam circumquaque respersit; sic igitur, cum nil ei deesset ad gloriam, rediit ad patrem et ab eo honore debito est receptus. Eodem anno [1] Lodowicus, rex Francorum, beatum Thomam martyrem orationis gratia visitare decernens, Angliam, quam nec ipse nec suorum aliquis antecessorum aliquo tempore visitaverat, devotus intravit. [2] Rex autem Anglorum, navem apud Doveram egredienti Francorum regi, undecimo kalendas Septembris festinanter occurrit, cui, quicquid honoris ab aliquo excogitari potuit vel impendi, tam ipsi quam suis comitibus est impensum; concurrentibus enim archiepiscopo Cantuariensi cum suis suffraganeis episcopis, cum comitibus et baronibus, cum clero et populo, A.D. 1179. Louis visits the tomb of Becket.

[1] *Lodowicus.*] According to Hoveden, he was warned by a vision to visit the tomb of Becket if he wished the recovery of his son Philip, then lying dangerously ill. He was accompanied by the counts of Flanders and Guisnes, the duke of Louvaine and others; p. 592.

[2] *Rex autem Anglorum.*] Diceto, col. 604.

A.D. 1179. Visit of Louis VII. to Becket's tomb.

solennis processio in tanti adventum principis majorem ecclesiam illustravit. Quantum auri vel argenti Gallicanæ nobilitati rex Henricus contulerit, quantumque in vasis et lapidibus pretiosis omnes honoravit, cum non sit qui hoc sciat, desit qui scribat. Centum vini modios rex Francorum annuatim in perpetuum Parisius solvendos ob reverentiam martyris gloriosi in usus collegii Cantuariensis convertit. Rex autem Henricus gazas totius regni sui, et quicquid ipse et antecessores ejus in divitiis congesserant, regi Francorum et suis exposuit; sed, ne Franci aliud quam martyrem quæsisse viderentur, manum a munere cohibentes, martyrium forsitan ex oblatis pertulerunt in mente. Sic rex Francorum, cum in vigiliis, jejuniis et orationibus Cantuariæ triduum complevisset et xeniola quædam parva a rege Anglorum in signum dilectionis accepisset, septimo kalendas Septembris ad Galliam transfretavit. Eodem anno Rogerus, Wigorniensis episcopus, obiit quinto idus Augusti.

De concilio Romæ habito, præsidente papa Alexandro.

The third Lateran council.

Eodem anno habitum est Romæ [1] concilium generale trecentorum et decem episcoporum decimo quarto kalendas Aprilis in patriarchio Lateranensi, cui præsedit dominus papa Alexander tertius, cujus statuta omni laude dignissima sub viginti octo, quæ sequuntur, capitulis continentur: De electione summi pontificis; De hæreticis Albegensibus et diversis eorum appellationibus; De ruptariis et Brebantiis prædonibus, qui fideles affligunt; Quod nullus promoveatur in episcopum vel ad aliquem ordinis gradum, nisi legitimæ sit ætatis et de legitimo matrimonio suscep-

[1] *Concilium.*] The proceedings of this council are in Harduin, tom. vi. part. ii. col. 1671.

tus; Ne, viventibus personis, ecclesiæ conferantur, nec, illis defunctis, ultra sex menses vacent; De appellationibus; Ne intra sacros ordines constituti, vel qui ecclesiasticis sustentantur stipendiis, rebus se immisceant secularibus; De treugis statuendis et temporibus treugarum; Quod clerici unam habeant tantum ecclesiam, et quod episcopus, si aliquem sine certo ordinaverit titulo, tamdiu necessaria inveniat donec ei in aliqua ecclesia stipendia assignet; Ne patroni vel quilibet laici ecclesias opprimant aut ecclesiasticas personas; Ne Judæi vel Saraceni Christiana mancipia permittantur habere, sed, ad fidem Christi si converti voluerint, a possessoribus suis nullatenus excludantur; Ut leprosi, si excluduntur a cohabitatione hominum, oratorium habeant et proprium sacerdotem; Ne bona ecclesiastica in usus alios convertantur, nec decani pro certa pecuniæ quantitate jurisdictionem exerceant episcopalem; Ut in electionibus vel ecclesiasticis ordinationibus consequatur effectum, quod a majoris et senioris concilii parte fuerit constitutum; Quod usurarii manifesti ad communionem altaris non admittantur, nec Christianam habeant sepulturam; Ut agricolæ et viatores, et omnia quæ sua sunt, plena ubique pace et securitate lætentur; Ut ordinationes schismaticis factæ irritæ habeantur et inanes, et beneficia ab eis collata revocentur; Ne pro ecclesiasticis instituendis personis, seu mortuis sepeliendis, aut nubentibus benedicendis, vel aliis ecclesiæ sacramentis, aliquid exigatur; Ne viri religiosi vel quilibet alii ecclesias vel decimas præsumant de manu suscipere laicorum sine auctoritate episcoporum, et non semel in anno templarii sive hospitalarii ecclesias sub interdicto positas aperiant, nec corpora sepelire tunc præsumant; Ne quis interventu pe-

A.D. 1179. The third Lateran council.

A.D. 1179. The third Lateran council.

cuniæ habitum religionis usurpare præsumat, nec conversus peculium habeat, nec facti prælati non nisi pro dilapidatione vel incontinentia degradentur; Ne Christiani Saracenis arma vendant, nec patientes naufragium quisquam spoliare præsumat; Ut clerici infra sacros ordines constituti continenter vivant, et si in illa continentia, quæ contra naturam sit, deprehensi fuerint laborare, excommunicentur et a clero abjiciantur; Ut archiepiscopi parochias vel ecclesias visitantes quadraginta vel quinquaginta equorum numero sint contenti, episcopi viginti vel triginta, legati viginti vel viginti quinque, archidiaconi quinque vel septem, decani duarum evectionum numerum non excedant; Ut nullus torneamenta exercere præsumat, et mortui in torneamentis Christiani careant sepultura; Quod unaquæque cathedralis ecclesia magistrum habeat, qui pauperes scholares et alios doceat, nec pro licentia docendi aliquis pretium exigat; Ut prælati unam tantum regant ecclesiam, et quod patroni ab ecclesiis in suo fundo constitutis, exactiones non faciant; Ne episcopi seu viri ecclesiastici stare compellantur judicio laicorum, nec laici laicis decimas conferre præsumant; Si quis ab aliquo, commodata pecunia, possessiones in pignus acceperit, si, deductis expensis, sortem suam receperit ex fructibus possessionis, pignus restituat debitori.

Epistola papæ Alexandri contra hæresim Petri Lombardi.

The pope's letter to the archbishop of Sens, against Peter Lombard.

Delatum fuit præterea ejusdem papæ apostolatui, quod magister Petrus Lombardus in quibusdam scriptis suis ab articulis fidei deviavit, unde Willelmo, Senonensi archiepiscopo, literas sub hac forma direxit; [1]'Alexander episcopus, ser-

[1] *Alexander.*] This letter, according to Harduin, should have been placed under the year 1170. At the time of the Lateran coun-

vus servorum Dei, Willelmo, Senonensi archiepi- A.D. 1179.
scopo, salutem. Cum in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viva voce injunximus, ut, suffraganeis tuis Parisius tibi ascitis, ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri, quondam Parisiacensis episcopi, qua dicitur, quod Christus, secundum quod est homo, non est aliquid, omnino intenderes[1] et efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, quod tibi, cum præsens esses, præcepimus, suffraganeos tuos Parisius convoces, et una cum illis et aliis viris religiosis et prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare, et a magistris scholaribus ibidem in theologia studentibus Christum, sicut perfectum Deum, sic et perfectum hominem ac verum hominem ex anima et corpore consistentem, præcipias edoceri; universis firmiter et districte injungens, quod doctrinam illam de cætero nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur.'

De libello abbatis Joachim, quem scripsit contra Petrum Lombardum.

Abbot Joachim's book against Peter.

Scripsit etiam eisdem diebus contra eundem Petrum Lombardum [2]abbas Joachim Florensis cœnobii libellum, vocans eum hæreticum et insanum, eo quod in libro sententiarum, quem composuerat, idem Petrus de unitate sive essentia Trinitatis dixit, Quoniam quædam summa res est, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et illa

cil, Guido, and not William, was archbishop of Sens; the former having succeeded to the see in 1175. Concil. VI. ii. col. 1625.

[1] *Intenderes . . . adhiberes.*] In MS. 'intendens . . . adhibens.'

[2] *Abbas Joachim Florensis cœnobii.*] He was founder of the monastery of Flore; his book was condemned in the fourth Lateran council, in 1215; see Harduin, tom. vii. p. 18. His life is printed in the Act. SS. mens. Mai. tom. vii. p. 89.

A.D. 1179. non est generans, neque genita, nec procedens. Contra hanc assertionem opposuit abbas præfatus, quod non tam trinitatem adstruebat in Deo, quam quaternitatem, tres videlicet personas et illam communem essentiam quasi quartam manifeste protestans; quod nulla res est quæ sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nec essentia, nec substantia, nec natura, quamvis concedat, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia, et una natura; et hanc suam assertionem idem Joachim his quæ sequuntur auctoritatibus affirmat, 'Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hii tres unum sunt; et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis, et hii tres unum sunt;' item, 'Volo, Pater, ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.' Unde videtur, quod sæpe dictus Joachim hujusmodi unitatem non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse fateatur, quemadmodum multi homines dicuntur unus populus, et multi fideles una ecclesia.

Quod papa Innocentius libellum Joachim damnavit.

The heresy of Joachim condemned. Stetit autem hæc indeterminata altercatio a diebus Alexandri papæ usque in tempora Innocentii papæ per annos multos, sedentibus inter eos in cathedra Romana Lucio, Urbano, Gregorio, Clemente et Cælestino, pontificibus Romanis; quibus succedens Innocentius tertius, anno Domini millesimo ducentesimo decimo quinto, Romæ generale concilium celebrans, libellum abbatis Joachim, quem contra Petrum et articulum ediderat prædictum, his verbis damnavit; 'Nos,'[1] inquit, 'sacro et universali approbante

[1] *Nos.*] Harduin, tom. vii. col. 17.

concilio, credimus et confitemur cum Petro, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personæ ac sigillatim quælibet earundem; et ideo in Deo solummodo trinitas est et non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, substantia videlicet, essentia seu divina natura, quæ sola est universorum principium, præter quam aliud inveniri non potest; et illa res non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis et unitas in natura. Licet enim alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud; Pater enim ab æterno Filium generando suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur, Pater quod dedit mihi, majus omnibus est. Et dici non potest, quod partem suæ substantiæ illi dederit, et partem retinuerit ipse sibi, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino; sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando illum, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desiisset esse substantia; Filius vero substantiam Patris integram nascendo accepit, et ita Pater et Filius eandem habent substantiam, et eadem res est Pater et Filius, necnon et Spiritus Sanctus ab utroque procedens et in utroque manens; non enim, ut ait abbas Joachim, fideles Christi sunt unum, id est, una quædam res quæ communis sit omnibus, sed sunt unum in unione caritatis, in gratia; pro personis vero divinis, ut attendatur, identitatis unitas in natura. Damnamus igitur et reprobamus libellum Joachim sive doctrinam, ita ut, si quis ejus sententiam in hac

A.D. 1179. Heresy of Joachim condemned.

A.D. 1179. parte defendere vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus habeatur.' De hoc papa et concilio memorato latius suo loco dicetur.

Quod Philippus consecratur in regem Francorum.

Coronation of Philip, king of France.

Eodem anno Philippus, filius Lodowici regis Francorum, in solemnitate Omnium sanctorum per manum Willelmi, Remensis archiepiscopi, in eadem civitate consecratur in regem, [1]patre adhuc vivente et tantæ coronationi omnia necessaria ministrante. Eodem tempore Cadwallanus, princeps Wallensium, coram rege Anglorum tractus in causam et multorum querelis impetitus, dum sub regis conductu remeasset, in itinere hostium perpessus insidias interfectus est decimo kalendas Octobris, quod plurimum in regis redundavit scandalum, licet non deliquerit; unde auctores cædis graviter puniri præcepit.

Confederatio facta inter reges Anglorum et Francorum.

A.D. 1180. Convention between France and England.

Anno Domini MCLXXX., habito inter regem Francorum Philippum, nuper coronatum, et regem Anglorum Henricum, colloquio inter Gisortium et [2]Triam, sic convenit inter eos; [3]' Ego Philippus, Dei gratia rex Francorum, et ego Henricus, eadem gratia rex Anglorum, ad omnium volumus pervenire notitiam, quod fœdus et amicitiam fide media innovavimus et sacramento; et, ut omnis amodo inter nos auferatur oc-

[1] *Patre adhuc vivente.*] The king was unable to be present, having been seized with a paralytic attack on his return from England. At the coronation, the young king Henry carried, as duke of Normandy, the golden crown from the presence chamber to the church; Hoveden, p. 592.

[2] *Triam.*] On the 29th June.

[3] *Ego Philippus.*] Rymer, Fœd. i. p. 53; the text is an abridgment only of the original convention.

casio discordiæ, concessimus ad invicem, ut de terris nostris et possessionibus, et de omnibus aliis rebus, quas habemus modo, alter adversus alterum nihil amodo petet, excepto de Arvernia, de qua inter nos est contentio, et excepto feodo de castro Radulphi, et exceptis minutis feodis nostris et divisis terrarum nostrarum de Berri. Si autem super his, quæ excepta sunt, per nosmetipsos convenire non poterimus, ego Philippus tres elegi episcopos et barones, et ego Henricus totidem, qui inter nos dicent, et nos eorum judicio stabimus firmiter et bona fide.' Eodem tempore Lodowicus, rex Francorum, Parisius diem exclusit extremum decimo quarto kalendas Octobris, et sepultus est in monasterio Cistercensis ordinis, [1]Barbellum nuncupatum, quod etiam propriis sumptibus inchoatum idem rex laudabiliter consummavit. A.D. 1180.

Quod Richardus, comes Pictavensis, terras Gaufridi de Liziniaco graviter afflixit.

Per idem tempus Aquitannorum dux Richardus et Henrici regis filius, per superbiam Gaufridi de Rancona multis sæpe lacessitus injuriis, collectis undique militaribus copiis, Taileburc, castellum ejusdem Gaufridi, [2]obsidione vallavit, opus desperatissimum et quod suorum nullus antecessorum attentare præsumpsit; castrum enim illud ante dies illos hostium cuneis prorsus incognitum, triplici fossato totidemque mœniis vestitum, seris, armis et repagulis sufficienter instructum, turribus per intervalla dispositis insignitum, comportato lapide in propugnaculis munitum, abundans in victualibus, refertum mi- Acts of Richard, duke of Aquitaine.

[1] *Barbellum.*] The abbey of Barbeaux, which he had founded in 1147.

[2] *Obsidione vallavit.*] On the 1st May; Diceto, col. 603.

A.D. 1180. litibus et hominum millibus ad pugnam idoneis, ducis Richardi non expavit adventum; sed, postquam dux ipse leonibus audacior regionem hostiliter introivit, fructus prædiorum abduxit, vites succidit, villas succendit, omnia demoliendo contrivit, prope castellum tentoria fixit, machinas prope murum erexit, oppidanosque nil tale suspicantes exterruit vehementer. Inclusis autem, quia res ignominiæ plena videbatur, tot elatæ mentis, tot probatæ virtutis milites intra muros sine reclamatione valida circumcingi, placuit de consilio communi, ut foras erumperent et impeterent ducis exercitum improvise; quod cum animose satis attentassent, dux suos in armis ruere docuit, et retrorsum cedere compulit oppidanos; sed in illo portarum ingressu, cum dux insequeretur terga dantes, fit gravissimus hinc inde conflictus, dum ibi, quid equus, quid lancea, quid ensis, quid arcus, quid galea, quid balista, quid umbo, quid lorica, quid sudes, quid clava certantibus conferant, experitur. Oppidanis itaque assultus ducis acerrimos ultra ferre non valentibus, sed intra mœnia se recipientibus, dux impiger certatim se pariter intra villam immiscet cum hostibus, et, cum ipsis nusquam locus pateret diffugii, per plateas hinc inde discurritur, rapinis insistitur et incendiis, et ab iis oppidanis, quos a mortis discrimine felix fortuna eruit, ad castellum confugitur principale; castelli dominus ad deditionem compellitur, facies murorum pulcherrima complanatur, alia passim castella rebellionis conscia par infra mensem subiere discrimen. Omnibus igitur ad votum completis, dux transfretavit in Angliam, maximo cum honore receptus a patre.

Quod rex Francorum Philippus regnum suum sub dispositione regis Angliæ commisit.

Anno Domini MCLXXXI. [1]cum rex Francorum Philippus, quibusdam de suis sibi ad memoriam reducentibus, cognovisset qualiter rex Anglorum regnum suum tam late diffusum a tam barbaris nationibus, Scotis scilicet et Wallensibus, pacifice gubernaret, de communi consilio domesticorum suorum prædicti regis dispositioni omne regnum suum et se ipsum commisit; hoc etiam exemplo rex Anglorum ductus, cum totam Normanniam filii sui regis dispositioni supponeret, octavo kalendas Augusti in Angliam transiens beatum Thomam martyrem orationis gratia visitavit. Eodem anno [2]Rogerus, Eboracensis archiepiscopus, diem clausit supremum duodecimo kalendas Decembris, [3]qui adhuc vivens a papa Alexandro privilegium impetraverat, ut, si clericus suæ jurisdictioni suppositus, agens in extremis, testamentum conficeret et propriis manibus bona sua moriens non distribueret, archiepiscopus haberet facultatem injiciendi manus in bona defuncti; et, quoniam quod quisque juris in alterum statuerit, uti debet eodem jure, post mortem archiepiscopi quæcumque reperta sunt in thesauris ejus justo sunt Dei judicio confiscata, quorum summa fuit undecim millia libræ argenti et aurei trecenti, [una] cuppa aurea et argenteæ septem, scyphi argentei novem, tria salsaria argentea, tres cuppæ [4]murtinæ, cochlearia quadraginta, octo scutellæ argenteæ, pelvis argentea et discus magnus argenteus.

A.D. 1181. Philip submits the disposition of his realm to Henry.

[1] *Cum rex Francorum.*] Diceto, col. 611.

[2] *Rogerus.*] For his life, compare Newburgh, lib. iii. cap. v. with Stubbs, col. 1723.

[3] *Qui adhuc vivens.*] Diceto, col. 614.

[4] *Murtinæ.*] 'Mazerinæ;' Diceto.

Epistola Alexandri papæ ad Johannem Presbyterum, regem Indorum.

A.D. 1181. Letter of the pope to PresterJohn.

Circa eosdem dies papa Alexander scripsit Presbytero[1] Johanni, Indorum regi, in hæc verba; 'Alexander[2] episcopus carissimo in Christo filio salutem et apostolicam benedictionem. Audieramus jampridem, referentibus multis, quomodo, cum sis Christianam religionem professus, piis velis operibus incumbere diligenter; sed dilectus filius noster Philippus medicus, qui de intentione propria et proposito tuo cum magnis et honorabilibus viris tui regni se in partibus illis verbum habuisse proponit, sicut vir providus constanter nobis retulit, se manifestius ab his audivisse, quod tuæ voluntatis sit et propositi erudiri in catholica et apostolica disciplina, et ad hoc ferventer intendas, ut tu et cuncta plebs tuæ sublimitati commissa nihil unquam videamini in fide vestra tenere, quod a doctrina sedis apostolicæ dissentiat. Illud etiam ad commendationem tuæ virtutis accedit, quod, sicut prædictus Philippus se a tuis asserit audivisse, ferventi desiderio cuperes in urbe habere ecclesiam et Hierusalem altare aliquod, ubi viri religiosi de regno tuo et prudentes manere possent et apostolica plenius instrui disciplina, per quos tu et homines tui doctrinam ipsam facilius reciperent et tenerent. Nos autem vos ab hiis articulis, in quibus erratis a Christiana et catholica fide, revocare volentes, præfatum Philippum ad tuam mittimus magnitudinem; per quem de articulis fidei Christianæ, in quibus tu et tui a nobis discordare videmini,

[1] *Presbytero Johanni.*] Upon the history of this individual, his kingdom and name, the reader may consult the notes by Pagi, in the year 1177, § v—x. Mandeville in his Travels has much concerning him; edit. 1727, pp. 326-363.

[2] *Alexander.*] The letter at length is given by Hoveden, p. 581, and Baronius, an. 1177, § 33.

in proximo per fidei gratiam eruditus nihil prorsus timere poteris, quod de errore tuam vel tuorum salutem præpediat, vel in vobis nomen Christianitatis obfuscet.' A.D. 1181.

Quod papæ Alexandro Lucius successit.

Eodem anno obiit papa Alexander postquam sedisset in cathedra Romana annis viginti duobus; successit ei Hunbaldus, Hostiensis episcopus, et vocatus est [1]Lucius tertius, sedens in ecclesia apostolica annis quatuor. Eodem tempore Philippus, rex Francorum, duxit uxorem Margaretam filiam Baldewini, comitis Hamaucensium, ex Margareta sorore Philippi, comitis Flandrensis, susceptam. Eodem anno, moneta veteri in Anglia reprobata, [2]nova successit in festo sancti Martini. Eodem anno Baldewinus, abbas Fordensis, Cisterciensis ordinis, successit Rogero episcopo ad ecclesiam Wigornensem. Lucius III. pope.

Quod Gaufridus, Lincolniensis electus, renuntiavit electioni.

Anno Domini MCLXXXII. Gaufridus, Lincolniensis electus et regis Anglorum filius, cum ejus electio esset a domino papa confirmata, postquam per septennium eidem ecclesiæ pacifice præfuisset, præsente rege et episcopis regni, in epiphania Domini apud Marlebergiam [3]electioni renuntiavit, nemine compellente. Eodem tempore rex Henricus apud Waltham, in præsentia procerum regni, ad subventionem terræ sanctæ quadraginta duo millia marcas argenti et quingentas A.D. 1182. Geoffrey resigns the bishopric of Lincoln.

[1] *Lucius tertius;*] elected the 1st September and died the 24th November 1185.

[2] *Nova successit.*] It was coined under the direction of Philip Aymari, of Tours; Diceto, col. 611; see Newburgh, iii. § v.

[3] *Electioni renuntiavit.*] His letter to the archbishop of Canterbury upon his resignation is given by Hoveden, p. 611.

A.D. 1182. marcas auri liberaliter assignavit, et sic in Normanniam transfretavit. Quibus utique diebus dux Saxonum Henricus et gener regis ab imperatore in exilium pulsus in Normanniam venit ad regem, ducens secum ducissam et duos filios ejus, Henricum et Othonem; et per tres annos exhibitus est a regali munificentia in omnibus vitæ necessariis abundanter. Eodem anno Walterus de Constantiis, archidiaconus Oxoniensis, consecratus est episcopus Lincolniensis a Richardo, Cantuariensi archiepiscopo, Andegavis, in ecclesia sancti Laudi. Eodem anno obiit Walterus, Roffensis episcopus.

De morte Simonis abbatis et successione Guarini.

A.D. 1183. Death of Simon, abbot of S. Alban's. Anno Domini MCLXXXIII., defuncto Simone, abbate de sancto Albano, [1] Warinus, ejusdem ecclesiæ prior, successit, et in die nativitatis Dei genitricis abbatis benedictionem suscepit.

De morte Henrici, regis juvenis.

Death of the young king Henry. Circa dies istos rex Henricus diligentem operam impendit, ut filii ejus, Gaufridus de Britannia et Richardus de ducatu Aquitanniæ, homagium facerent filio suo primogenito regi Henrico. Quod quidem pater petiit, Gaufridus de comitatu Britanniæ gratanter complevit; Richardus vero, cum rogatus a patre id ipsum facere debuisset, ira incanduit vehementi, incongruum esse dicens, cum eodem patre et ex eadem matre ducerent originem, si, patre vivente, fratrem primogenitum aliqua subjectionis specie superiorem agnoscerent; sed, sicut fratri primogenito bona debentur paterna, sic in bonis maternis Richardus successionem legitimam ven-

[1] *Warinus.*] See his life by Matt. Paris, p. 94.

dicabat. Hæc audiens rex pater, [1]iracundiæ ca- A.D. 1183.
lore succensus, adversus Richardum dura proposuit, et, ut rex junior ad edomandam fratris superbiam totus insurgeret, constanter indixit. Habitis inter se colloquiis frequenter, cum nulla spes de pace haberetur, rex juvenis undique copiosum congregavit exercitum, et, dum congredi cum fratre suo decrevisset, præcisa est, velut a texente, vita ejus, qui spem multorum deficiens præcidit; siquidem in flore juventutis suæ, cum annum ætatis vigesimum octavum complevisset, intra Gasconiam, in illo tractu terræ quæ Turonnia dicitur, apud castellum Martel in festo sancti Barnabæ apostoli rex junior [2]e medio est subtractus; corpus autem in lineis vestibus, quas habuit in consecratione sacro chrismate delibutas, regaliter involutum apud Rothomagum delatum est, et in ecclesia cathedrali prope majus altare cum honore tanto Principi congruo tumulatur. Eodem anno Girardus, cognomento Puella, consecratus episcopus Coventrensis, qui, cum decem septimanis sedisset, in fata concessit. Eodem tempore Walterus de Constantiis, Lincolniensis antistes, in Angliam veniens in sua sede est solenniter collocatus.

Anno Domini MCLXXXIV. [3]Richardus, Cantua- A.D. 1184. Mixed events.
riensis archiepiscopus, apud Halingum, villam Roffensis episcopi, diem clausit extremum. Eodem anno rex Henricus duxit in Angliam Sax-

[1] *Iracundiæ calore succensus.*] He was afterwards reconciled to Richard, and took his part against his brothers Henry and Geoffrey. Hoveden has given a far better and fuller account of the history of this period; p. 618, *seq.*

[2] *E medio est subtractus.*] Finding himself past hope of recovery, he sent for his father, who refused to come to him, fearing treachery. He died confessing his sins and asking absolution from the bishops attending his death-bed; Hoveden, p. 620.

[3] *Richardus,*] 'homo quidem mediocriter litteratus sed laudabiliter innoxius;' Neubrig. iii. § 8. Hoveden writes, that in a vision the Lord appeared upbraiding him; p. 622. See Pet. Blesensis, ep. ii.

A.D. 1184. oniæ ducem cum familia sua, et infra dies paucos ducissa apud Wintoniam peperit filium, quem vocavit Willelmum. Eodem anno Baldewinus, episcopus Wigorniensis, electus est archiepiscopus Cantuariensis, et Walterus Lincolniensis electus est [1] archiepiscopus Rothomagensis, qui, susceptis palliis, in suis sunt sedibus solenniter collocati. [2] Eodem tempore Philippus, archiepiscopus Coloniensis, et Philippus, comes Flandrensis, venerunt in Angliam vota orationum beato Thomæ martyri soluturi, quibus rex Anglorum occurrens petiit ut Londonias venirent visuri regiam civitatem; in quorum adventu, quod ante non erat visum, civitas coronata resplenduit, gaudium et tripudium per omnes plateas intonuit civitatis. Archiepiscopus vero Coloniensis et cum eo comes Flandrensis in ecclesia sancti Pauli suscepti sunt processione solenni; et die eodem simili honore sibi exhibito, tandem per quinque dies in palatio regis expensis sunt effusioribus hospitati, sed, an multis muneribus donati recesserunt, quærere superfluum videretur. Eodem anno obiit Jocelinus, Saresburiensis episcopus.

Quod Saraceni Hispaniæ Christianos invadentes confusi recesserunt.

The Saracens in Spain. His [3] denique diebus, circa festum beati Johannis Baptistæ, rex Saracenorum qui sunt in Hispania, Gamius, duxit regem regum Saracenorum, nomine [4] Macemunt, intra fines Christianorum

---

[1] *Archiepiscopus Rothomagensis.*] Newburgh says, that he hesitated some time between the increase of dignity and diminution of wealth, which would be the consequences of the exchange; iii. § 8.

[2] *Eodem.*] Diceto, col. 625.

[3] *His denique diebus.*] From Diceto, col. 624.

[4] *Macemunt.*] Joseph Amiralmumenin, or Almahadum, the emperor, is here intended; see Pagi, ad an. 1184, § 8.

cum regibus triginta septem; qui inprimis ob- A.D. 1184.
sederunt sanctum Hirenæum, et tribus diebus cum totidem noctibus pugnaverunt, et tandem, dejectis mœniis, intraverunt; qui autem interius muros defendebant se intra turrim receperunt, ut protegerentur ibidem. Nocte vero sequenti venit antistes Portugalensis cum filio regis, et quindecim millia peremerunt Saracenorum et regem Gamium, et posuerunt corpora defunctorum ubi murus dejectus erat, ut per ea loco muri defenderentur. In crastino autem, in [1]die scilicet sanctorum Johannis et Pauli, archiepiscopus sancti Jacobi viginti millia conduxit armatorum, et in aurora diei de Saracenis triginta millia interfecit. In die postea beatæ Margaretæ apud Alcubaz peremerunt Saraceni decem millia mulierum et infantum; sed illi, qui fuerunt in oppido Alcubaz, exeuntes tres reges cum omni eorum exercitu percusserunt. Postea, in vigilia beati Jacobi, rex Macemunt audivit quod rex Galliciæ venerat, ut solus cum solo dimicaret; Macemunt, cum præpararet se ad pugnam, dum equum vellet ascendere, ter ab eo lapsus interiit; quo mortuo, totus ejus exercitus fugit, omni pecunia relicta. Rex vero Portugalensis ex captivis Saracenis dedit servos, qui cementariis ministrarent ad ecclesias reparandas, et de pecunia sancto Vincentio auream fecit thecam. Venerunt postmodum galeiæ infinitæ Saracenorum apud Ulixebonam, ducentes dromundum, in quo talis erat machina, quod per ipsam Saraceni poterant ire et redire ultra muros civitatis armati; sed, Deo disponente, quidam in aqua se [2]dromundo supposuit, et, eo perforato, submersit. Saraceni autem se delusos

[1] *Die scilicet sanctorum Johannis et Pauli.*] The 26th June.

[2] *Dromundo.*] Du Cange ad *voc.* 'Dromones;' Neubrig. 637.

A.D. 1184. esse cognoscentes fugerunt, omnia, quæ sua fuerant, relinquentes.

Quod Guido de Liziniaco regni Jerusalem constituitur procurator.

Guy de Lusignan, protector of Jerusalem.

Regnavit sub iis diebus in Hierusalem [1] Baldewinus, Amalrici quondam regis filius, qui ab initio regni elephantino laborans incommodo jam lumen amiserat, et, putrescentibus membrorum extremitatibus, pedes ei et manus suum officium denegabant; regiam tamen administrationem, licet corpore debilis esset animo fortis, supra vires nitebatur implere. Convocatis itaque principibus suis, matre præsente et patriarcha, [2] Guidonem de Liziniaco, comitem Joppensem et Ascalonitanum, regni constituit provisorem. Habuit idem Guido sororem regis uxorem, nomine Sibillam, quæ prius marchisio de Monte-Ferrato matrimonio copulata filium ex illo susceperat nomine Baldewinum; sed cum, aliquanto tempore Guidone procuratore existente, Hierosolymitanum non prosperaretur regnum, rex, amoto eo, Reimundo, comiti Tripolitano, regni curam commisit.

Quod Salaadinus, Soldanus Babylonis, plures civitates Christianorum destruxit.

Conquests of Saladin.

Contigit [3] hac tempestate, ut Salaadinus, Soldanus Damasci, subjugatis omnibus regibus Saracenis in finibus totius orientis, ita ut diceretur rex regum et dominus dominantium, cum ei

---

[1] *Baldewinus.*] Baldwin IV. Compare Bernard. Thesaurarius in Murator. Rer. Ital. Scriptt. vii. col. 781.

[2] *Guidonem de Liziniaco.*] Guy de Lusignan; he had slain in 1168 Patric, earl of Salisbury, and had been banished Poitiers by Henry II. in consequence; Hoveden, p. 514.

[3] *Contigit.*] Compare Will. Tyr. p. 1037, *seqq.*

obedirent omnium gentium nationes, adjiciens ergo ut universam sibi Christianitatem subjugaret, intrante Julio mense, Jordanem transivit, terram circa castrum Crach, quod antiqua appellatione 'Petra deserti' dicebatur, devastavit, cibaria collegit. Deinde Neapolim transiens villam spoliavit et postea concremavit; inde progrediens ad urbem Sebastæam pervenit, ubi episcopus civitatis villam et ecclesiam suam octoginta captivis redemit; inde Arabiam veniens eam destruxit, viris et mulieribus captivatis. Ad magnum inde Gerinum transiens castrum diruit, et, quibusdam captivatis, mulieres et parvulos interfecit; inde ad parvum Gerinum, quæ villa est templi, eam vastavit, et recedens per castrum quoddam hospitale, quod Belverium dicitur, quibusdam captis et quibusdam interfectis, recessit. A.D. 1184.

Quod rex Anglorum eligitur in regem Hierosolymarum.

Mortuo interea Baldewino, rege Hierosolymarum leproso, regnavit pro eo Baldewinus, puer quinque annorum, nepos ejus ex sorore Sybilla et Willelmo, marchione Montis-Ferrati, genitus; qui statim in regem coronatus Reimundo, comiti Tripolitano, committitur nutriendus. Videntes igitur clerus et populus regnum in eum devenisse statum, in quem non posset diu subsistere, quid facto opus sit, diligenter pertractant; et cum pax Salaadini haberetur suspecta, et de rege puero nihil remedii sperabatur, tandem unum erat omnibus consilium, ut ad Henricum regem Anglorum legatos mitterent, qui ei ex parte universitatis regni Hierosolymitani regnum et claves sanctæ civitatis et sepulchri Domini sanctæque resurrectionis solemniter deportarent. Death of Baldwin IV.

A.D. 1184. Heraclius[1] patriarcha officium legationis rogatus suscepit, qui, adjuncto sibi magistro hospitalis et quibusdam aliis, Mediterraneum mare transivit, et Romam usque perveniens ad regem Anglorum literas a papa Lucio precatorias impetravit.

Quod Heraclius patriarcha in Angliam veniens regi electionem de se factam publicavit.

A.D 1185. Embassy from Palestine to Henry. Anno Domini MCLXXXV. Heraclius, patriarcha sanctæ resurrectionis, et dominus Rogerus, magister hospitalis domus Hierusalem, venerunt ad regem Angliæ Henricum apud Redingum; qui, cum sui itineris causas cum literis apostolicis exposuissent, sanctæ civitatis Hierusalem et terræ promissionis desolationem per ordinem enarrassent, regem et omnem multitudinem, quæ convenerat, in lachrymas et suspiria provocarunt; deferebant enim ad regem memorabilia suæ petitionis signa, nativitatis Jesu Christi, passionis, resurrectionis, turris David, sanctique sepulchri claves et vexillum regni, quæ omnia rex non mediocriter honoravit. Literæ vero domini papæ hæc inter cætera continebant;

Epistola Lucii papæ ad regem Anglorum.

Letter of Lucius to Henry. 'Lucius[2] episcopus, servus servorum Dei, et cætera. Cum cuncti prædecessores tui præ cæteris terræ principibus armorum gloria et animi nobilitate longe retro claruerunt, eosque fidelium populus habere in sua didicerit adversitate patronos, merito ad te, non tantum regni sed paternarum hæredem virtutum, quadam securi-

[1] *Heraclius patriarcha.*] It appears that Ernaldus, master of the Templars, had also accompanied them, but died at Verona; Hoveden, p. 628; Diceto, col. 625. Compare Newburgh, iii. § 10. Pagi, ad an. 1185, § 7, *seqq.*

[2] *Lucius.*] The letter may be seen at length in Hoveden, and Newburgh, iii. § 12. In the text it is much abridged.

tate præsumpta recurritur, ubi populo Christia- A.D. 1185.
no imminere periculum, imo exterminium, formidatur, ut per brachium regiæ magnitudinis Ejus membris impendatur præsidium, qui te ad tantæ gloriæ apicem pervenire sua pietate concessit, et te contra sui nominis impugnatores nefarios murum inexpugnabilem ordinavit. Porro noverit vestra serenitas, quod Salaadinus ille, sancti nominis Crucifixi immanissimus persecutor, ita nunc in spiritu furoris contra Christi fideles terræ sanctæ adeo invaluit, quod, nisi immanitatis ejus impetus objectis obicibus reprimantur, habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus,' et cætera.

Quod rex Henricus regnum Hierosolymarum recusavit.

Henry refuses the kingdom of Jerusalem.

His auditis, rex Anglorum, convocato clero regni ac populo, convenerunt Londoniis apud Fontem-clericorum[1] decimo quinto kalendas Aprilis cum universa nobilitate regni, ubi dictus rex, audientibus patriarcha et magistro domus hospitalis, omnes fideles suos multis adjurationibus astrinxit, quatenus proferrent in medium, quid super his saluti animæ suæ viderint expedire; ad hoc enim asserit animum suum inclinatum, ut, quod ex eorum consilio acciperet, modis omnibus observaret. Tunc concilium universum super præmissis colloquentes, sanius visum est et animæ regis multo salubrius, ut regnum suum debita moderatione gubernet et illud a barbarorum irruptione tueatur, quam orientalium consulat in propria persona saluti; de filiis regis quidem, quorum petiit aliquem patriarcha si rex venire recusaret, quicquam statuere, cum essent absentes, incongruum videbatur. Eodem

[1] *Fontem-clericorum,*] or Clerkenwell; Diceto, col. 626. See Mills' History of the Crusades, vol. ii. p. 7, *note.*

A.D. 1185. anno Johannes, filius regis, a patre militaribus accinctus armis apud Wyndleshoram pridie kalendas Aprilis, [1]in Hiberniam transfretavit; quo facto, rex Henricus cum patriarcha, mari transito, diem Paschæ apud Rothomagum celebravit. Rex Francorum, audito regis Anglorum adventu, cum festinatione venit apud [2]Vallem-Ruil castellum, ubi reges in colloquiis familiaribus triduo perstiterunt et in eorum præsentia multi nobiles cruce signati sunt; sed ipsi reges patriarchæ nihil aliud in responsis dederunt, nisi quod uterque terræ sanctæ festinum promiserunt auxilium, non enim leve eis videbatur ab extremis finibus occidentis rem tam arduam attentare; patriarcha vero, cujus negotium in arcto erat positum, spe frustratus ad propria remeavit. Eodem anno Hugo de Lacio, dominus provinciæ quæ Media dicitur, [3]interfectus est octavo kalendas Augusti. Eodem tempore, comite Huntendon, cum absque liberis decessisset, rex Anglorum dedit comitatum illum regi Scotorum Willelmo cum pertinentiis suis. Eodem anno Gilbertus de Glanvilla, archidiaconus Luxoniensis, consecratus est episcopus Roffensis tertio kalendas Octobris. In eodem tempore dux Saxonum Henricus licentia imperatoris rediit ad propria, suo tantum patrimonio contentus.

Henry at Rouen.

Quod Baldewinus, Cantuariensis archiepiscopus, pallium et legatiam suscepit.

A.D. 1186. Mixed events. Anno Domini MCLXXXVI. Baldewinus, Cantuariensis archiepiscopus, pallium cum legatione

[1] *In Hiberniam transfretavit.*] Henry had obtained leave from Urban, according to Hoveden, to crown either of his sons king of Ireland, p. 631; and in 1187, Octavian and Hugh de Nunant, bishop of Durham, had been commissioned by the pope for that purpose, but Henry deferred the coronation, p. 634.

[2] *Vallem-Ruil.*] Vaudreuil.

[3] *Interfectus est,*] 'a Malva Miadaich, infimæ manus homine;' Diceto, col. 626.

in provincia sibi subdita accepit. Eodem anno Willelmus de Ver, in festo beati Laurentii, Herefordensis est consecratus antistes. Eodem anno [1]Gaufridus, comes Britanniæ et filius regis Angliæ, diem clausit supremum decimo quarto kalendas Septembris, et sepultus est Parisius in ecclesia beatæ Mariæ in choro canonicorum; reliquit autem duas filias, quas genuerat ex Constantia uxore sua, filia scilicet Conani comitis Britanniæ, quæ etiam tempore quo vir ejus obiit gravida fuit, quæ postea filium pariens Arturum illum vocavit. Eodem anno Hugo, genere Burgundus et prior Carthusiensis ordinis in Anglia, consecratus est episcopus Lincolniensis in festo sancti Matthæi; et eodem die Willelmus de Norhale consecratus est Wigorniensis episcopus. Eodem anno, defuncto papa Lucio, [2]Urbanus successit. Per idem tempus Johannes, præcentor Exoniensis, ejusdem ecclesiæ consecratus est antistes. A.D. 1186.

Quod papa Urbanus Baldewino, Cantuariensi archiepiscopo, concessit ut construeret ecclesiam apud Akintonam.

Eodem tempore papa Urbanus Baldewino, archiepiscopo Cantuariensi, [3]scripsit in hæc verba; 'Præsentium tibi auctoritate mandamus, ut liceat tibi ecclesiam in honorem beatorum martyrum Stephani et Thomæ construere, et de idoneis jam ornare personis, quibus beneficia, quæ ad eorum sustentationem constitueris, canonice debeas assignare. Item fraternitati tuæ mandamus, ut quarta parte oblationum, quæ ad reliquias beati Letter of Urban to the archbishop of Canterbury.

[1] *Gaufridus.*] It is Hoveden's account that he was killed by a fall from his horse at a tournament. The French historians say that he died of a fever.

[2] *Urbanus,*] the third; elected in November 1185, died in October 1187.

[3] *Scripsit.*] Dated Verona, 1st October; Diceto, col. 631.

A.D. 1186. Thomæ martyris offeruntur, monachorum usibus concessa, quarta fabricis ecclesiæ deputata, quarta pauperibus erogata, quartam portionem liceat tibi in alios usus bonos pro tuæ voluntatis arbitrio erogare.'

Quod Sybilla in reginam Hierosolymarum coronatur.

Sibylla, queen of Jerusalem. Circa[1] dies istos, Baldewino puero rege Hierosolymarum defuncto, non erat qui ei in regnum succederet, præter Sybillam, uxorem Guidonis comitis Joppensis, quæ soror erat regis leprosi et regis pueri nuper defuncti mater; sed quoniam tempus instabat, ut treugæ inter Salaadinum et populum Christianum constitutæ solverentur, regni provisio jam in arcto posita erat, nec differri potuit quin de illius ordinatione illico tractaretur. Convocato igitur procerum concilio, in hoc pariter consenserunt, ut Sybilla, Guidonis uxor, tanquam hæres justissima regum prædictorum coronaretur in reginam, et Guidonem, qui regno insufficiens erat regendo, solemniter repudiaret. Respuit Sybilla regnum sibi sub tali conditione oblatum, donec proceres id generaliter illi concesserunt et juramento firmaverunt, ut, quem ipsa maritum eligeret, omnes ipsi sicut regi obedirent; Guido etiam vir ejus suppliciter postulabat, ne pro suo damno regni provisio differretur. Ita tandem cum lachrymis adquiescens coronata est solemniter in reginam, et omnium fidelitatem, adhibito juramento, suscepit; et Guido vir ejus, sine spe conjugis et regni, ad sua divertit. Nuntiatur interea Salaadini hostilis adventus, quod nec a vero

[1] *Circa dies istos.*] The following story is recounted also by Hoveden, and the continuator of William of Tyre. See Michaud, ii. p. 313.

distabat, unde regina, convocatis edicto regio viris ecclesiasticis et secularibus, de rege habuit eligendo tractatum; et quoniam id sibi prius ab omnibus concessum fuerat, ut quem vellet maritum eligeret, exspectantibus rei exitum universis, regina Guidoni, qui inter alios adstabat, voce clara dixit, 'Domine mi Guido, ego te in maritum eligo, et me simul cum regno tibi tradens te regem futurum publice protestor.' Ad hanc vocem omnes stupefacti admirabantur valde, quod tot viros prudentes una mulier ita simplex delusit. Laudabilis plane fœmina et tam pudicitiæ quam prudentiæ præconiis extollenda; sic enim negotium temperavit, ut regnum viro et sibi virum obtineret. A.D. 1186. Factus est his diebus per orbem universum terræmotus magnus et horribilis, ita ut etiam [1] in Anglia, ubi raro contigit, multa ædificia subverterentur. Earthquake. Contigit autem his diebus matrem Salaadini ab Ægypto in partes transire Damascenas in apparatu magno et divitiis copiosis, quæ de fide treugarum præsumens per fines regionis, quæ trans Jordanem sunt, secure perrexit; in cujus comitatum Reginaldus de Castellione temere irrumpens divitias diripuit universas, veruntamen mater Salaadini fuga periculum declinavit. Commotus inde Salaadinus restitutionem ablatorum et super injuriis satisfactionem sub pactione fœderis postulavit, conventus autem super hiis Reginaldus de Castellione a Salaadino dure nimis et contumeliose respondit; Salaadinus vero, lætus supra modum, quod in parte Christianorum diruptæ erant treugæ, ad vindictam provocatus accingitur ad certamen.

[1] *In Anglia.*] 'Circa partes aquilonares;' Diceto, col. 628.

Quod Salaadinus terram sanctam depopulatur.

A.D. 1187. Successes of Saladin.

Anno Domini MCLXXXVII. Salaadinus contra Christianos indignatione succensus Parthos, Bedewinos, Turcos, Saracenos, Arabes, Medos convocat et [1]Cordinos, et his omnibus cum Ægyptiis stipatus fines Christianorum conterit et conturbat; et jam, non contentus quod parva quædam in Galilæa occupaverit præsidia, Calvariam obsidere proponit. Cum omnium igitur machinarum genere illuc properaret, Magistrum militiæ Templi cum fratribus sexaginta et Christianorum multitudine itinerando peremit et cum palma martyrii ad cælestia regna transmisit; hac igitur Salaadinus victoria exhilaratus ad obsidionem Calvariæ festinans contendit. Rex autem Hierusalem, ut urbem audivit obsidione vallatam et inclusos vehementer affligi, edicto regio omne regni robur convocavit; illis solummodo in castrorum præsidio relictis, quos ætatis et sexus infirmitas armorum prorsus habebat immunes. Castra igitur moventes a fonte Sephoritano, ubi convenerant, stipati militum viginti millibus incesserunt. Præfecto itaque exercitui Reimundo, comite Tripolitano, versus Tiberiam sunt profecti; cumque funestus dies certaminis instaret, camerario regis visio tremenda contigit, videlicet quod aquila quædam Christianum transvolaret exercitum, quæ missilia septem gerens in pedibus voce terribili personaret, 'Væ vobis Hierusalem, væ vobis!' Ad hujus visionis expositionem sufficere nimirum credimus, quod Spiritus Sanctus de reprobis loquitur per prophetam, 'Tetendit Dominus arcum suum, et in eo paravit vasa mortis.'

[1] *Cordinos,*] or the Curds; see Gibbon, vol. xi. p. 124, and the *note* [46].

De captione sanctæ crucis et regis Hierusalem a Salaadino.

Audiens[1] autem Salaadinus, quod rex in succursum veniret obsessorum, venientibus audacter occurrit, et, cum eos in scopulis angustis et præruptis inclusos cognovisset, non longe a Tiberiade, in loco qui Marescallia dicitur, in regis exercitum irruit confidenter; igitur Christiani hostes viriliter exceperunt, quantum locorum angustiæ permittebant. Pugnatum est acriter hinc et inde et corruerunt interfecti, tamen, exigentibus Christianorum peccatis, prævaluit tandem pars adversa; nam, ut aiunt, comes Tripolitanus, militiæ princeps, vexillum regis in terram proditiose demittens Christianos fecit fugam meditari, sed quo fugerent, nisi in hostes, non habentes. Rex Guido captus est cum cruce sancta, et omnis multitudo eorum capta fuit vel gladiis interfecta; evaserunt tamen ab hac clade comes Tripolitanus licet omnibus suspectus, dominus Reginaldus Sydonis patronus, atque dominus Balianus cum paucis fratribus militiæ Templi. Facta est autem hæc misera belli congressio quinto scilicet et quarto nonas Julii, infra octavas apostolorum Petri et Pauli. Evasit etiam ab hac clade Theodoricus, Magister militiæ Templi, qui tamen ipso die ducentos et triginta de fratribus amisit. Comes Tripolitanus hoc quod sine sanguinis effusione evaserat, in argumentum sumebatur contra ipsum, quod in regem et populum Dei proditiose egisset. Capti sunt etiam cum cruce ejus bajulatores episcopus

A.D. 1187. Battle of Tiberias.

[1] *Audiens.*] Compare Neubrig. iii. § 17, Bernard. Thesaur. col. 790, Jac. de Vitriaco, 1117, with Hoveden, p. 636, where there is preserved a letter from one of the Templars, giving an account of these events.

A.D. 1187. Aconensis et præcentor Dominici sepulchri, ille cæsus et iste captus pariter cum ipsa succumbunt; sicque capitur crux sancta propter peccata hominum, et, quæ nos a veteri captivitatis jugo absolvit, pro nobis captiva ducitur et profanis gentilium manibus contrectatur.

Quod sancta civitas cum tota fere terra Hierosolymitana a Salaadino subjugatur.

Continued success of Saladin. Salaadinus[1] itaque victoria potitus Tiberiadem revertitur, et, solo præsidio quod supererat capto, regem cum cæteris quos ceperat Damascum transmisit. Deinde Galilæam invadens universa pro libitu occupavit, et veniens Ptolomaidam sine sanguinis eam effusione suscepit. Inde Hierosolymam festinans urbem obsidet, machinas in gyrum locat; cives quas possunt defensiones objiciunt, sed arcus, balistæ, petrariæ effectu carent et inutiliter contrectantur; vulgus vero pavidum ad patriarcham et reginam, qui tunc urbi præerant, flebiliter supplicans instat, ut cum Salaadino de urbe tradenda conveniant. Pactio tandem intercedit magis dolenda quam memoranda, nam, singuli capitis sui censum statuentes, vir bisantios decem, mulier quinque, infans unum persolveret, et quisquis qui ad hæc non sufficit teneretur captivus; erant autem in civitate quatuordecim millia utriusque sexus hominum, qui ad hoc non sufficientes jugum subierunt perpetuæ servitutis. [2]Reddita est civitas sancta inimicis Christi, et sepulchrum possident, qui persequuntur Sepultum; crucem tenent, qui Crucifixum blasphemant. Ingressus itaque civitatem Salaa-

[1] *Salaadinus.*] Bern. Thesaur. col. 794, *seq.*

[2] *Reddita est civitas sancta,*] on the 13th October. See the account of its capture by Coggeshale; Martene, Vett. Scriptt. tom. v. col. 567, *seqq.*

dinus cum strepitu tympanorum et tubicinum ad templum properabat, et cruce quæ in eo erecta stabat deposita, ejectisque quæ Christiani venerabantur, templum intus et extra aqua lustrabat rosacea, et sic erroris sui superstitiones per quatuor angulos templi magno fecit strepitu conclamari; ecclesiam sanctæ resurrectionis et sepulchrum Dominicum cum locis aliis venerabilibus quibusdam Syrianis sub certo constituit tributo; et inde festinanter progressus urbes omnes circumquaque positas et oppida subjugavit, præter Ascalonem et Tyrum, et Crach ultra Jordanem, quod alio nomine dicitur Mons-regalis. A.D. 1187.

Prohibitio papæ ne ecclesia de Akintona construatur.

Eodem anno papa Urbanus scripsit Baldewino, Cantuariensi archiepiscopo, pro negotio conventus ecclesiæ ejusdem in hæc verba; [1] 'Dilecti filii nostri, prior et conventus ecclesiæ tibi commissæ, ad nostram præsentiam literas et nuntios destinantes proposuerunt de ecclesia, quam ædificare cœpisti, tantum sibi et ecclesiæ dispendium proventurum, quod, nisi fuerit ab ejus constructione cessatum, præscripta ecclesia suæ honestatis et status miserabile suscipiet detrimentum; nos autem sollicite providere volentes, ne inter te et fratres tuos materia remaneat jurgiorum, cum non possunt convenienter intendere divinis obsequiis, qui sunt in contentionibus, de consilio fratrum nostrorum monemus fraternitatem et districte præcipimus, quatenus, donec causa cognita statuamus quid de ipsa fieri debeat, omni occasione et appellatione postposita, ab illius ecclesiæ constructione desistas, literis aliis non obstantibus a sede apostolica impetratis.' Letter of Urban to the archbishop of Canterbury.

[1] *Dilecti.*] Diceto, col. 635. In the text it is somewhat abridged.

A.D. 1187. Eodem anno, mortuo papa Urbano, [1]Gregorius successit, qui, cum sedisset duobus mensibus, [2]defunctus est, et [3]Clemens tertius decimo tertio kalendas Januarii surrogatur. Eodem anno Gilebertus, Londoniensis episcopus, naturæ debitum solvit. Eodem anno Richardus, comes Pictaviensis, cum audisset calamitatem terræ sanctæ et de capta cruce, non exspectata alicujus prædicatione vel patris sui consilio aut voluntate, primus inter proceres transmarinos signaculum crucis suscepit de manu archiepiscopi Turonensis.

Quod ad prædicationem crucis multi cruce signantur.

A.D. 1188. Preparations for a Crusade. Anno Domini MCLXXXVIII. Fredericus, Romanorum imperator, ad prædicationem Henrici, Albanensis episcopi et apostolicæ sedis legati, qui a papa Clemente missus fuerat, crucem Christi suscepit; et eodem tempore rex Francorum Philippus et rex Anglorum Henricus in Normannia pro subventione terræ sanctæ [4]ad colloquium venientes inter Triam et Gisortium, post longos tractatus, præsente comite Flandrensi Philippo, in hoc pariter consenserunt, ut, sumpto crucis signaculo, iter Hierosolymitanum socialiter expedirent. Rex igitur Anglorum primo crucis signaculum suscepit de manibus archiepiscoporum Remensis et Willelmi Tyrensis, quorum ultimus a domino papa super negotio crucis officium legationis susceperat in partibus occidentis. Deinde

---

[1] *Gregorius,*] the eighth; elected the 20th October, died the 17th December.

[2] *Defunctus est.*] His death was said to have been occasioned by a fever, brought on by anxiety and grief, on account of the successes of Saladin; Jac. de Vitriaco, p. 1120.

[3] *Clemens tertius.*] He died the 27th March 1191.

[4] *Ad colloquium venientes.*] On the 21st January; Diceto, col. 636. Compare Concil. ed. Harduin, tom. vi. col. 1899.

rex Francorum et Philippus, comes Flandrensis, A.D. 1188. crucem sumentes exemplum aliis potissimum præbuerunt; unde tam in imperio, quam de utroque regno regum prædictorum, archiepiscopi, episcopi, duces, marchiones et comites, barones, milites et mediæ manus homines vulgusque promiscuum crucem animosius susceperunt. Provisum est etiam inter eos, ut omnes de regno Francorum cruces rubeas, de terris regis Anglorum albas, de terra comitis Flandrensis virides haberent cruces. De terris autem, castellis et rebus omnibus usque peracta peregrinatione, et quilibet eorum in terra sua quadraginta diebus moram fecisset, omnia essent in eo statu quo fuerunt in die quo crucem susceperunt.

Quare Richardus, comes Pictaviensis, animum suum a patre alienaverit.

Circa[1] dies istos Gaufridus de Liziniaco quen- Affairs in Poitou. dam Richardo, comiti Pictaviensi, familiarem structis insidiis interfecit; in tanti vero ultionem delicti comes ad arma provocatur, sed acceptæ crucis non immemor omnibus hominibus Gaufridi crucis signaculo insigniri volentibus pepercit, alios in ore gladii interfecit, et in deditionem plura castella suscepit; sed Gaufridus, regis Anglorum fultus pecunia et auxilio, ut dicebatur, Richardo comiti restitit et parum profecit, unde idem comes animum suum a patre alienavit. Gaufrido itaque superato, comes terram comitis Tholosani hostiliter ingressus, injuriatus ab ipso, intra breve temporis spatium castella ejus septendecim subjugavit. Rex autem Francorum indigne ferens quod comes Richardus terram comitis Tholosani ingressus fuisset,

[1] *Circa dies istos.*] Abridged from Diceto, col. 630.

A.D. 1188. eo non certiorato, [1]castellum Radulphi latenter ingressus est et omnes in illo repertos ad fidelitatem sibi faciendam coegit; quod factum tanto principi ignominiosum videbatur, cum præsertim rex Anglorum post crucem susceptam transiturus in Angliam regi Francorum totius terræ suæ custodiam tradidisset. Deinde rex Francorum castellanos quosdam regi Anglorum subjectos in suum favorem tam minis quam promissis attraxit; et sic, instinctu diabolico, post crucem susceptam [2]reges discordes effecti mutuis sese damnis ad invicem afflixerunt, unde rex Anglorum Francorum ingressus regnum a Vernolio usque Meduanam universa contrivit. Eodem anno Richardus, Wintoniensis episcopus, obiit undecimo kalendas Januarii et Wintoniæ sepultus est.

Epistola Frederici, imperatoris Romani, ad Salaadinum.

Letter of the emperor to Saladin. Eodem anno Fredericus, Romanorum imperator, Salaadino scripsit pro negotio terræ sanctæ sub hac forma; [3]' Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus et hostium imperii magnificus triumphator, Salaadino, Saracenorum præsidi, Hierusalem fugere exemplo Pharaonis. Quoniam terram sanctam nuper profanasti, cui æterni Regis imperio imperamus, in tanti sceleris præsumptuosam plectibilemque audaciam debita animadversione decernere imperialis celsitudo et officii solicitudo nos admonet; quapropter, nisi occupatam terram et omnia re-

[1] *Castellum Radulphi,*] ' de Doloribus in Biturica:' on the 17th May; Diceto. Compare Benedict. Abbat. ed. Hearne, p. 507.

[2] *Reges discordes effecti.*] They had met at Gisors on the 16th August, but could not agree; Diceto. Hoveden, p. 645.

[3] *Fredericus.*] Hoveden, p. 650. Compare Coggeshale, col. 577; and Baronius, ad an.

stituas, adjuncta satisfactione sacris constitutionibus pro tam nefandis excessibus taxata, [ne] legitimum minime videamur indicere bellum, a capite kalendarum Novembrium evoluto anni spatio terminum constituimus ad experiendam belli fortunam in campo Tahpneos, in virtute mirificæ crucis et in nomine veri Joseph. Vix enim credere possumus hæc te latere, quod ex scriptis veterum et in historiis nostri temporis factum redolet; numquid scire dissimulas, ambas Æthiopias, Mauritaniam, Persiam, Syriam, [1]Parthiam, Judæam, Samariam, maritimam Arabiam, Chaldæam, Ægyptum et Armeniam, cum innumerabilibus terris nostræ ditioni esse subjectas? Norunt hæc reges, qui cruore gladii Romani sunt crebrius [2]inebriati; et tu quidem, auctore Deo, intelliges quid nostræ victrices aquilæ, quid cohortes diversarum nationum, quid furor Theutonicus etiam in pace arma movens, quid caput indomitum Rheni, cujus juventus nunquam novit fugam, quid procerus Bavarus, quid Suevus astutus, quid Franconia circumspecta, quid in gladio ludens Saxonia, quid Thuringia, quid Westphalia, quid agilis Brabantia, quid nescia pacis Lotharingia, quid inquieta Burgundia, quid Alpinæ salices, quid Frisonia in armento prævolans, quid Bohemia ultro mori gaudens, quid Polonia[3] suis feris ferior, quid Austria, quid [4]Stiria, quid Bugresia, quid partes Illyricæ, quid Leonardia, quid Tuscia, quid [5]Archaritana, quid vetus[6] Proretha, quid Spinacius nauclerus; denique dextram nostram, quam senio arguis, qua- A.D. 1188.

[1] *Parthiam.*] 'Persiam' repeated in MS.

[2] *Inebriati.*] 'Debriati' in MS.

[3] *Polonia.*] In MS. and Coggeshale 'Bolenia.'

[4] *Stiria.*] 'Stricia' in MS.

[5] *Archaritana.*] 'Ancarictana Marcia,' Coggeshale; 'Ammonitana Narsia,' Baron.

[6] *Vetus Proretha.*] 'Venetus protetha,' Coggeshale; 'Venetus pirata,' Baron.

A.D. 1188. liter gladium vibrare dedisceret, dies illa lætitiæ plena et jocunditate triumpho Christi præfixa te docebit.'

Rescriptum Salaadini ad Fredericum imperatorem.

Answer of Saladin. 'Illi[1] regi sincero, amico, magno, excelso Frederico, regi Alemanniæ, in nomine Dei miserentis, per gratiam Dei unius, potentis, exsuperantis, victoris, perennis, cujus non est finis. Gratias ei agimus perennes, cujus gratia est super omnem mundum, deprecamur eum, ut infundat orationem suam super prophetas suos, et maxime super instructorem nostrum nuntium suum Mahumet prophetam, quem misit pro correctione rectæ legis, quam faciet apparere super cunctas leges. Notum facimus regi sincero, potenti, magno, amico, amicabili regi Alemanniæ, quod homo quidam, Henricus nomine, venit ad nos dicens se esse nuntium vestrum, et detulit nobis quandam chartam, quam dixit esse vestram; nos legi fecimus chartam, et audivimus eum viva voce loquentem, et verbis, quæ ore dixit, verbis respondimus, et hoc est responsum chartæ. Quod si computatis, qui vobiscum concordant veniendi super nos, et nominatis, et dicitis, rex talis terræ, et rex alterius terræ, et comes talis, et tales, et tales archiepiscopi et marchiones et milites; sed si nos vellemus dinumerare eos, qui sunt in nostro servitio, et qui sunt intendentes nostro præcepto et prompti nostro sermoni, et qui dimicarent coram nostris manibus, non possent hic in scriptum redigi; et si Christianorum computatis nomina, Saracenorum sunt plura et abundantiora quam Christianorum. Et si inter vos et eos quos nominastis Christianos mare est, inter Saracenos, qui

[1] *Illi regi.*] This letter occurs in the 'Histoire Hierosolymitane,' p. 1157, in Coggeshale, col. 579, and elsewhere.

non possunt æstimari, non est inter eos et nos mare nec ullum impedimentum veniendi ad nos. Et nobiscum habentur Bedewini, quos si opponeremus inimicis nostris, sufficerent; habemus et Turkemannos, quos si effunderemus super inimicos nostros, destruerent eos; habemus rusticos, qui dimicarent strenue, si juberemus, contra gentes quæ venturæ sunt super terram nostram, et ditarentur de eis et exterminarent eas; habemus soldarios bellicosos, per quos terram apertam habemus et adquisitam et expugnatos inimicos; et hii et omnes reges paganismi non tardabunt cum eos summonuerimus et vocaverimus. Et vos cum fueritis congregati, sicut charta vestra dicit, et ducetis multitudinem vestram, ut narrat nuntius vester, obviabimus vobis per potentiam Dei et obtinebimus terras fortitudine Dei; nam, si veneritis, cum toto posse vestro venietis et præsentes eritis cum omni gente vestra, et scimus quod nullus remanebit in terra vestra, qui se defendere possit nec terram tueri; et quando Deus victoriam nobis sua fortitudine donaverit, nihil amplius erit quam ut terras vestras libere capiamus fortitudine sua et voluntate. Adunatio enim legis Christianorum bis venit super nos in Babylone, una vice apud Damietam et altera apud Alexandriam, et nostis qualiter Christiani utraque vice redierint et ad qualem exitum venerint; et Deus adjuvavit nobis regiones affluentius, et adunavit eas longe lateque sub potestate nostra, Babyloniam cum pertinentiis suis, terram Damasci et maritimam, Hierusalem, terram Gethsure et castella ejus, terram [1]Roasiæ cum pertinentiis, regionem Indiæ cum pertinentiis; et per gratiam Dei hoc totum est in mani-

A.D. 1188. Letter of Saladin to the emperor.

[1] *Roasiæ.*] 'Gesyræ,' Coggeshale.

A.D. 1188. bus nostris, et residuum regum Saracenorum nostro est imperio. Nam si mandaremus excellentissimis regibus Saracenorum, non retrahent se a nobis; et si summoneremus Calipham de Baldac, quem Deus salvet, de sede excelsi imperii sui exsurgeret et veniret in auxilium excellentiæ nostræ; et nos per virtutem Dei obtinuimus Hierusalem et terras ejus, et remanent adhuc in manibus Christianorum tres civitates, Tyrus, Tripolis et Antiochia, et de hiis non est aliud nisi ut capiantur. Attamen si bellum vultis et si Deus voluerit, ut sit per voluntatem suam, et quod totam terram Christianorum adquiramus, obviabimus sicut scriptum est in charta vestra; verum si nos de bono pacis requisiveritis, mandabitis procuratoribus istorum trium locorum prædictorum, ut ea nobis sine contradictione resignent, et vobis sanctam crucem reddemus, et liberabimus omnes captivos Christianos, qui sunt in tota terra nostra, et permittemus vobis ad sepulchrum unum sacerdotem, et reddemus abbatias quæ solebant esse in tempore paganismi, et bonum eis faciemus, et permittemus venire peregrinos in tota vita nostra, et habebimus vobiscum pacem. Charta hæc scripta fuit anno adventus prophetæ nostri Mahumet quincentesimo octuagesimo quarto, gratia Dei solius.'

Quod Guido, rex Hierosolymarum, a carcere liberatur.

The king of Jerusalem released from prison.

Eodem[1] anno Guido, rex Hierosolymarum, cum apud Damascum per annum detentus fuisset in vinculis, Salaadinus sub tali illum pactione absolvit, ut, abjurato regno, mare quam citius proscriptus transiret; hanc pactionem cassandam clerus regni deliberat, nec ibi fidem esse servan-

[1] *Eodem anno.*] Compare the account by the continuator of Will. of Tyre; Martene, v. col. 611.

dam, ubi periclitatur religio, dum terra promis- A.D. 1188.
sionis omni solatio destituta caput non habeat nec rectorem, nec peregrini venturi ductorem, nec populus defensorem. Rege itaque a vinculis soluto, confluxerunt ad eum multi peregrini, qui nuper advenerant, cum populo regionis, et copiosum exercitum confecerunt, qui Tyrum ingredi volens a [1]marchisio non admittitur; licet eo pacto civitas ei commissa fuisset, ut regi repetenti et regni hæredibus redderetur; sed post dies paucos, eodem marchisio defuncto, hæc pestis cessavit. Mortuus est etiam eodem tempore Reimundus, comes Tripolitanus, cui imputabatur totus sinister eventus terræ promissionis, [quo] minus Christiane, ut dicitur, quasi ex mentis alienatione, in extremis viaticum non [2]percepit. Et his ita gestis, rex cum exercitu baronum regni, qui sibi adhæserant, sociatis sibi templariis et hospitalariis, Venetianis etiam, qui nuper advenerant, et Januensibus peregrinis, iter versus Ptolomaidam, quæ alio nomine Achon dicitur, arripuit; cujus robur veraciter numeratum ad novem millia armatorum excrevit. Rex itaque Hierosolymitanus, cum Ptolomaidam pervenisset, fecit omnes suos in collem ascendere civitati vicinum, quem, eo quod instar turris erectus sit in sublime et rotundus, Turonum a vulgo nuncupatur; mons autem iste a parte urbis orientali consurgit editior, et in circuitu longe [3]porrectus in plana diffunditur. Die igitur tertio post suum adventum urbem Christiani obsident, quæ postea non defecit usque ad tempus quo capta fuit a regibus Francorum et Anglorum, Philippo et Richardo. Adeo quidem peregrini simpli-

[1] *Marchisio.*] 'A marchisio non admittuntur,' *C.*

[2] *Percepit.*] 'Pepercit' in MS.

[3] *Porrectus in plana diffunditur.*] 'Porrectum in plana diffundit' in MS.

A.D. 1188. ces et mediæ manus homines bellatores concepto devotionis fervore ducuntur, quod, suis regibus vel dominis non exspectatis, ab extremis mundi partibus confluunt Domino servituri.

Quod Salaadinus ab Achon confusus recessit.

Saladin retires from before Acre. Rex autem Hierosolymarum peregrinorum multitudine vallatus fecit suos omnes de Turono descendere, et una cum peregrinis, qui nuper advenerant, ante civitatem castra locavit. Post dies autem paucos superveniens Salaadinus in manu robusta impetum in Christianos fecit acerrimum, ut qui putabat eos insultu primo vincendos; at fideles in unum conglobati, quasi pro animabus decertantes, viriliter restiterunt, quos Salaadinus circumcingi jubens, pro impossibili, quod ex omnibus pes unus evaderet, judicabat, sed aliter visum est Ei qui dissipat consilia reproborum. Nam cum per triduum insultus infidelium undique venientium pertulissent, et jam quasi debilitati ab hostibus deficere cœpissent, ecce aspiciunt classem cum duodecim millibus Danorum et Frisonum velis sinuantibus accedere ad portum, quem, Deo opitulante, cum prosperitate optata intraverunt. His et hujusmodi, quæ fiebant assidue, visionibus permotus Salaadinus confusus ad terræ suæ inferiora descendit.

De magno impedimento terræ sanctæ.

Hindrances to the Crusade. Accessit autem his diebus ad terræ sanctæ magnum impedimentum discordia, quæ nuper, et post crucem susceptam, inter regem Francorum et comitem Pictaviensem Richardum ex una parte et Henricum, regem Anglorum, surrexit ex altera, adeo quidem ut mutua ad invicem castella surriperent et multa mala in homicidiis

et spoliis perpetrarent; qui tandem pro bono pacis in Normanniam ad colloquium convenientes, diabolo superseminante zizania in medio tritici, discordes [1]ab invicem recesserunt. A.D. 1188.

Ut Johannes, [2]Anagniæ cardinalis, pacem inter Philippum Francorum et Henricum Anglorum reges fecerit.

Anno Dominicæ nativitatis MCLXXXIX. [3]rex Henricus in partibus transmarinis moram faciens infestationes, quas sibi rex Francorum Philippus et comes Pictavorum Richardus filius ejus faciebant, graviter nimis et moleste ferebat; fuit autem ad natale Domini in Andegavia apud Saumur et solemne festum ibi tenuit, licet quamplures de comitibus et baronibus suis ab eo recessissent et Richardo filio suo adhæsissent. Post festum sancti Hilarii ruptis treugis, quæ erant inter reges, Philippus, rex Francorum, et comes Richardus, congregatis copiis militaribus, intraverunt terras regis Angliæ et eas devastare cœperunt; Britones etiam, relicto eo, Richardo comiti adhæserunt; sed papa Clemens, admirans nondum pacem inter reges fuisse reformatam, misit Johannem de [4]Anagnia cardinalem cum plena potestate ad lites regias dirimendas, qui cum ad eos venisset, et ipsos nunc asperis nunc blandis sermonibus ad pacem commovisset, ipsi tandem reges, præstita cautione, juraverunt quod starent judicio Bituricensis, Rothomagensis et Cantuariensis archiepiscoporum, ita ut, si quis eorum deficeret, quo minus inter eos pax solida firmaretur et iter Hierosolymi- A.D. 1189. Attempt to reconcile the kings of France and England.

[1] *Ab invicem recesserunt.*] On the margin a later hand has written 'Huc usque in lib. Cronic. Johannis abbatis.' See *Preface.*

[2] *Anagniæ.*] 'Agnaniæ' in MS.

[3] *Rex Henricus.*] Compare Hoveden, p. 652.

[4] *Anagnia.*] 'Agnania' in MS.

A.D. 1189. tanum impediretur, in eum tanquam in Dominicæ crucis et totius Christianæ religionis subversorem auctoritate domini papæ sententiam excommunicationis promulgarent; statimque cardinalis sententiam tulit in omnes, tam clericos quam laicos, per quos staret quo minus pax fieret inter reges, salvis tantummodo eorundem regum personis.

Epistola filii marchionis de oppressione terræ sanctæ.

Letter of Conrad Mont-Ferrat to the archbishop of Canterbury.

'Cantuariensi[1] archiepiscopo Baldewino, Conradus, filius marchionis de Monte-Ferrario, salutem. Turbantur elementa et catholicæ fidei derogatur, cum sedes Hierosolymitana apostolicæ sedi subtrahitur. Periit enim Hierosolyma et inertia Christianorum a Saracenis vilissime pertractatur; fœdant namque Dominicum sepulchrum, destruunt Calvariæ locum, nativitatem Christi contemnunt, et beatæ virginis Mariæ eradicant [2]sepulchrum; sedes Constantinopolitana Romanæ sedi nullam exhibet reverentiam; Antiochena quidem laborare dignoscitur in extremis. Hæc autem omnia Christianorum noscuntur desidia contigisse. Lugenda est autem civitas Hierusalem sancta atque lamentanda, quæ suis cultoribus spoliata, ubi Christus per horas diei ac noctis constitutas deprecabatur, nunc Mahumet excelsa voce laudatur. Vestræ igitur celsitudini preces cum lachrymis porrigo fusas, quatenus calamitatum terræ sanctæ misereri dignemini, ut confortetis reges, commoneatis fideles, ut, canibus expulsis a patrimonio Jesu Christi, misericorditer subveniant, vincula solvant, ut terra sanctis pedibus Salvatoris cal-

[1] *Cantuariensi.*] Compare Diceto, col. 642.

[2] *Sepulchrum,*] 'de valle Josaphat;' Diceto.

cata de potestate infidelium liberetur. [1]Accedit etiam ad cumulum iniquitatis ac desolationem Christianitatis familiaritas, quæ viget inter Salaadinum et imperatorem Constantinopolitanum, cui tradidit idem Salaadinus omnes ecclesias terræ promissionis, ut in eis serviatur per suos secundum ritum Græcorum. Insuper etiam et idem Salaadinus misit idolum suum Constantinopolim imperatoris assensu, ut ibi publice coleretur, sed per gratiam Dei captum est in mari a Januensibus et cum ipsa navi perductum est Tyrum. Nuper etiam exercitus constructus est ante urbem Antiochiæ et imperator promisit centum galeias Salaadino; ac Salaadinus dedit ei totam terram promissionis, ita ut impediat viam Francorum ad succursum terræ sanctæ; nec est aliquis apud Constantinopolim, qui crucem accipiat, quin statim capiatur et in carcerem detrudatur. Hoc autem nobis solatium est, quod nuper frater Salaadini et filius ejus ante Antiochiam capti sunt et sub salva custodia deputati. [2]Valete.' A.D. 1189.

Quibus de causis comes Richardus a fidelitate patris sui recesserit.

Attempt at reconciliation between Richard and his father unsuccessful.

Eodem[3] anno post Paschalem solemnitatem bis inter reges habitum est colloquium prope Feritatem-Bernardi; sed ad ultimum, in hebdomada Pentecostes ibidem convenientes, postulavit rex Francorum Alesiam sororem suam, quam rex Angliæ habuit sub custodia sua, donari Richardo comiti in uxorem, et aliquam securitatem sibi fieri de regno Angliæ post de-

[1] *Accedit.*] What follows is not in Diceto, but agrees with the copy of the letter given by Baronius, ad an. 1187; § 9.

[2] *Valete.*] The letter in Diceto is dated Tyre, 12 kal. Oct.

[3] *Eodem anno.*] Diceto, col. 644; Hoveden, p. 652; Benedict. Abbas, p. 541.

A.D. 1189. cessum suum; petiit insuper, ut Johannes filius ejus crucem susciperet Hierosolymam profecturus, nam Richardus frater ejus iter illud nullatenus sine ipso arriperet; sed, quia rex Angliæ huic petitioni assensum præbere noluit, discordes ab invicem recesserunt. In hoc autem colloquio cardinalis præfatus constanter asserebat, quod, nisi rex Franciæ et comes Richardus cum rege Anglorum ad plenum componerent, omnes terras eorum sub interdicto concluderet. Cui rex Francorum respondit, se ipsius sententiam non timere, cum nulla æquitate niteretur; addidit etiam, ad ecclesiam Romanam non pertinere in regem vel regnum Francorum per sententiam animadvertere, si rex Francorum in homines suos demeritos et regno suo rebelles injurias suas ulciscendi causa insurgit; adjunxit insuper, quod cardinalis prænominatus jam sterlingos regis Angliæ olfecerat, unde illum judicem suspectum [1] habebat. Archiepiscopi vero aliique magnates, his auditis, regi Anglorum dederunt consilium, ut petitionibus filii sui præberet assensum; dignum enim esse dicebant ut filio suo et hæredi legitimo, militique tam strenuo, aliquam securitatem faceret de hæreditate sua habenda si ipsum supervixisset; quibus respondit rex, se nullatenus hoc in tali statu facturum, quoniam id coactus potius quam spontaneus facere videretur. Comes vero Richardus, cum talia cognovisset, [2] videntibus cunctis, homagium fecit regi Francorum de toto tenemento patris sui, quod ad regnum Franciæ pertinebat,

[1] *Habebat.*] Matthew Paris adds, that the violence of Richard on this occasion was so great, that he was with difficulty prevented by those present from falling upon the cardinal sword in hand.

[2] *Videntibus cunctis.*] 'Discinctus gladio, adstante patre;' Gervas. col. 1537.

salvo patri tenemento quamdiu viveret et salva fide quam patri debebat. Sicque finito colloquio reges et tota multitudo recessit. A.D. 1189.

Ut rex Francorum quatuor castella regis Angliæ cepit ipsumque a Cenomannica urbe fugavit.

Rex Francorum cum comite Richardo in hunc modum recedens cepit Feritatem-Bernardi, Montem-fortem, [1]Baalverque, castella regis Angliæ, et post captionem illam moram trium dierum fecit ibidem. Deinde Cenomanniam veniens, fingensque se Turonis iturum, proximo die Lunæ, cum rex Angliæ et sui viderentur ibidem esse securi, rex Francorum acies suas disposuit in civitatem Cenomanniæ insultum facturus; quod videns Stephanus [2]de Turnham, tunc Andegaviæ regis Anglorum seneschallus, in suburbio ignem conjecit, sed ignis accensus muros transcendens fere civitatem totam in favillam redegit. Hoc Franci cognoscentes ad quendam pontem lapideum pervenerunt, ubi Gaufridus de Bruilun et multi cum eo ex parte regis Angliæ eis occurrerunt pontem dirumpere cupientes, factoque ibi conflictu maximo, multi hinc et inde gladio corruerunt. In hoc autem conflictu captus est Gaufridus prædictus, in[3] cervice vulneratus, cum aliis multis; cæteri autem volentes in civitatem fugere, Franci una cum illis ingressi sunt civitatem; quod videns rex Anglorum, de se desperans, cum militibus septingentis aufugit. Rex vero Francorum et Richardus, comes Pictavorum, per tria illum milliaria insecuti sunt; et nisi vadum, per quod transitum fecerunt, altum esset et immensum, Affairs in Normandy.

[1] *Baalverque.*] 'Balun,' Benedict.; 'Baalum,' Diceto; 'Balim,' Hoveden.

[2] *De Turnham.*] 'De Turonis,' Hoveden and Benedict. Abbas.

[3] *In cervice.*] 'In crure,' ibid.

A.D. 1189. omnes de familia regis Angliæ milites caperentur; in illa denique fuga multi sunt Wallensium interfecti. Rex autem Anglorum Turonis cum paucis veniens, ibi se in munitionem recepit; residui vero, qui remanserant de suis, in turrim sese Cenomanniæ receperunt. Rex Francorum illico turrim obsedit; et tum per effossores suos, tum per machinarum insultus, infra diem tertium reddita est ei turris cum militibus triginta et servientibus sexaginta. Inde recedens cepit Montem-duplicem per deditionem; deinde reddita sunt ei castella de [1]Troia, de Rupibus, Montarium, castrum Carceris et de Leir, castrum Calvi-montis, cum castro [2]Ambaciæ, castrumque de Rupibus-carbonis et Monsbellus.

De captione Silviæ civitatis.

Affairs in Portugal. Eodem anno [3]multæ naves a partibus aquilonis Britannicum mare sulcantes cum peregrinis Angliæ fœdus inierunt; itaque de consilio communi, decimo quinto kalendas Junii de Dercemue exeuntes, naves videlicet multum oneriferæ numero triginta septem sese pelago commiserunt, quæ post varios rerum eventus [4]Ulixibonam venerunt. Rex autem Portugalensis, intelligens quod naves præmunitæ essent tam armis quam hominibus ad pugnandum idoneis, supplicavit ut ei venirent in auxilium ad subjugandam civitatem nomine [5]Sylviam; promisit etiam eis in adjutorium galeias triginta septem et alias

[1] *Troia... Mons-bellus.*] 'Trou, Montoire, Chatel-Acher, Chateau-du-Loir, Chaumont, Amboise, Roche-Corbon, and Beaumont;' Fr. Transl. Mat. Paris.

[2] *Ambaciæ.*] 'Ambaciæ, Cardonis et Mons-bellus;' *C.*

[3] *Multæ naves.*] Diceto, col. 645.

[4] *Ulixibonam venerunt,*] the 30th of June; ibid.

[5] *Sylviam,*] or Seville; 'quam Silvius Æneas construxerat, et de nomine suo vocaverat Silviam;' ibid.

naves plurimas; pactum etiam cum eis iniit, A.D. 1189.
præstito sacramento, quod quicquid auri vel argenti, sive cujuscunque generis lucri, civitate subacta, possent adquirere, in usus suos redigentes urbem solummodo regi concessissent. Igitur [1]ab Ulixibona recedentes velis prosperis in brevi portum Sylviæ intraverunt, impulsisque ad terram navibus, tentoriisque fixis, urbem obsidione vallaverunt; erat autem numerus Christianorum ad pugnam præparatorum tria millia quingenti. Deinde die tertio muris appropinquantes insultum fecerunt acerrimum, suburbium irruperunt, fontem etiam duplici muro circumdatum, habentem barbecanam novem turribus circumseptam, a quo cives haurire solebant aquæ abundantiam, terra, fimo et lapidibus obstruxerunt. Gentiles vero aquæ penuria laborantes, animo sunt consternati; princeps civitatis, Alchad nomine, regem adiit Portugalensem reddiditque ei civitatem, ignorantibus Christianis. Subacta igitur mirabiliter urbe a peregrinis Crucifixi, inventa sunt in illa paganorum plusquam sexaginta millia, qui omnes in ore gladii, præter solummodo tredecim millia utriusque sexus, perierunt. Sic omnipotentis Dei virtute, sine damno Christianorum, triumphatum est de paganis; et, civitate sordibus et idololatriis emundata, Portugalensis episcopus [2]mahumereiam magnam in honorem Dei genitricis dedicavit, præficiens ibi episcopum quendam, qui de partibus Flandriæ gratia peregrinationis advenerat.

[1] *Ab Ulixibona recedentes,*] the 16th of July; ibid.

[2] *Mahumereiam;*] or 'macomeriam,' a temple for the worship of Mahomet; Du Cange, ad *voc.*

Ut rex Henricus cum Richardo filio suo pacem coactus fecerit.

A.D. 1189. Conditions of peace between Henry and Richard.

Eodem[1] anno, in crastino festivitatis apostolorum Petri et Pauli, comes Flandriæ Philippus, et Willelmus, Remensis archiepiscopus, et Hugo, dux Burgundiæ, venerunt apud Saumur ad regem Anglorum ad componendum inter eum et regem Francorum et Richardum, comitem Pictavorum. Habuit autem comes Richardus Britones confœderatos cum Pictaviensibus, qui a rege Francorum literas patentes acceperant, quod ipse nullatenus cum rege Anglorum componeret, nisi et ipsi in pace fuerint comprehensi. Interea vero rex Francorum et Richardus, comes Pictavorum, civitatem Turonicam obsidione cingentes, proximo die Lunæ post festum præfatum, ex parte Ligeris fluminis, præ modicitate aquæ, scalis muro applicatis, violenter civitatem ceperunt et in ea milites sexaginta novem et centum servientes. Tunc rex Anglorum in arcto constitutus pacem sibi turpissimam facere compulsus est in hunc modum; Rex Anglorum se posuit ex toto in consilio regis Francorum, ita quod, quicquid idem rex provideret vel fieri judicaret, rex Angliæ sine contradictione compleret. Tunc rex Anglorum regi Francorum fecit homagium, quia in principio hujus guerræ homagium suum reddiderat regi Francorum. Provisum est insuper, ut Alesia, soror regis Francorum, redderetur in custodia comitis Richardi usque ad reditum suum de peregrinatione terræ sanctæ, ut tunc illam duceret in uxorem. Provisum est etiam, quod comes Richardus acciperet homagia hominum de omnibus terris patris

[1] *Eodem anno.*] Hoveden, p. 653; Benedict. Abb. p. 545.

sui citra mare et ultra; et nullus baronum sive militum, qui in hac werra adhæsit comiti Richardo, de cætero redibit ad regem Angliæ, nisi in ultimo mense, ante motionem regum versus terram sanctam, cujus terminus in media Quadragesima erit. Dabit præterea regi Francorum pro laboribus suis in obsequio comitis Richardi impensis viginti millia marcas argenti; et rex Francorum et comes Richardus tenebunt civitates Cenomannicam et Turonicam, cum castellis de Leir, de Trou, donec omnia fiant quæ sunt prælocuta. In hoc autem eventu videtur prophetia Merlini completa, quæ dicit, [1]'Dabitur maxillis ejus frænum, quod in Armorico sinu fabricabitur;' frænum quoque maxillis ejus, videlicet regis Angliæ, est datum, dum, quod prædecessores sui hæreditario jure in Avernia tenuerant, dominio subjecit alterius; dum transfugas suos, Gaufridum scilicet de Meduana, Guidonem de Valle, Radulphum de Fulgeriis, intra sinum habitantes Armoricum, id est Britannicum, qui sinus transitum facientibus a Britannia versus Franciam se pacificum et commeabilem offerebat, vitatis finibus Normannorum, in ligantiam et potestatem filii sui Richardi, vellet nollet, transire concessit. A.D. 1189.

Ut imperator Romanus iter peregrinationis arripuit.

Circa dies istos, in festo sancti Georgii, Fredericus, imperator Romanus, loca Dominicæ passionis visitaturus peregrinationis iter arripuit apud Remesburgum, transitum per Hungariam et Bulgariam, sicut proposuerat, habiturus. The emperor's pilgrimage.

[1] *Dabitur maxillis.*] Vol. i. p. 25; see the comment by Alan. de Insulis, 1608, p. 97.

De morte regis Henrici.

A.D. 1189. Death of Henry II.

Rex Henricus de colloquio mœstus valde ad Chinonem veniens, gravi tactus incommodo, maledixit[1] diei in quo natus fuerat; et sic in angaria positus infra triduum post concordiam factam diem clausit extremum. Obiit autem postquam regnaverat annis triginta quatuor, mensibus septem, diebus quinque, [2]in octavis apostolorum Petri et Pauli. [3]In crastino itaque cum portaretur ad sepeliendum, regio indutus apparatu, coronam in capite gerens auream, habensque chirothecas in manibus, calceamenta auro contexta in pedibus, calcaria, annulum in digito aureum et in manu sceptrum, accinctusque gladio, discoopertum habens vultum jacebat. Quod cum Richardo filio suo nuntiatum fuisset, festinanter ei venit obviam; quo superveniente, confestim manavit sanguis ex naribus regis defuncti, ac si indignaretur spiritus regis in adventu ejus, qui mortis ipsius causa esse credebatur; quod videns comes Richardus amarissime flere cœpit, et inæstimabili perturbatus angustia usque ad Fontem-Ebraudi feretrum sequens corpus patris sui, ab archiepiscopis Turonensi et Treverensi divinis celebratis mysteriis, fecit honorifice tumulari. Et quoniam idem rex adhuc vivens sæpe dicere consueverat, orbem universum uni non sufficere debere pro voto principi, inscriptio illius tumuli talis erat;

‘ Rex Henricus eram, mihi plurima regna subegi,
Multiplicique modo, duxque comesque fui.

---

[1] *Maledixit diei in quo natus fuerat.*] He invoked the curse of God upon his sons also, according to Hoveden, p. 654.

[2] *In octavis apostolorum Petri et Pauli.*] The 6th of July.

[3] *In crastino.*] Benedict. Abb. p. 547.

Cui[1] satis ad votum non essent omnia terræ A.D. 1189.
Climata, terra modo sufficit octo pedum.
Qui legis hæc, pensa discrimina mortis, et in me
Humanæ speculum conditionis habe.'

Leges autem, quas idem rex ad utilitatem regni composuit, hoc in loco scriberem, si non lectorem offendere dubitarem. Per idem tempus Matildis, uxor ducis Saxoniæ et [2]filia ejusdem regis, defuncta est.

---

[1] *Cui satis.*] The original probably of,

'When that this body did contain a spirit,
A kingdom for it was too small a bound;
But now, two paces of the vilest earth
Is room enough.'

Henry the Fourth, Part i. Act v. Scene 4.

[2] *Filia ejusdem regis;*] 'præ dolore hujus dicti infortunii, ut dicitur;' Paris.

FINIS VOL. II.

LONDON:
PRINTED BY SAMUEL BENTLEY,
Bangor House, Shoe Lane.